



COMMENTARII COLLEGII CONIMBRICENSIS SOCIETATIS IESV,

IN ARISTOTELIS LOGICAM.

Pars Prima:

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITI,

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, M. DCVII.

Apud Iacobum Vincentium, & Ricciardum Amadinum.





BENIGNO LECTORI SALVTEM.





VANQVAM omnes mortales non ſolum ſua facta atque conſilia, ſed etiam cogitationes & latẽtes animi conatus, ad Dei gloriam, ad Reipub. ſalutem, ad communem denique vitæ inſtitutionẽ referre decet: tamen maximè ij, qui publicum docendi munus in Academijs & Scholis ſuſtinent, id præſtare ex officij ratione coguntur; ſiquidem hoc nomine illi conſtituti ſunt, vt in gloriã Dei artium ſtudia pro virili foueant; & quando eæ neglectæ & ſine honore iacent, manibus pedibuſque id obnixè operam dent, vt amiſſum decus & debitum honorem ijs reſtituant, atque ad memoriam poſteritatis propagent: quòd ijs extinctis, nec religio ſtare, nec Reſpub. florere, nec vlla ciuilis diſciplina exempla diuturna perpetuaque

esse queant. ὄτοι ἀπόλυτ᾽ ἐστι θεῶν ἐρικύδεα δῶρα. id est, Reijcienda Dei non sunt illustria dona. Quia verò tam perfrictæ frontis sit, qui bonas literas & artes Dei donum esse neget? Quis tantæ vecordiæ, vt immensum earum vsum etiam me tacente non intelligat? Prisci homines, qui luce veritatis cœlestis minimè collustrati fuere, tanti eas facere, vt eas è Iouis cerebro natas esse dicerent. Hinc plutarchus non immeritò scriptum reliquit: ἡμεῖς οὐκ ἄνθρωπον τινα παρελάβομεν εὑρετὴν τῶν τεχνῶν, ἀλλὰ τὸν πάσαις ταῖς ἀρεταῖς κεκοσμημένον θεόν; idest, nos non hominem aliquem accepimus repertorem artium, sed omnibus virtutibus ornatum Deum.

Quod cum de omnibus in genere artibus verum sit: tamen ars Dialectica vel maximè familiam ducit, palmamque præ cæteris obtinet tanquam fundamentum, cui reliquæ omnes scientiæ subiacent: Quis enim, vel THEOLOGVS, vel IVRECONSVLTVS, vel MEDICVS, vel MATHEMATICVS, vel ORATOR, sine instrumento huius artis rem quampiam definire aut videre posset? At vbi definitiones, & diuisiones non sunt, quæ ibi, Deus bone, rerum omnium confusio? quæ veri cum falso permixtio? quod verborum chaos? an non futurum esset, vt hac, ceu luce, & Sole, sublata, reliquæ & dubiæ & tenebricosæ efficerentur? an non in disputationibus præsertim, vaga & inconstanti differendi ratione, instar nauis, quæ nulla gubernatoris arte, sed ventorum impulsu & pro-

cella-

cellarum incursu leuiter aliò atque aliò rapitur, sursum & deorsum differendo noua atque inaudita leuitate fluerent disceptatores?

Iam verò & de illo inter omnes conuenit, quod Dialecticus arte sua veritatem inquirat in omnibus, & contra Sophistas digladietur, eorumque Strophistas accerrimè oppugnet. Quod commodum nisi hominibus præstaret Dialectica, Sophistæ leptologijs, & fumis suis totam Philosophiam destruerent: τὸ γὰρ ἀληθὲς καταληπτὸν, τὸ εἶναι ψεῦδος ἀκατάληπτόν ἐστι. Quod si omnia hoc loco proferre velim, quæ huic arti laudem concilliant, quæque apud Ciceronem in Topicis, & Platonem passim in Dialogis extant: dies me potius quàm verba deficerent. Itaque vnum hoc ex innumeris adijcere sufficiet, quod in Glaucone legitur: Dialecticam doctrinis omnibus velut apicem esse propositam, nec vllam doctrinam vlterius, aut eminentiorem reperi, sed hic iam omnium doctrinarum esse finem.


Quæ cum ita sint, qui non summis laudibus extollendos eos esse censeat, qui hanc nobilissimam artem excolant, prouehant, amplificent, exornent?

Cum

Cum autem omnium litteratorum calculo & consensu Aristoteles inter omnes sublimi feriat sydera vertice, atque de ipsis Organo Logico verè istud Homeri vsurpare possis: ἐξ οὗπερ πόταμοι καὶ φρέατα πάντα ναοῦσι: (Quis enim vnquam præcepta Dialecticæ conscripsit, quin hinc tanquam ex fonte vberrimo & limpidissimo riuolos suos deduxerit?) Operæ certè precium fecit COLLEGIVM CONIMBRICENSE, quod succinctis, & exasciatis suis lucubrationibus nunquam satis laudandis, opus istud Logicum, si quisquam alius, maximè illustrauit, & viam patefecit, ad expeditam, & planum eius intelligentiam, ita vt cuilibet mediocriter saltem exercitato, inoffenso pede stadium istud decurrendi potestas facta sit. Etsi enim multi eruditi uiri de Republ. litteraria præclarè meriti sunt, quod omnes neruos ad huius auctoris explanationem doctissimis suis notis intenderint, nec egò de cuiusquam laboribus quicquam imminutum eam: tamen qui ex optimis Aristotelis interpretibus χρηστομάθιαν collegerint, atque selectiss. quæque in succum & sanguinem suum conuerterint; nodosque intrincatos maiori dexteritate, & iudicij exquisitione dissolueriut, atque in his COMMENTARIIS factum, uix reperies. Id quod ex αὐτοψία & collatione manifestum euadet. Quapropter, cum hi COMMENTARII in manus meas incidissent; tantum Thesaurum non diutius supprimendum, & Philologis inuidendum censui, quin, quo eius fructus ad quam plurimos redundaret, publicis typis euulga-

ri

ri curarem. Tù itaque beneuole Lector, ferena hunc laborem fronte excipe, atque gratus cum tuo maximè emolumento utere atque fruere.



COPIA.

GLI Eccellen. Sig. Capi dell'Eccelso Consiglio di X. infrascritti, hauuta fede dalli Sig. Reformatori del Studio di Padoua, per relation delli doi acciò deputati, cioè del R. Padre Inquisitor, & del Circ. Secretario del Senato Zuane Marauegia, che nel libro intitolato Commentarij Collegij Conimbricensis Societatis Iesu, da essi veduto, & letto non è cosa alcuna contro le leggi, & è degno di Stampa, concedono licentia, che possi esser stampato in questa Città.

Dat. die 25. Nouemb. 1603.

D. Z. Malipiero.
D. N. Contarini.
D. Agust. Na. K.



Capi dell'Eccelso Cons. di X.

Eccelsi Cons. Decem.
Secret. Bonifacius Antelmo.

COLLEGII CONIMBRICENSIS SOCIETATIS IESV,

PROLEGOMENA IN VNIVERSAM DIALECTICAM ARISTOTELIS.



De vtilitate artis & Auctore.



OMNIS ars omnisque doctrina, vt sapienter Arist. 7. lib Politic. cap. 17. animaduertit, aliquem naturæ defectum corrigere, & emendare nititur, quod ex eo patet, quoniã qui perfectiorem naturam habent, artium præsidijs minus indigere solent.

Si vero omnes naturę defectus per curras, nullum fortasse neque frequentiorem, neque magis perniciosum reperies errore, aut ignoratione, quæ in veritatis inuestigatione reperitur: Ibi propter veri difficultatem labi facile est, & eo turpius; quo nobiliorem hominis partem, nimirum intellectum hæc ignoratio inuadit. Quare dubium non est quin ea ars inter vtilissimas numeranda sit, quæ huic incommodo ita medeatur, vt qui ea instructus fuerit, nec facile decipi, nec a veritatis cognitione aberrare possit. Eam vero esse dialecticam facile videbit, qui totam doctrinam differendi, hoc est, ignota ex notioribus declarandi ad hanc artem pertinere intelliget.

Hæc enim docet rem vniuersam distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa iudicentur, vt lib. de clar. orat. Cic. docet. Hæc denique multiplici disputandi, & coarguendi ritu efficit, vt nec quis demonstrationis specie deceptus putet se scire, quæ nescit, quem errorem omnium esse maximum hospes Eleatensis apud Plat. in Sophista docet.

Porro de auctore deligendo, cuius potissimum preceptis Dialecticam comparemus, nõ est diu deliberandum. Constat enim inter omnes Arist. in hac arte principẽ fuisse. Dialectica n. quæ a Zenone Eleate obscurum quoddã initium accepit, deinde a posterioribus aucta & amplificata est, opera denique ac ingenio Aristotelis in eam doctrinæ magnitudinem euasit, vt quicquid post eum recentiores adiecerunt, parum momenti præ Aristotelica doctrina habere videatur.

Aristotelem igitur enarraturi, quem hodie iure optimo omnes philosophorum Scholæ sectantur, prius quædam ad totam Dialecticam pertinentia replicabimus, quam ipsum a minimis elementis ordientem interptetemur. Ea vero sunt, sitnè Dialectica scientia; Quodnam sit eius subiectum; Vtrum sit theoretica scientia an practica; Quæ sit eius necessitas, ac demum in quas partes distribuaturque omnia tradita prius generali quadam artium distributione commodius explicabuntur.

DE ARTE, EIVSQVE diuisionibus.

Ars igitur siue scientia, vt plerisque definitur, est multarum de vna re comprehensionum collectio ad finem aliquem vtilem vitæ. Dicitur collectio multarum comprehensionum, idest, multorum habituum, quibus assentimur conclusionibus artis, quia ars non est vnus tantum habitus, sed collectio multorum. Dicitur, de vna re, idest, de certa aliqua materia, vt Arithmetica de numeris, & Musica de concentibus, quia omnia, quæ vnaquaque arte tractantur, ad eandem materiam pertinere debent. Dicitur denique, ad finem aliquem vtilem vitæ, quia artes, quæ in pernitiem vitæ humanæ inuentæ sunt, vt ars venefica, non simpliciter artes, sed cum adiectione artes malæ appellari debent. Ars igitur sic definita duobus modis diuidi potest: vno quidem, ratione eorum, in quibus versatur: altero, ratione finis, ad quem suapte natura refertur. Priori modo in duo quædam genera distribuitur; etenim artium aliæ in rebus versantur, vt naturalis philosophia; aliæ in sermone, vt Dialectica, Grammatica, e Rhetorica, ad quam teste Cic. 1. de orat. historica & poetica reuocantur. Posteriori modo in duo itidem genera ab Aristotele diuiditur, 2. Metaph. cap. primo, in Theoreticam scilicet, & practicam. Theoretica scientia est, cuius finis est sola veritatis cognitio & contemplatio. Practica cuius finis est opus. Theoreticam scientiam diuidit. Aristoteles, 6. Metaph. cap. primo, in physicam, idest, naturalem, Mathematicam, & Theologiam, idest, Metaphysicam. Physica scientia, ad quam Medicina reuocatur, est, quæ res corporatas, mutationique subiectas contemplatur, vt animalia, plantas, corpora cœlestia, & his similia. Mathematica scientia est, quæ magnitudinum, numerorumque naturas, & affectiones declarat ea vero in quatuor partes potissimum ab antiquis distributa est, in Arithmeticam, quæ agit de numeris; in Geometriam, quæ de magnitudinibus; in Musicam, quæ tonorum numeros atque concentum contemplatur, & demum in Astronomiam, quæ rationem astrorum, cœlorumque, quod attinet ad magnitudinem, numerum, & motum complexa est. Metaph. seu naturalis Theologia est, quæ lumine naturali disserit de rebus omnibus corpore molis materiæque expertibus, vt de Deo optim. max. de supremis illis beatisque mentibus. Cæterum alia longe nobilior Theologia singulari Dei beneficio hominibus concessa est, qua non humano ingenio, sed diuino lumine Deum cognoscimus, ad quam magna pars iuris pontificij reuocanda est, ea scilicet, in quam ex his, quæ diuina authoritate nituntur, multa decreta sunt, tum ad mores, tum ad fidei mysteria pertinentia.

Practica deinde diuidenda est in agentem, & efficientem.

Nam cum omnis practica scientia, regulas operandi præscribat, si operatio, quam dirigit, maneat in ipso qui operatur, vt cupere, irasci, timere, & alia id genus, appellatur agens. Si vero in eo qui operatur, non maneat, sed potius in conficienda re aliqua externa posita sit, vt ædificatio, statuæ effectio, & similia, dicitur efficiens. Porro agens scientia Ethicam, Oeconomicam, & Polliticam comprehendit. Ethica, idest, morum scientia est, quæ vnumquemque hominem singulatim probitatem morum docet; Oeconomica, idest, ratio rei familiaris est, quæ rationem regendæ familiæ continet. Politica, idest, ciuilis scientia est, quæ gubernationem reipublicæ complectitur, ad quam scientia iuris ciuilis, & non exigua pars iuris pontificij reuocanda sunt. Ars vero efficiens omnes operarias, idest, Mechanicas complectitur, quæ ad septem fere reduci possunt agriculturam, nemorariam, idest, venandi, aucupandique artem, artem militarem, nauticam, Chirurgiã, lanificium, & fabrilem.

Illud autem prætereundum non est, ex artibus enumeratis, quasdam esse superiores, scilicet, Physicam, Metaphysicam, ac tres agentes paulo ante numeratas alias inferiores, quæ in liberales, & seruiles diuidi solent. Liberales dicuntur quatuor Mathematicæ iam dictæ, & tres, quæ in sermone versantur: Mechanicæ autem, siue, seruiles, septem efficientes enumeratæ.

Videntur autem priores dictæ liberales, vel quod liberum hominem deceant, vel quod magis ad animum pertineant liberam & ingenuam hominis partem. Posteriores vero eo videntur seruiles vocatæ, vel

quod

quod seruorum propriæ videantur, vel quod magis in functione corporis, quod animo subiectum est, positæ sint. Possunt autem hæ omnes hoc disticho comprehendi.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra,
Rus, nemus, arma, ratis, vulnera, lana, faber.

Lingua, Grammaticam significat, quod eius munus sit, congruenter, atque emendate loqui: Trobus, Rhetoricam, quod eius potissima pars sit elocutio, quæ tropis figurisve continetur: Ratio, Dialecticam, quod rationis operationes perficiat, Numerus, Arithmeticam: Tonus, Musicam: Angulus, Geometriam: Astra denique Astronomiam, Rus, Agriculturam indicat, quæ rationem seminandi, plantandi, curamque pecorum, atque apum, & denique totam rei rusticæ rationem complectitur: Nemus, venandi, aucupandique artem significat: Arma militarem: Ratis, nauticam: Vulnera, Chirurgiam, ad quam Pharmacopolarum ars reducenda est: Lana, eas artes complectitur, quæ in conficiendis vestibus, & calceamentis horumque materijs præparandis versantur, vt tenendi artem, texendi, & similes: Fabri denique nomine vniuersas artes fabriles comprehendimus. Priori uersu liberales: posteriori seruiles continentur. Hæc de artium diuisione dixisse sit satis. Nunc ad propositas circa Dialecticam quæstiones accedamus.

Vtrum Dialectica sit scientia.

QVÆSTIO Prima.

NOMEN scientiæ duobus modis vsurpatur, vno pro quauis arte: quo pacto ars superius definita est, altero presse ac proprie, nempe pro habitu qui demonstratione gignitur; in qua significatione ab Aristotele accipitur in libris de post. resol. talijsque in locis sæpe. Atque in hoc sensu inquirendum est, sitne Dialectica scientia, nec ne.

Partem igitur huius quæstionis negantem ita quispiam suadebit: Primo.

Omnis scientia versatur circa certum & definitum subiectum, quo ab alijs distinguatur. Sed Dialectica non habet certum subiectum, disputat enim de rebus omnibus vt docet Aristoteles 4. metaph. cap. 2. Et 1. poster. analyt. Cap. octauo, igitur Dialectica non est scientia. Secundo: Modus sciendi & scientia distinguuntur. Sed Dialectica est modus sciendi, Ergo non est scientia. Maior probatur ex Aristotele secunda Metaph. cap. 2. dicente, absurdum esse scientiam simul, & scientiæ modum quærere. Minor etiam ostenditur. Nam vt Diuus Thomas & Auerroes exponunt citato loco, Aristoteles nomine modi sciendi Dialecticam intelligit.

Pro solutione huius quæstionis illud animaduertendum est, Dialecticam interdum accipi pro ea parte tantum, quæ hominem ad probabiliter de quaque re proposita disserendum instituit, quo pacto solam eam partem comprehendit, quæ Topica appellatur: In qua significatione a multis ita definitur. [Dialectica est methodus, siue, ars ratiocinandi ex probabilibus de quacunque re proposita.] Quæ definitio ex initio Topicorum Aristotelis desumpta est. Interdum autem sumitur Dialectica, pro ut totam disserendi artem complectitur, definiturque, [doctrina disserendi, seu incognita ex cognitis oratione patefaciẽdi,] ut ex initio lib. 1. institutionum Dialecticarum manifestum est. Hoc igitur loco nomine Dialecticæ totam artem intelligimus.

Vna igitur assertione quæstio hæc dissoluetur. Dialectica est uere ac proprie scientia, quæ quidem suadetur primo; Quia vera scientia nihil est aliud, quam habitus quidam animi demonstratione comparatus. Dialectica uero est huiusmodi. Est igitur Dialectica uere scientia. Maior propositio constat ex Aristotele de post. resolut. Minor uero probatur, quoniam in Dialectica multæ fiunt demonstrationes, ut, quod demonstratio generet scientiam, Syllogismus probabilis opinionem, & aliæ huiusmodi, quibus diuersos habitus comparamus: Aggregatio uero horum habituum est ipsa Dialectica. Igitur est habitus, seu habituum multitudo demonstrationibus comparata.

Secundo: Quoniam ea est vera scientia, quæ in certo aliquo subiecto versatur, de quo proprias affectiones per propria principia demonstrat: Dialectica vero ita se habet; Est igitur vera scientia. Maior est manifesta. Minor quoad priorem partem, ostenditur, quoniam circa modum differendi ex instituto uersatur, vt quæstione sequenti docebimus: Quoad posteriorem vero partem confirmatur, quoniam Dialectica demonstrat de modo differendi, quod sit ad docendum accommodatus, eo quod sit oratio, qua ex cognitis incognita patefiunt, de diuisione, quod opta sit ad totius rei confusionem explicandam, propterea, quod est oratio, qua totum in suas partes diuiditur. De definitione essenitali, quod naturæ cognitionem efficiat, quoniam est oratio constans genere & differentia; De argumentatione, quod ad veritatem inquirendam apposita sit quia est oratio, in qua aliquid ex aliquo concluditur, & de cæteris simili modo, vt in Dialecticæ progressu apud Aristotelem videbitur. Pro solutione vero primæ obiectionis animaduertendum est, Dialecticam pro parte Topica acceptam duobus modis considerari, ut libro quarto, Metaph. lect. quarta docet Diuus Thomas: Vno modo quatenus rationem probabiliter differendi de quacunque proposita quæstione, quo modo habet veram rationem scientiæ: Altero prout ratione probabiliter differendi tradita utitur ad probabiliter de quacunque proposita quæstione disputandum, quo pacto a modo scientiæ recedit, hoc est, munere scientiæ non fungitur: Atque priori modo vocatur docens, posteriori vtens, accommodatius tamen illa dicetur doctrina, hæc facultas.

Ad prima igitur obiectionem concessa maiore, distinguenda est minor. Si enim intelligatur de Dialectica vtente, concedenda est: Si autem de docente, neganda. Habet enim Dialectica docens certum subiectum, vt paulo post dicemus: Quod vero ait Aristoteles Dialecticam de omnibus rebus disputare, atque adeo non habere certum subiectum, de parte Topica intelligendum est; Atque de ipsa non pro vt doctrina, sed pro ut quædam facultas est.

Ad secundam vero neganda est Maior, si significat modnm sciendi distingui ab omni scientia, nam Dialectica, quæ vere scientia est, appellatur etiam ab Aristotele modus sciendi, quod varia probandi genera tradat, quibus in reliquis artibus utamur. Dantur enim scientiæ, quæ accuratum certissimumque genus probationnum efflagitant, vt Mathematicæ, Aliæ, in quibus hæc probandi ratio minime requiritur. Ex quibus non colligitur, Dialecticam non esse vere scientiam: Cum enim Aristotelis ait, absurdum esse modum sciendi, & scientiam simul quærere, nomine scientiæ eam intelligit, quæ modus sciendi non est, innuens his verbis, Dialecticam, quæ modus sciendi est, ante alias scientias addiscendum.

Quodnam sit Dialecticæ subiectum.

QVÆSTIO SECVNDA.

De subiecto, circa quod Dialectica versatur, non eodem modo autores sentiunt. Nam Diuus Thomas ens rationis Dialecticæ subiectum constituit, Ammonius demonstrationem, Ægydius Romanus Syllogismum, Magnus Albertus, argumentationem, alij denique sciendi, id est, differendi modum. Vt tamen quid dicendum sit statuamus, est inprimis animaduertendum, quanquam subiecti vocabulum multas apud Philosophos significationes habeat, hoc tamen loco in ea usurpari, qua significat id, circa quod vnaquæque scientia versatur, seu in cuius consideratione tota artificis cura posita est, quod alij uocant subiectum attributionis.

Porro tres conditiones necessariæ videntur ad scientiæ subiectum, in primis quidem, vt modo aliquo vnum quippiam sit: Neque enim scientia vere vna dicetur, nisi subiectum, circa quod versatur, vnum sit aliquo modo, vt Aristoteles ait primo poster. capite vigesimotertio. Deinde vt non solum secundum suam rationem in ea scientia tractetur, sed etiam reliqua omnia, ad eandem scientiam pertinentia ipsius causa considerentur, aut ut partes subiectæ aut vt partes ad integritatem, id est, naturam eius pertinentes, aut vt eius affectiones, aut alia quadam ratione: Denique vt eam scientiam, cuius subiectum esse

se

se dicitur: a cæteris distinguat, ac separet. Aduertendum est deinde, Dialecticæ nomen interdum accipi pro vniuersa disserendi arte, quo pacto artem diuidendi, definiendi, & arguendi compræhendit: Nonnunquã vero pro ea tantum parte, quam Aristoteles in libris Dialecticæ, qui ad nos peruenerunt ex instituto tractauit, & in qua de sola argumentatione potissimum disseruit. Etenim de definitione & diuisione, vt peculiares sunt disserendi modi, seu vt per se aliquid declarant, Aristot. non egit, sed ea tantum ratione qua ad aliquid confirmandum desumi possunt, quod recte annotauit Magn. Albe. & vt ipse ad initium porphyrij refert Auicenna & Alpharabeus, item Caetanus initio categoriarum Aristotelis, & alij graues authores. Id autem Aristoteles propterea fecisse dicitur, quia in definitionibus & diuisionibus explicandis minus negotij esse credidit, quam vt sigillatim tractandæ viderentur; vel, quoniam in argumentandi modi duntaxat, quos primus 2. Elenchorum ait, inuenisse, sibi elaborandum esse existimauit.

His ita explicatis, sit prima assertio: Ens rationis non est subiectum artis Dialecticæ. Quæ suadetur hoc modo: Nam subiectum cuiuscunque artis eam debet a cæteris separare, vt patet ex tertia subiecti conditione. At vero ens rationis non separat Dialecticã a cæteris artibus: Non est igitur ens rationis Dialecticæ subiectum. Minor propositio probatur, quoniam non solum Dialectica, sed Rhetorica etiam, & Grammatica de entibus rationis disputant. Sunt qui respondeant, inter entia rationis esse nonnulla quæ vocibus conueniunt non ex natura rei, sed hominum arbitrio, vt esse nomen, verbum & participium, atque de his Grammaticam agere: Alia vero esse, quæ ita rebus conueniunt, vt ex naturis ipsarum pendeant, vt esse genus, esse speciem, & cætera huiusmodi. Nam esse genus ita conuenit animali, verbi gratia vt ex ipsius natura modo aliquo pendeat: propterea enim animal est genus non autem homo, quoniam animali non repugnat communicari rebus specie differentibus, homini vero repugnat. Dicitur igitur Dialecticam, circa ens rationis posteriori modo sumptum versari, atque eodem modo sumptum esse Dialecticæ subiectum. Hæc tamen responsio nulla esse videtur, tum quia Dialectica agit de nomine & verbo, alijsque huiusmodi, quæ ex hominum arbitrio significant, vt patet ex li. de interpretatione: Tum vel maxime, quia Rhetorica multa entia rationis considerat, quæ non minus ex rerum naturis dependent; quam ea, de quibus dialectica disputat; Alioquin, si precepta Rethoricæ non ex rerum naturis, sed ex solo hominum arbitrio penderent: non essent eadem Rhetoricæ precepta omnibus communia, vt non sunt eadem Grammaticæ, quæ de rebus hisce disputat, quæ pro hominum arbitrio mutari possunt.

Secunda assertio sit; Demonstrationem non esse Dialecticæ subiectum; Quæ suaderi potest; quoniam, vt ex secunda subiecti conditione patet, quod subiectum scientiæ esse dicitur, tale esse debet, vt non solum secundum se consideretur, sed cetera etiam propter illud. At vero non omnia, quæ in dialectica tractantur, propter demonstrationem considerantur, vt constat. Demonstratio igitur non est dialectice subiectum.

Tertia assertio sit; Argumentationem esse subiectum dialecticæ, vt eam nobis tradidit Aristoteles. Cum enim de sola argumentatione ex instituto egerit: de reliquis vero, de diuisione, inquam, & definitione, quatenus ad argumentationem vtiles sunt, non autem vt peculiares quidam disserendi modi existunt perspicuum est, solam argumentationem subiectum esse dialecticæ ab Aristotele tradite. Vnde fit, vt qui dialecticam ea tantum ex parte, qua ab Aristotele tradita est, considerant, merito asserant, subiectum dialectice esse argumentationem, aut syllogismum, ad quem cæteræ omnes argumentandi formæ reuocantur; Atque hoc pacto intelligendus est Scotus initio quæstionum, quas in porphyrius edidit, cum ait, syllogismum esse logicæ subiectum.

Quarta assertio sit; Subiectum attributionis totius artis dialecticæ esse modum disserendi, cuius sententiæ est Scotus libro prior. quæstione secunda, vbi affirmat; Instrumentum sciendi, hoc est, disserendi, quod diuisionem, definitionem, & argumentationem complectitur, esse subiectum dialecticæ. Potestque hæc sententia suaderi ex his conditionibus, quas ad subiectum scientiæ necessarias esse diximus. Imprimis enim modus disserendi est vnius naturæ, cum vnam

habeat definitionem. Est enim oratio, qua id quod ignotum est, ex cognitis declaratur: Deinde modus disserendi non solum secundum vniuersa arte dialectica spectatur, sed propter illum cætera omnia ad dialecticam pertinentia considerantur; Denique artem dialecticam a cæteris distinguit & separat, non quod sola ipsa differat, sed quod ipsa tantum doceat, quo pacto disserendum sit. Deinde quia vt argumentatio est modus disserendi, sic & definitio atque diuisio, dialectica igitur cum sit vniuersa disserendi doctrina non tantum de argumentatione, sed etiam de diuisione, & definitione, ex instituto agere debet. Postremò id ostenditur ex fine totius dialecticę: Nam tum dialectica ad intellectus nostri vitia emendanda inuenta sit; is erit proprius dialecticæ finis, quo efficitur, vt intellectus in rebus cognoscendis errorem declinare possit. Cum igitur mentis nostræ vitia in hoc cernantur, quod nesciat inuestigare ignota ex rebus notioribus, perspicuum est, proprium, proximum, & adæquatum finem dialecticæ esse, intellectum dirigere, vt errorem facile declinet; Nihil est autem ad hãc rem accommodatius, quam modus disserendi, diuisionem, definitionem, & argumentationem complectens; Dubitare igitur nemo potest, quin modus disserendi sit proprium & adæquatum dialecticæ subiectum.

Vt autem hec assertio planius intelligatur, sciendum est, tres esse generales disserendi modos, diuisionem, scilicet definitionem, & argumentationem, qui alios deinde sub se continent, quod quidem ita colliges; Disserere generaliter acceptum idem est atque oratione vti, qua ex cognitis incognita declarentur, quomodo accipitur, cum dialectica, vt totam artem complectitur, disserendi doctrina esse dicitur. Porro tria sunt, quæ ignorare possumus, aut enim ignoramus, quas partes vnaquęque res sub se contineat; aut quæ sit eius natura, aut denique quid cuique conueniat, aut non conueniat. Ac diuisione quidem, quas partes vnaquæque res sub se complectatur, intelligimus: Definitione, quæ sit rei natura: Argumentatione tandem, quid vnicuique tribuendum, aut non tribuendum sit. Tres igitur sunt generales disserendi modi: in quibus tradendis & explicandis vniuersa dialectica posita est.

Sitnè Dialectica Theoretica scientia, an practica.

QVAESTIO TERTIA.

VIDETVR dialectica esse theoretica scientia: Nam omnis scientia, quæ rerum naturas inuestigat definiendo, diuidendo, & demonstrando, est theoretica. Dialectica vero, ita se habet, cum modum disserendi è vsque partes sit sectas definitionibus ac diuisionibus patefaciat: harumque affectiones demonstrando concludat. Est igitur dialectica Theoretica scientia. Quæstio hæc non potest hoc loco satis explicari. Esset enim inquirendum, vnde nam scientia habeat, vt Practica sit, vel Theoretica: Quid etiam sit praxis. Quæ non ad hunc locum, sed ad 6. metaph. libro ex instituto pertinet. Vt tamen, quid de hac re sentiendum sit, breuiter nunc statuamus, animaduertendum est. ex fine cuiusque scientiæ intelligi posse, sitne ipsa in Practicis, aut Theoreticis numeranda. Ea namque scientia est Theoretica, cuius finis est sola veritatis inquisitio, & contemplatio: Ea vero practica, cuius finis est operatio, siue praxis. Duplex autem finis in quavis arte cerni potest, vnus ipsius artis proprius, ad quam ars ipsa ex se refertur, & quem ex sua ratione vendicat. Alter scientis peculiaris, quem quisque in scientia comparanda sibi proponit; Exempli causa. Scientia de animo ex se solum refertur ad animi naturam, eiusque affectiones inquirendas, & contemplandas. Ea nihilominus quispiam addiscere potest, vt cognita animi excellentia, ad recte viuendum alliciatur. Simili ratione ars construendi domum ex se ad opus dirigitur, cum regulas operandi præscribat: Potest tamen quispiam huic arti incumbere, vt solam cognitionem construendæ domus assequatur. Igitur scientia intelligitur esse practica, aut Theoretica ex fine, quem ipsa ex sua ratione sibi vendicat. Quare illa scientia dicetur Practica, quæ ex se dirigitur ad opus: Ea vero ex se ad opus dirigitur; quæ regulas, & modum ope-

operandi præscribit, qualis est ars construendi domum, & id genus aliæ. Illa item Theoretica dicetur, quæ non ad opus ex se refertur; sed sola contemplatione contenta est. Ea vero ex se ad opus non dirigitur, quæ regulas operandi minime præscribit, sed solum rerum naturas, earumque affectiones inuestigat, atque pertractat. Vnde efficitur, quod non modo ea scientia, quæ de his rebus disputat, quæ a nobis nullo modo agi, efficive possunt, sed etiam ea, quæ cum de re agenda, & efficienda tractat, regulas tamen agendi, aut efficiendi non præscribit, Theoretica dicenda sit: Ea vero practica, quæ de re, vel agenda, vel efficienda disputat, atque regulas operandi præscribit.

His ita breuiter dictis, hac vna assertione quæstio soluetur: Dialectica simpliciter est practica scientia, quæ ita suadetur, Ea est practica scientia, quæ ex dirigitur ad opus. At dialectica scientia est huiusmodi. Est igitur practica. Maior propositio ex dictis constat. Minor suadetur, nam ea scientia ex se dirigitur ad opus, quæ de ea re differit, quæ a nobis agi aut effici potest, & modo hoc regulas operandi præscribit, vt ex dictis constat; At Dialectica ita se habet Dialectica igitur ex se ad opus dirigitur. Minor propositio manifestissima est, cum in Dialectica multa præcepta tradantur diuidendi, definiendi, & arguendi, quæ sunt opera quædam mente fabricata.

Ex quo argumento intelligi potest, Grammaticam & Rhetoricam practicas esse artes, cum illa congrue, hæc ornate loquendi præcepta ex instituto tradat. Obiectio vero initio proposita facile diluetur: si dicas, Dialecticam diuidendo quidem, definiendo, & demonstrando rerum, de quibus agit, naturas declarare, hæc tamen omnia ad opus referri, nempe vt doceat, tradatque præcepta diuidendi, definiendi, & arguendi. Ita patet, dialecticam esse practicam scientiam.

Sitnè Dialectica ad omnes scientias comparandas necessaria.

QVAESTIO QVARTA.

QVOD Dialectica non sit necessaria ad omnes scientias comparandas, hoc modo suaderi potest.

Primo Mathematicæ scientię, ius ciuile, & pontificium sine dialectica acquiruntur: Non est igitur dialectica ad omnes scientias comparandas necessaria.

Secundo, si dialectica esset necessaria, ad quamuis scientiam comparandam, cum ipsa dialectica sit quædam scientia: esset etiam necessaria ad sui acquisitionem, qua propter antequam dialectica comparata sit, erit iam acquisita, quod fieri nequit.

Huic tamen quæstioni duobus pronunciatis satisfaciemus. Primum sit huiusmodi, Fieri potest, vt sine dialectica habeatur scientia non solum vnius conclusionis, sed etiam multarum, potissimum Geometriæ, & Arithmeticæ, in quibus maior euidentia, quam in cæteris artibus reperitur, Quod ex eo patet; quoniam potest dialecticæ ignarus propositis principijs per se notis, ex quibus conclusiones deducantur, euidenter assentiri; potest item solo lumine naturali euidenter intueri, ex illis principijs has conclusiones necessario deduci: Ergo absque vlla dialecticæ cognitione potest quispiam scientiam comparare.

Secundum pronunciatum: dialectica ex ratione necessaria est ad alias scientias comparandas, quod absque illa multi errores cōmittantur. Quod suadatur, quoniam cum difficilimum sit etiam in dialectica non parum versatis vitiosas, captiosasque argumentationes ab illis distinguere ac secernere, quæ firmæ sunt, ac recte concluduntur, qui ignarus dialecticæ fuerit facili negotio decipietur, & ad multa in commoda trahetur. Præterea, difficilimum est absque vllo vitio opus quodcunque conficere, nisi adsint instrumenta ad eiusmodi opus conficiendum accommodata: dialectica vero præbet instrumenta ad scientiam quamcuuque absque errore comparandam accommodatissima: modos nimirum differendi; Dialectica

ctica igitur ea ratione ad alias scientias necessaria est. Quod absque illa multi errores facile committantur. In quo sensu intelligendus est Plato: qui necessitatem huius artis in Phædro hisce verbis declarat: Magnæ quælibet artes exercitatione Dialecticæ, contemplatione sublimium in natura rerum indigent. Sed de his lib. instit. Dialec. dictum est.

Ad primum igitur obiectionem initio propositam dicendum est, posse quidem Mathematicas scientias solo lumine naturali absq; Dialectica comparari: verum non tam facile, nec tam acurate. Ius vero pontificium, & ciuile absque demonstrandi, siue sciendi methodo minime doceri. Non enim res per causas, & principia comprobantur: Sed pene sola authoritate tenentur. Quam utilis autem sit utriusque iuri Dialectica scientia, docet Cic. in lib. de Clar. orat. ubi Seruium Sulpitium vniuersis iuris consultis illius temporis anteponit qui tamen, inquit, nunquam ad tãtam iuris peritiam peruenisset, nisi Dialecticam addidicisset.

Alterum argumentum soluetur, si dicas ad eas tantum scientias Dialecticam necessariam esse, quas antecedere potest: Quare cum se ipsam non possit antecedere, non dicetur ad se ipsam necessaria. Itaque cum Dialectica ad quamcunque scientiam necessaria dicatur, Dialectica ipsa excipienda est.

Nonnullæ Dialecticæ diuisiones.

SVperest, ut de diuisione Dialecticæ nonnulla dicamus. Prætermissa igitur hoc loco ea diuisione, quã Dialectica in partem inueniendi, & iudicandi distribuitur: de qua initio libro de priori resol. commodius dicamus: Solet uniuersa Dialecticæ ars ex parte rerum, quas ex instituto, & potissimum considerat, in tres partes distribui: in eam scilicet, in qua de diuisione, in eam in qua de definitione, & in eam in qua de argumentatione disputatur. Cum enim modus differendi, de quo tanquam de subiecto vniuersa Dialectica differit, tres partes complectatur: Diuisionem scilicet, definitionem & argumentationem: tres etiam Dialecticæ partes esse necesse est.

Quod si quis obijciat, diuisionem, & definitionem reuocari ad argumentationem: & propterea non esse alias Dialecticæ partes cõstituendas, in quibus de ipsis disputetur: præter eam, in qua de argumentatione agitur: occurrendum erit, diuisionem & definitionem duobus modis cõsiderari posse: vno, quatenus per se aliquid declarant: quo pacto non reuocantur ad argumentationem: altero quatenus assumuntur ad aliquid confirmandum; quo modo reuocantur ad argumentationem. Efficitur ergo hinc, ut sit alia tractatio constituenda, quæ doceat usum arguendi ex definitione, & diuisione, præter tractationem de argumentatione: Sed non efficitur propterea ut non sint quædam aliæ tractationes de diuisione ac definitione constituendæ: in quibus de huiusmodi rebus seorsum agatur: Quam diuisionem secutus est Boetius initio Topicorum Ciceronis.

Secundo loco diuidi potest Dialectica, ut ab Aristotele tradita est, in eam partem, in qua de simplicibus agitur: in eam in qua de propositione: ac denique in eam, in qua de argumentationis structura differitur; pro ratione trium, quæ in argumentatione cernuntur, nimirum simplicium vocum, ex quibus ipsa agumentatio remote componitur: Propositionum, ex quibus proxime constat. Et totius structuræ, quæ, ex his partibus efficitur.

Diuiditur quoque Dialectica in illas tres partes, pro ratione trium operationum intellectus: quas ipsa dirigere solet quarum una simplex rei apprehensio: cui voces simplices respondent, de quibus Aristoteles in prædicamentorum libris disputat: Altera est compositio, & diuisio, hoc est, affirmatio, aut negatio in mente facta: cui respondent propositiones vocales: de quibus Aristoteles in libro de interpert. differit: Postrema est ratiocinatio mente fabricata: qua ex alijs alia concludimus, cui respondet argumentatio vocalis: de qua Aristo. in cæteris libris Dialecticis, qui sequuntur, disputat.

Nos igitur in Aristotelis Dialectica ẽnarranda eundem ordinem sequemur: quem ipse in ea tradenda seruauit. Prius tamen Porphyrij libellum: qui ad Aristotelis doctrinam aditum patefacit, interpretabimur.

EXPLANATIONES in librum porphyrij de quinque vocibus.

QVI opus aliquod philosophico more enarrandum suscipiunt, quædam capita, quæ Græci prolegomena appellant, prætermittere consueuerunt: ut lectores ad lectionem libri instructiores, promptioresque reddantur. Ea vero sunt, quisnam sit operis autor: quod eius institutum: quæ operis inscriptio; quæ utilitas; ad quam partem philosophiæ sit tractatio referenda quo loco sit explicanda, quo genere docendi utatur autor; quæ denique sit operis distributio: Quæ omnia vt ante librorum expositionem utiliter tractari solent: sic a nobis hoc loco minime sunt negligenda.

De autore libri.

AVtoris nomen est Porphyrius Philosophus quidem Platonicus, natione vero phœnix, patria Tyrius, qui tempore Aureliani Imp. vt Suidas est autor temporibus etiam Diocletiani vixit.

Hic cum Tyri Longinum philosophum habuisset præceptorem, profectus Romam, Aemilium plotini philosophi Platonici discipulum audiuit: Docuitque Iamblichum insignem & chrysaorum Romanum patricium, cui hunc libellum nuncupauit. Nam cum eius monitu, quem instituebat, in Siciliam nauigasset; accidit, vt in manus Chrysaorij inciderent Aristotelis Categoriæ: Quas cum ille propter quarundam vocum obscuritatem omnino intelligere non potuisset, Porphyrio scripsit, vt aliquid mitteret, cuius præsidio Aristotelis prædicamenta non siue fructu legere posset. Cui Porphyrius, vt morem gererent, hunc libellum scripsit; in quo facili docendi genere, ut introductonem decet eas voces explicauit, quarum ignoratione necesse erat Chrysaorium nullo modo in intelligendo Aristotele progredi potuisse. Verum cum hic author fidem Christianam impudentissime deseruerit, religionisque Christianæ fuerit hostis inimicissimus, ut Diuus Augustinus scribit libro decimooctauo, de ciuitate Dei, capite vigesimoterzo, nulla profecto ratione exponendus uideretur nisi ea, quę in hunc librum coniecit, magna ex parte, ex Aristotele in Topicis accepisset.

De instituto autoris.

POrphyrij propositum & institutum est, tradere in hoc libello cognitionem harum quinque uocum, [generis] videlicet, Species, differentiæ, proprij, accidentis. A quas omnes uoces simplices quæ de multis eadem omnino ratione dicuntur, tanquam ad generalia quædam capita reuocantur. Quare iure optimo porphyrius de his quinque vocibus instruit in hoc introductorio libro differere: Vt hisce quasi summis capitibus explicatis ad Aristotelis prædicamenta, in quibus infinita rerum & nominum multitudo continetur, imò ad omnes Dialecticæ partes, viam muniret.

De operis inscriptione, & cæteris capitibus.

INscriptio operis est: Porphyrij Isagoge siue introductio: Qua in re, quæri potest hoc loco, cur porphyrius hanc tractationem indefinite introductionem appellarit, cum ambigere quisquam possit, cuiusnam operis sit introductio.

Huic quæstioni respondet Ammonius, hunc librum propter excellentiam introductionem appellari; Causa vero est, vel quod ad philosophiam introducat, nec possit quisquam sine cognitione harum vocum in philosophiæ parte vlla pro dignitate versari Vel quod ad eam scientiam viam patefaciat, quæ ad artes omnes & scientias quemque instituit. Recentiores autem spectata harum vocum proprietate, quod, scilicet, de pluribus prædicentur, tractationem hanc de prædicalibus inscripserunt: Alij de quinque vocibus.

De operis uero vtilitate ipsum porphyrium paulo post dicentem audiemus.

Refertur autem liber hic ad eam Philosophiæ partem, quæ in sermone versatur: Nam cum Dialectica ea philosophiæ parte, quæ in sermone posita est, contineatur; hic autem libellus ad Dialecticam pertineat; nemo

nemo est, qui non videat, hunc libellum ad eam philosophię partem, quæ in sermone versatur referendam esse.

Quo vero loco hic liber explicandus sit ex his, quæ dicta sunt, satis intelligi potest, Est enim liber hic omnibus, quos Aristoteles de Dialectica conscripsit, pręferendus, cum eorum omnium aditus quidam sit & vestibulum.

Docendi modus in hoc libello mediocris est, vt ipse Porphyrius in pręfatione pollicetur: nam definitionibus, diuisionibus, & exemplis rem declarat: Qui modus satis apertus est, introductionibusque accommodatus.

Tandem distribuitur hic leber in pręfationem, & tractationem; Tractatio vero, in eam partem, in qua singulę voces seorsim declaratur, & in eam, in qua eas ipsas comparat inter sese, vt videat, quid commune habeant, quid proprium ac peculiare.

PORPHYRII PRAEFATIO.

AD CHRYSAORIVM.



VM necessarium sit, Chrysaori, & Aristotelis prędicamentorum doctrinam, quid nam sit genus, cognoscere, quid differentia, quid species, quid proprium, & quid accidens: Et ad definitiones etiam assignandas, atque ad diuisiones, omnino demonstrationesque conficiendas, sit horum vtilius contemplatio: Breuibus enitar tibi tradere ea, quæ a maioribus nostris de his ipsis suscepimus, quasi ingressum quendam tibi ad hæc omnia demonstrando. Atque ab altioribus quidem contemplationibus abstinebo, faciliores autem afferam, quas quidem nunc tibi accommodatas esse coniecto. Continuò an genera quidem & species in rerum sint ratione, an in solis nudis conceptibus collocentur; Et an corporea sint, an expertia corporis; Et vtrum separabilia sint, an in ipsis sensilibus rebus, dicere nunc omittam: Quippe cum altissima sit talis tractatio, & alia maiore indigeat perscrutatione. Vt de ipsis vero cæterisque propositis disserendi modo veteres, horumque maxime Peripatetici tracta vere, recensere, nunc atque ostendere tibi conabor.

In præfationem.

TRIA quædam hac pręfatione breuiter continentur, inprimis autoris institutum. Deinde huius instituti causæ; Denique modus tractandarum rerum. Quod ad institutum attinet, ait Porphyrius; se dicturum de genere, differentia, specie, proprio, & accidente: Causam vero, ob quam de his agere instituat, partim esse, quod horum cognitio ad intelligenda Aristotelis prędicamenta necessaria sit, partim quod ad vniuersam diuidendi, definiendi, ac demonstrandi rationem magnam afferat vtilitatem; Denique tractandi, siue docendi modum breuem fore, facilemque, ac Peripateticæ doctrinæ accommodatum.

cum necessarium sit.] Duobus modis aliquid necessarium esse dicitur, altero simpliciter, id scilicet, quod spectata rerum natura, aliter euenire non potest, ut: Deum esse, hominem esse animal, & alia huiusmodi: Altero ex hypothesi, id nimirum, quod natura rerum considerata aliter euenire potest, sed tamen propter causam aliquam externam necessarium esse dicitur. ut diem esse, hominem cibum capere. Hęc enim non sunt simpliciter & suapte natura necessaria, cum & dies possit non esse, & homo cibum non sumere. At si solem ponas in nostro hemisphærio, ex suppositione huius causæ efficientis necesse est diē esse: Itemque si ponas hominem diu victurū, ex suppositione huius causę finalis necesse est hominē cibum sumere. Vnde colligitur, quędam esse necessaria ex suppositione causæ efficientis, quædam vero ex suppositione fini-

Cæte-

Cæterum ea, quæ necessaria sunt ex suppositione finis, alia sunt necessaria omnino, vt finis acquiratur, quæ dicuntur necessaria ad esse, ut cibus ad vitam diu conseruandam (vita enim conseruari diu nō potest sine cibo.) Alia vero sunt necessaria ad esse, vt melius & facilius finis acquiratur, quæ dicuntur necessaria ad bene esse, quo pacto aliquādo medicamenta ad sanitatem conseruandam, & acquirendā necessaria esse dicuntur. Cognitio igitur quinque vocum necessaria est, non simpliciter, ut satis cōstat, sed ex suppositione finis, nempe si doctrina Aristotelis capessenda est; necessaria inquam, omnino non tantum, ut melius faciliusve acquiratur prædicamentorū doctrina. Itaque est necessaria ad esse. Quod quidem facile probari potest. Nam Aristoteles in prædicamentis sæpe meminit generis, speciei, & differentię, in singulis etiam prędicamentis proprietates, atq; communia singulorum accidentiam pertractat. Igitur, ut Aristotelis prędicamenta. Percipiantur, necessaria omnino est harum quinque vocum cognitio. Non est autem idcirco reprehendendus Aristoteles, quod rem necessariam, ut percipiantur prædicamenta a se tradita, pretermiserit, qui in Topicis late disseruit de his ipsis, ex quo loco depromendam a pręceptoribus voluit qualē cunque huiusmodi vocum cognitionē, tradēdamque discipulis, qui ad Dialectam animū adijcerent.

Quidnam genus.] in his vocibus preponendis seruat Porphyrius ordinem naturæ. Prius enim eas proponit, quę rei essentiam declarant, genus, scilicet, differentiam & speciē; posterius autem eas, quæ significant proprietates, & accidentia, nimirum, proprium, & accidens. potest autem hic ordo, quem Porphyrius seruauit, ordo originis seu generationis appellari Est enim persimilis ei, quem natura seruat in gignendis perficiēdisq; rebus. Natura enim primo loco materiam disponit, in quam deinde recipitur forma; Postea vero ex materia & forma emergit totum compositum, quarto loco ex natura compositi oriuntur proprietates; & postremo adueniunt accidentia extranea. Cum igitur genus respondeat materiæ, differentia formæ, speciés toti composito, proprium proprietatibus, quæ rei naturam sequuntur, ac accidens accidētibus, quæ adesse & ab esse possunt, patet esse hunc ordinem ei persimilem, quem originis appellauimus.

Cumq; ad definitiones.] Docet hoc loco, utilem esse quinq; vocum cognitionem ad definitiones assignandas, ac omnino ad diuisiones, demōstrationesq; cōficiendas, hoc est ad diuidēdi, definiendi ac demonstrandi artem intelligendā, quippe cum in his tradendis sępe earū. Vocū mentio fiat: Etenim multę definitiones traduntur per genus & differentiā, aliæ per genus & proprietatē, aliæ per genus & accidentia, omne autē, quod proprie definitur, aut describitur, est species; Sunt etiā quā plurimæ diuisiones; in quibus hæ voces cernuntur, Interdum enim genus in species diuiditur, interdum per differentias. Aliquando subiectum in suas proprietates distribuitur, & nonnunquam in accidentia. Deniq; medium demonstrationis potissima est definitio essentialis, quæ ex genere & differentia constat, per quā definitionem passio aliqua seu proprietas de specie demonstratur. Accidentia quoque cognoscenda sunt, ut a demonstratione longe remoueantur. Sed quæret aliquis hoc loco, cur Porphyrius non dixerit, harum quinque vocum cognitionem ad hæc tria esse necessariā quemadmodum ad prædicamenta, cum æque necessaria videatur? Huic quæstioni vt respondeamus, animaduertendum est, alio modo requiri cognitionem prædicabiliū ad diuidendum, definiendū & demonstrandū; Et alio ad discenda præcepta recte definiendi, diuidendi, & demonstrandi. Nam ad diuidendum, definiendum, ac demonstrandū utilis tantum est, & non necessaria cognitio prædicabilū, fiunt enim hoc tēpore diuisiones, definit, & demōstrationes a plerisq, Geometris, & Arithmeticis, qui harum vocum cognitione non tenentur. Ad vero addiscenda præcepta diuidendi, definiendi, ac demonstrādi necessaria est omnino cognitio prædicabilium, quemadmodū & ad prædicamenta. Nā in tradendis præceptis diuidēdi definiendi, demōstrandi, sæpe fit mentio generis, speciei, differentiæ, proprij & accidētis, vt ex dictis patet.

Intelligendum est præterea, utile duobus modis accipi posse, altero quidem pro eo, quod ad aliquid agendū conducit, non tamen est omnino necessariū ad esse, quo pacto dicimus, equum utilem esse ad iter faciēdū. Altero vero pro eo, q d expetitur propter aliud, de quo loquitur Aristoteles 8 Eth. c. 2. Siue ad aliud obtinendum necessarium sit, vt dare operam literis si quis euasurus est literatus; Siue non sit necessarium, vt equus ad iter faciendum.

His

His positis dicendum est Porphyrium locutum fuisse de præceptis definiendi, diuidendi, ac demonstrandi, ac quæ necessaria est quinque vniuersalium cognitio, vt ad Aristotelis prædicamenta; accepisseque vtile secundo modo, non dixisse vero ad vtrumque necessariam esse cognitionem quinque vocum, ne nimis propinqua eiusdem vocabuli repetitione vteretur. Quod uero Porphyrius de arte diuidendi definiendi, ac demonstrandi locutus fuerit, ex contextu græco clarius deducitur, vbi ait vtilem esse harum vocum cognitionem ad ea, quæ de definitione sunt, hoc est, ad præcepta capessenda, siue ad artem definiendi comparandam, quod simili modo de cæteris intelligendum voluit.

Aduerte tamen hoc loco, id quod porphyrius hactenus docuit de necessitate, ac vtilitate harum quinque vocum, non de sua tractatione dixisse, vt ex contextu satis apertum est, sed de cognitione earundem vocum absolute & simpliciter.

Breuibus enitar.] Hoc loco tractandi modum porphyrius proponit, polliceturque, se breuiter, & vt institutionis ratio postulat, quæ a maioribus, præsertim peripateticis dicta sunt, expositurum, prætermissurumque obscuriores quæstiones, easque tractaturum, quæ faciliores sunt, at ad sensum popularem magis accommodatæ.

Continuo an genera.] Enumerat nonnullas ex difficilioribus quæstionibus se prætermissurum pollicitus est, quæ quidem de generibus, & speciebus a Metaphysicis excitantur. Prima igitur quæstio est, existantnè genera, aut species in rerum natura, aut potius mente sola intelligantur, cogitenturque veluti figmenta, hoc est, vtrum animal commune & homo communis, & item cæteræ res communes, quæ genera, vel species dicuntur, existant in rerum natura, an potius hoc tantum esse habeant, quod cogitentur, intelliganturque. Secunda est, an genera & species, hoc est res communes, quæ genere, & species appellantur, sint corpora, an non corpora. Tertia, an genera, & species existant in his rebus, quæ sensibus percipiuntur, an potius ab ijs separata cohæreant. Has quæstiones, prætermittit, porphyrius quoniam ad Metaphysicum pertinent: polliceturque iterum, se de generibus & speciebus, cæterisque vocibus tractaturum eas quæstiones, quæ faciliores sunt, magisque Dialecticæ accommodatæ, quæque agitatæ fuerunt a Peripateticis qui Aristotelem ducem secuti sunt. Ne tamen auditorum animus tam diu anceps trahatur, dicemus, quid ad huiusmodi quæstiones respondendum sit. Neque enim res ita difficilis est, vt mediocriter intelligi non possit, præsertim, si prius nonnulla explicauerimus, quorum cognitio non ad præfationem modo, sed ad reliqua etiam quæ deinceps a Porphyrio dicenda sunt, imo ad omnes Dialecticæ partes admodum necessaria est.

Quid sit vniuersale.

QVAESTIO PRIMA.

QVoniam ea, de quibus porphyrius se acturum pollicitus est, sunt uniuersalia, ordo tam naturæ, tum etiam doctrinæ postulat, vt inprimis, quid sit vniuersale, hoc loco explicemus. Vniuersale igitur latissima significatione acceptum multas significationes comprehendit. Quædam enim dicuntur uniuersalia efficiendo, quæ scilicet multa efficiunt, quo pacto ait Aristoteles Deum optimum maximum, supernas mētes, & orbes cœlestes esse vniuersales causas eorum, quæ gignuntur & intereunt, quæ uniuersalia in causando a recentioribus appellantur. Alia dicuntur vniuersalia in significando, quæ multa significant, siue declarant, quo pacto dicimus cometas esse signa vniuersalia morborum, bellorum, & aliorum effectuum. Quo item modo conceptus quidam, voces, & scripta dicuntur nomina in significando vniuersalia, quoniam multa significant quæ propterea dicuntur vniuersalia in significando. Tertia dicuntur illa, quæ vniuersalia in essendo nuncupantur, sed de his quæstione sequente. Postremo ea, quæ de multis communiter enunciantur, vt homo de singulis hominibus, & leo de singulis leonibus, quę vniuersalia in prędicando dici consueuerunt. Cum autem tot modis vniuersale dicatur, de eo tantum disserit Dialecticus, quod de multis communiter enunciatur, de quo quidem nunc agere instituimus.

Vniuersale igitur, hoc pacto acceptum sic definitur ab Aristotele priori libro de interpretatione cap. 5. [Vniuersale est quod aptū est,

est, ut de multis prædicetur], hoc est, vere affirmetur, vt inprimis reijciantur, quæ falso, aut negatiue prędicantur in qua definitione tres particulę continentur, una est, [quod;] altera, [aptum est.] Extrema, [de pluribus.] Quod igitur ad primum attinet verbum, [quod;] innuit in hac definitione aliquid vnum, & nomine, & ratione, ut Aristoteles docet prior. lib. de post resolut. cap. 8. & 2. cum ait, uniuersale esse unum quid non solum nomine, sed etiam ratione, qua particula excluduntur primo complexa omnia, ut homo candidus, animal rationale, & alia huiusmodi, qua ratione complexa sunt, quoniam ut sunt complexa, non sunt unum nomine, sed multis verbis continentur. Excluduntur deinde omnia casu equiuoca, ut gallus & similia, quoniam etsi sunt unum nomine, non tamen sunt vnum ratione. Excluduntur etiam analogia omnia, ut ens, unum, bonum, sanum, & huiusmodi, quoniam vt nullum est analogum, quod habeat essentiam vere, ac simpliciter vnam, sic nullum quod ratione simpliciter una de pluribus dici possit: Quam ob causam Aristoteles negat ea esse uniuersalia multis in locis, ut 4. Metaph. cap. 2. cum ait, ens, & vnum non esse uniuersalia, & eadem in omnibus; Et 1 Ethic. cap. sexto, his verbis: Cum bonum æque atque ens dicatur constat, non esse commune quicquam vniuersale, ac vnum. Non enim in omnibus prędicamentis, sed in uno tantum dicerentur. Dicuntur tamen nonnunquam uniuersalia, & genera, ac species, quia sunt veris uniuersalibus similia, præsertim, quę sunt analoga proportione propria, ut ens, unum, bonum, principium & similia, eo quod ad naturam verorum uniuersalium propius accedant, & interdū illis adeo affinia sint, vt vix ab eis discerni videantur, nec nisi a sapientibus internoscantur.

Hac de causa ait Aristoteles 3. Metaphy. cap. 3. & 4. ens, & vnum esse maxime uniuersalia; Et 4 lib. cap. 2. tot esse species unius quot sunt species entis. Diximus, [præsertim] quæ sunt analoga proportione propria, quia quæ sunt analoga per attributionem tantum, vt sanum respectum animalis, & medicamenti, aut proportione non propria, sed metaphorica, ut ridere comparatione hominis, & prati, rarius uniuersalia dicitur. Ita patet, analoga ea tantum ratione dici uniuersalia, quia ueris uniuersa. hoc est, vniuocis sunt similia. Per eandem definitionis particulam excluditur, mundus, respublica, domus, nauis, exercitus, & alia huiusmodi, eo quod eorum ratio non sit vna simpliciter, quemadmodum neque essentia. Sunt enim entia per accidens, cum sint cōiunctiones quædam vel naturales, vel artificiosæ multorum entium, ex quibus non resultat aliqua natura, essentia ve, cuius ratio sit simpliciter una. Comprahēduntur tamen quodammodo, quia ratio eorum est quodammodo vna.

Quod attinet ad secundam definitionis particulam, illud inprimis animaduertēdum est, idcirco vniuersale non definiri ab Aristotele per actum prædicandi, sed per aptitudinem, vt prædicetur, quia vt aliquid sit vniuersale, non opus est, vt actu prædicetur de pluribus, sed vt prædicari possit. Nam etiam cum de vno solo, aut etiam de nullo prædicabitur, erit vniuersale, si modo habeat aptitudinem, vt de pluribus prædicetur. Illud etiā in hac particula animaduertendum est, duplicem esse prædicationem, vnam naturalem, alteram non naturalem. Prædicatio naturalis ea est, quæ rerum naturæ congruit. Est autem inprimis rerum naturæ consentaneum, vt quælibet res de se ipsa prædicetur, cum nihil omnino verius dicatur de re aliqua, quam ipsamet. Deinde vt id, quod est quasi forma, prædicetur de ea re, quæ velut materia subijcitur. Vnde fit, vt prædicatio naturalis duo genera complectatur, identicam, & directam. Prædicatio identica ea est, in qua prædicatum & subiectum sunt idem omnino, hoc est, re & ratione, vt si dicas, Socrates est Socrates, gladius est ensis. Cæterum huiusmodi prædicatio quemadmodum cuique est obuia, & ideo artis expers, sic non iniuria ab artificibus negligi solet. Prædicatio directa est, in qua id quod est quasi forma, prędicatur de ea re, quæ velut materia subijcitur; Quo pacto genera, & differentiæ, quę in definitione ponuntur, prædicantur, de speciebus, parique ratione species, & differentiæ indiuiddantes, de indiuiduis. Connotatiua etiam de absolutis, aut minus connotatiuis, hoc eodem prędicationis genere dicuntur, vt album de cygno, & simile de albo. Atque hanc solam prędicationem censet Aristoteles 1. post. capit. 18. nomine prædicationis dignam, eamque unam in prędicamentis capit. de substantia, nomine prædica-

dica-

dicationis complectitur, cum ait; a prima substantia nullam dici prædicationem. Prædicatio non naturalis est, quæ rerum naturæ minime congruit. Ea vero duplex est: Vna contra naturam, altera præter naturam. Prædicatio contra naturam siue indirecta, est, in qua id, quod subijcitur, est veluti forma eius, qd prædicatur: Exempla habebis, si directam inuerteris. Præter naturam siue per accidens, est ea, in qua id, quod prædicatur, nec est velut forma eius, quod subijcitur, nec quod subijcitur, eius, quod prædicatur, sed ambo sunt velut formæ vnius, & eiusdem tertij. Vt si dicas, album est dulce est album. Neque enim dulce est forma albi, vt albi, nec contra album est forma dulcis, vt dulcis; sed ambæ sunt formæ vnius cuiusdam communis subiecti, vt lactis, aut seccari. Atque hæc prædicatio, est quasi media inter naturalem & contra naturam.

Cum ergo in definitione dicitur, quod aptum est vt prædicetur, intelligenda est in verbo, Prædicetur, naturalis prædicatio, quæ directam & identicam comprehendit. Proinde hac particula excluduntur omnia, quæ prædicantur, non naturali prædicatione, siue contra naturam dicantur, siue præter naturam, qua nempe ratione sic prædicantur; Vt homo comparatione scientis & ignari, & album respectu dulcis, & amari.

Quod denique ad tertiam definitionis particulam attinet, cum audis vocem, De pluribus, accipe comparatiuum propositiuo, quasi dictum sit, de multis, Intellige etiam nomine plurium, plura secundum idem commune nomen, quod rem vniuersalem significare dicitur. Hac de causa Deum Opt. Max. non dicimus esse aliquid vniuersale, quoniam etsi potest de pluribus diuinis nempe tribus prædicari, non tamen tres illæ personæ sunt plures secũdum illud nomen Deus, neque enim licet dicere tres personas diuinas esse plures Deos. Denique hac particula excluduntur omnia singularia, qua ratione prædicantur directe, vt hoc album, de Socrate, vel idẽtice, vt Socrates de se ipso. Nulla enim res singularis est, quæ possit prædicari de pluribus, vt nos vocem, de pluribus, exposuimus, quanquam alio modo prædicari de pluribus possit.

Qua vero ratione singularia prædicantur non naturali prædicatione, hoc est, contra naturam, vel præter naturam vt Socrates de hoc albo, aut hoc album, de hoc dulci, per superiorem definitionis particulam reiecta sūt. At vero homo in commune est quippiam vniuersale, eo quod est vnum nomine, & ratione, quod de multis hominibus, vt Socrate & Platone, prædicari potest naturali prædicatione.

Alteram vniuersalis definitionem tradit Aristoteles lib. 7. Metaph. cap. 13. hoc modo; Vniuersale est, quod aptum est, ut in pluribus insit, nimirum per modum alicuius identitatis. Quæ definitio ex superiore plane colligitur. Nam cum nihil uere affirmetur de aliquo, nisi aliquo modo sit idem cum eo, (tunc enim aliquid affirmamus, cum dicimus, id quod subijcitur, esse id, quod prædicatur, ut si quis dicat, Socrates est homo, Socrates est candidus,) efficitur, ut si uniuersale est aptum, ut de pluribus uere affirmetur, necessario etiam sit aptum, ut in pluribus insit, per modum alicuius identitatis, alioquin de pluribus uere affirmari non posset. Ex quibus patet, hanc definitionem ea ratione differre a priori, quod prior tradatur per effectum, posterior per causam. Nam quia Socrates est homo, idcirco uere affirmamus Socratem esse hominem; Et sic res habet in cæteris, iuxta illud peruulgatum dictum Aristotelis in prædicamentis cap. quinto, & 11. [qua res est, aut non est, idcirco oratio uera, aut falsa dicitur.

Posterior igitur uniuersalis definitio cum solo uerbo, [Insit,] differat a superiori, sic intelligenda est, ac si apertius dicas; Vniuersale est, quod secundum idem nomen, eandemque rationem aptum est, ut secundum naturam insit in pluribus, quæ plura dicantur secundum appellationem eius nominis, quod rem uniuersalem significare dicitur; Insit, inquam, per modum identitatis, siue ea sit essentialis, quo pacto homo est idem cum Socrate, siue accidentaria, quo pacto candidum est idem cum cygno. Quid autem sit huiusmodi identitas, non opus est hoc loco curiosius inuestigare, satis sit, ab effectu eam intelligere, & describere hoc modo, illud est idem cum aliquo, quod de eo uere affirmatur, quo pacto se habet homo ad Socratem, & candidum ad cygnum.

Sed quæret aliquis hoc loco, quidnam in utraque uniuersalis definitione potissimum definiatur, utrum ipsa uniuersalis relatio, an res quæ vniuersalis denominatur, an for-

fortaſſe aliud quippiam præter hæc : Ad hanc dubitationem dicendum eſt, in traditis definitionibus definiri uniuerſalis relationem in concreto ſignatam,non tamẽ per ea, quæ eſſentialia ſunt, ſed per ſuum fundamentum quod latius cap. de genere dicemus.

Sintne vniuerſalia res, an nomina duntaxat.

QVAESTIO SECVNDA.

SEcundo loco inueſtigandum eſt, vtrum vniuerſalia ſint nomina ipſa, an vero res, quæ nominibus ſignificantur, in qua quidem quæſtione omnes philoſophi conſentiunt, tãta eſſe nomina vniuerſalia, quæ eadem ratione de multis rebus dicantur,vt ſunt vox homo,vox leo &c. Verum magna exiſtit controuerſia, num præter nomina vniuerſalia ponẽdæ ſint res vniuerſales, quæ nominibus vniuerſalibus proxime ſignificentur, an ſola nomina dicantur vniuerſalia, quod æque multas res ſingulares proxime ſignificent, exempli cauſa, vtrum præter vocem homo detur homo communis, qui proxime voce hominis ſignificetur, an vero non detur homo communis, ſed ſola vox homo dicatur homo vniuerſalis, quod æque atq; proxime ſingulos homines ſignificet, & ita in cæteris.

Hac igitur in tres feruntur ſententiæ duę extremæ,& vna quaſi media,quæ & vera eſt, & Ariſtotelica. Prima creditur Platonis, qui ab Ariſtot.ſæpiſſime dicitur,aſſeruiſſe, nomine vniuerſalia rerum corporearum ſignare quaſdam res uniuerſales ſeparatas a rebus ſingulis, æternas,atque immutabiles. Quas Ideas vocabat, verbi cauſa hanc vocem, homo ſignare hominem communem ſeiunctum a ſingulis hominibus, & hanc vocem, leo, ſignare leonem communem ſeparatum a ſingulis leonibus, & ſic cętera: Quas ideas, ſi vera ſunt,quæ Ariſtoteles refert,dicebat Plato eſſe eſſentias. quidditateſve rerum ſingulariũ. Ratio vero, qua potiſſimum ductus videtur, vt haſce ideas eſſe putaret,hęc fuit;quoniam alioqui de rebus corporeis, materiave conſtãtibus nulla poteſt haberi ſcientia; nam nulla res mutabilis cadit ſub ſcientiam, (alias mutare, mutaretur ſcientia, quod fieri non poteſt.) Sed omnis res corporea,ſeu materia cõſtans mutabilis eſt;Ergo nulla cadit ſub ſcientiam. Atqui conſtat, ſcientiam de rebus corporeis haberi,vt de homine;Ergo oportet earum naturas ſeparatas exiſtere, atque adeo corruptioni non ſubiectas,vt de his poſſit eſſe ſcientia.

Hæc tamen ſententia, quæ a multis creditur eſſe Platonis, vt alio loco dicendum eſt, adeo abſurda eſt, vt impugnatione egere nõ videatur.

Paucis tamen ſic refelli poteſt: Nullum ſingulare poteſt eſſe cõmune pluribus,ſed idea, verbi gratia hominis,ſi ſeparata exiſteret,res quædam ſingularis eſſet. Ergo non poſſet eſſe communis multis, atque adeo neque vniuerſalis maior patet, quia id eſt ſingulare,quod de pluribus dici non poteſt.

Præterea multo interiora ſunt vnicuique rei ea,quæ ad eſſentiam eius pertinent,quam eius accidentia, vt apertiſſimum eſt. At quia accidentia rerum corporearum exiſtunt in eis ipſis; Ergo maiori cum ratione exiſtunt in eis vniuerſalia, quæ ad eſſentias earũ pertinent, quare non ſunt ab eiſdem ſeparata; Alibi tamen hæc res diligentius tractabitur.

Altera opinio eſt quorundam philoſophorum, qui quia nominibus multum tribuunt, nominales appellantur; Hi arbitrantur,nomina vniuerſalia num ſignificare rem aliquam communem a rebus ſingularibus ſeparatam, vt ſuperior opinio docebat, nec in rebus ſingularibus exiſtentem; Quapropter ſola nomina eſſe vniuerſalia, quæ æque & immediate ſignificent multa ſingularia, vt vocem homo ſingulos homines, & leo ſingulos leones. Itaque dicũt,ſola nomina, ea præſertim,quæ ſunt in mente, eſſe genera, ſpecies,differentias propria & accidentia; Ea ſola ad æquale definiri; De his ſolis fieri primo,& ad æquale demonſtrationes, & alia pleraque,quæ ex his conſequuntur.

Hanc tamen opinionem fuſius explicant nominales. Hæc opinio fuit olim Heracliti & ſectatorum eius, vt Plato in fine Cratyli refert,itemque Anthiſtenis,Epicureorum,& antiquorum quorum, quorundam Scholaſticorum,quia Magn. Albert.& D.Thomas nominales appellãtur. Verum Guilliermus Occamus Scoti diſcipulus, quia horum ſectam iam pene conſepultam exſuſcitauit, atque inſtaurauit inceptor huius viæ apud recentiores appellatus eſt,& quaſi caput nominalium haberi cœpit. Hic igitur multis rationibus

ſuam.

ne, homo, quæ omnibus æque conuenit, & aliquo modo a singulis distinguitur, quam dicimus naturam uniuersalem, potest etiam hæc eadem huius pronunciati pars ex Aristotele pluribus argumentis confirmari. Nam priori de interpreta. capit. 5. ait, rerum quasdam esse singulares, quasdam vniuersales, quo nihil dici potuit apertius contra Nominalium sententiam. Deinde primo lib. de poster. resolut. cap. 2. docet uniuersalia esse notiora singularibus itemque uniuersalia intellectu cognosci, ut singularia sensu; & cap. 7. eiusdem libri, neque definitionem, neque demonstrationem esse de singularibus, sed de uniuersalibus, quæ eadem docet esse perpetuo. Hæc autem, vt perspicuum est, non de nominibus dicuntur sed de rebus. Præterea lib. 7. cap. 13. & cæteris, disputans Aristoteles cum Platone, non reprehendit hominem, quod posuerit res uniuersales, sed quia eas posuerit a singularibus separatas; cum reuera in singularibus existant. Vbi si Aristoteles credidisset, sola nomina esse uniuersalia, non ita sane Platonem obiurgasset, quippe cum nomina uniuersalia non existant in rebus singularibus, quas significant: sed potius sint ab ijsdem separata. Quo fit, ut Aristoteles ea disputatione Nominales simul cum Platone impugnauerit.

Alterum pronunciatum est huiusmodi: Res uerius, quam nomina uniuersalis rationem participant. Quod ex priori uniuersalis definitione, facile suadetur. Nam prædicari est uere & affirmatiue de aliquo enunciari; sed in prædicationibus uoces non enunciãtur de uocibus; Ergo res sunt, quæ de uocibus enunciantur, ac proinde, quæ uerius quam uoces prædicantur. Minor probatur, quia alias falsæ essent propositiones hæ; Socrates est homo, homo est animal.

Constat enim uocem, Socrates, non esse vocem animal, & ita in cæteris. Multo autem planius hoc ipsum suaderi potest ex posteiori uniuersalis definitione. Nam uniuersale altera definitione dicitur id, quod aptum est, ut in pluribus insit, per modum identitatis; nomina uero inesse non possunt per modum identitatis in ijs rebus, quarum comparatione dicuntur uniuersalia, nisi ratione rerum quas significãt, igitur iuxta posteriorem definitionem, nõ dicuntur nomina uniuersalia, nisi ratione rerum uniuersalium.

Reliquum est, ut soluamus rationes primæ, ac secundæ opiniones. Ad argumentum ergo pro opinione Platonis, dicendum est, ex eo quod Ideas tollamus, non sequi, scientiam haberi posse de rebus corporeis. Et ad rationem, qua id confirmabatur respondetur distinctione maioris. Si enim sensus sit res mutabiles per accidens non cadere sub scientiam, neganda est maior. Si uero intelligat res mutabiles per se non cadere sub scientias, concedenda est; Hoc enim differunt indiuidua, uerbi causa, Socrates, hic leo, a naturis communibus uerbi gratia, homine, leone, quod illa per se primum generantur, corrumpuntur, & deniq; reliquis alterationibus subijciuntur, ut alio loco dicemus: Hec uero nullum horũ per se primo habẽt, sed ratione suorum indiuiduorum: Atq; adeo nõ est, cur de his scientia haberi non possit.

Vt autem respõdeamus ad rationem Nominalium: animaduertendum est, omnia, quæ in rerum natura existunt, esse singularia, alio tamen atque alio modo. Quædam enim sunt singularia per se, quædam per accidẽs. Singularia per se ea sunt, quæ ex differentijs indiuiduantibus constituũtur, ut Socrates, & Plato, & ut uno uerbo dicam omnia quæ primo, & immediate nominibus singularibus signantur. Singularia per accidens ea sunt, quæ ex differentijs indiuiduantibus minime constituuntur, ut homo animal, & quæcunque primo, & immediate nominibus uniuersalibus signantur. Hæc enim singularia non sunt, nisi ratione singularium per se, in quibus existunt. Iamuero ea, quæ per se sunt singularia, neque ut existunt in rerum natura, neque, ut concipiuntur ab intellectu, neque alia quauis ratione possunt esse uniuersalia; Quæ vero singularia sunt per accidens, etsi, ut existunt in rebus per se singularibus, non sunt vniuersalia, sunt tamen alia ratione talia, ut nempe intellectui modo quodam obijciuntur, ut quæstione quarta manifestum fiet. His ergo positis, respondetur ad obiectionem distinctione antecedentis. Si enim nomine singularis intelligatur singulare per se, cõcedendũ erit antecedens, sed neganda consequentia, ut

planum est; Si vero intelligatur singulare siue per se, siuè per accidens, omnino negandum est antecedens.

Neque enim est incommodum, vt eadē res simul sit singularis per accidens, & vniuersalis esse possit. Ad probationem vero eiusdem antecedentis respondendum est, rem, quæ est singularis per se, non posse esse unam in multis, at vero, quæ est singularis per accidens, posse esse vnam in multis. atque adeo vniuersalem. Quod autem ostēdi videbatur, omnem rem esse singularem, probat duntaxat omne id, quod in rerum natura existit, esse singulare, vel per se, vel certe per accidens.

Ad confirmationem vero ex Aristotele desumptam dicēdum est, in 7. lib. Metaph. non ideo Aristotelem dixisse, genera, & species primarum substantiarum non esse substantias, quia crediderit eas esse nomina, sed in eo sensu id protulisse, quo illa a platone substantiæ dicebantur, hoc est, non esse substantias a rebus singulis separatas, vt Plato asserebat.

Ad alteram confirmationem dicendum est, Aristotelem eo loco nihil aliud voluisse, quam secundas substantias, hoc est, nomina secundarum substantiarum signare quale aliquid, quemadmodum eodem loco docuit, primas substantias, idest, nomina primarum substantiarum signare hoc aliquid.

Vtrum res sint vniuersales nulla interueniente intellectus actione, nec ne.

QVAESTIO TERTIA.

Pars affirmatiua huius quæstionis sic potest in primis suaderi. Primo, vniuersale est id q aptum est esse ita multis; Atqui homo, verbi causa ante operationem intellectus est aptus, vt sit in multis; Ergo ante operationē intellectus est vniuersalis. Maior patet, cum ea sit definitio vniuersalis.

Minor vero probatur, quia homini, quatenus homo est non repugnat, vt sit in multis (alioqui nullo modo in multis esse posset, & proinde nunquam esset vniuersalis.) Habet ergo homo, quatenus homo non repugnantiam, vt in multis insit, & ex consequenti aptitudinem, quæ nihil aliud est, quam hæc non repugnantia. Id autē quod res sibi vendicat, quatenus talis conuenit ei absque operatione intellectus ergo homo ante operationem intellectus est aptus, vt in multis insit.

Secundo, id quod est vnum in multis, est vniuersale, sed homo ante quamcunque intellectus operationem est vnus, nam omne ens est vnum, & præterea est in multis, vt in Socrate, & Platone; Igitur seclusa operatione intellectus est vniuersalis.

Tertio, actus, quo res est in multis, conuenit rebus, vt homini, & animali, ante operationem intellectus; Ergo aptitudo ad eiusmodi actum ante intellectus operationem eisdem conuenit. Sed quæ habent huiusmodi aptitudinem sunt vniuersalia, vt ex definitione vniuersali, colligi potest; Ergo res ante intellectus operationem sunt vniuersales.

Vt huic quæstioni faciamus satis, in primis animaduertendum est, eam non excitari de rebus, quæ primo, & immediate signantur, per nomina singularia, nam cum res huiusmodi sint per se singulares, vt superius diximus, nec ante, nec post quamcunque intellectus operationem vniuersales esse poterunt. Excitatur ergo de rebus primo, & immediate per nomina vniuersalia signatis, vt de homine, & animali. Animaduertendum est deinde ex Caietano in libro de ente, & essentia, capit. 4. in re vniuersali tria reperiri, vnum est vniuersalis, quæ est relatio quædam rationis, qua vniuersale ad particulare refertur, & quam solam formaliter significat, in concreto, vt candidum solum candorem formaliter significat, concretè.

Alterum est fundamentum vniuersalitatis, nēpè aptitudo siue non repugnantia, qua res aptæ sunt, vt in pluribus insint. Postremum est res, quæ denominantur vniuersalis, vt homo, animal, atque huiusmodi res vocari solet res substrata vniuersalitati, neq; signatur formaliter nomine vniuersalis sed tamen connotatur, quo pacto corpus quod est candidum, non signatur formaliter nomine candidi, sed tantum connotatur, & innuitur tanquam subiectum candoris. Porro ea, quæ dicuntur substrata vniuersalitati, denominantur vniuersalia, formaliter quidem ab ipsa vniuersalitate, ab aptitudine vero non nisi, vt a fundamento; quēadmodum res dicuntur similes, formaliter

liter quidē ab ipsa similitudine;a qualitate vero tanquā a similitudinis fundamēto.

Tertio loco intelligendum est,res easdē nominibus communibus proximè signatis tribus modis spectari posse; vno quidem, quatenus coniunctæ sunt cum differentijs indiuiduantibus, cum quibus in rerum natura contractæ existunt;Secundo quatenus absque differentijs contrahentibus per aliam quam ipsarum similitudinem intellectui offeruntur,& repræsentantur: Tertio secundum earum naturas, hoc est,nulla habita ratione coniunctionis differentiarum, aut repræsentationis absque illis,seu,quod idem est, pro vt præscindunt ab existentia siue reali, siue obiectiua. Illud porro certissimum est, res primo modo acceptas non posse de multi prædicari, quæ namque aptitudinem habent, vt de multis prædicentur, ea necesse est determinata esse ad multa. At res, vt differentijs indiuiduantibus est contracta,ad vnum tantum determinata est; Vt natura humana existens in Socrate, est determinata ad Socratem, quoniam per Socratis differentiam informata est, & contracta. Ergo rebus primo modo acceptis non potest conuenire hæc aptitudo, qua dicantur aptæ, vt de multis prædicentur aut in multis insint. Verum de qua aptitudine hæc ratio intelligenda sit, in solutione argumentorum patebit. Illud etiam certissimum est, rebus secundo modo cousideratis aptitudinem hanc accommodari. Nam propterea rebus primo modo spectatis non conuenit, quoniam ea ratione sunt vni tantum ad dictæ. Cum igitur res secundo modo spectatæ, his differentijs sint liberatæ, cum absque his repræsententur, reliquum est, vt res secundo modo sumptæ huiusmodi aptitudinem sibi vendicent Controuersia igitur tota est vtrum res tertio modo acceptæ, vt nimirum præscindunt ab existentia siue reali, siue obiectiua, habeant aptitudinem, vt de multis prædicentur. Atque hunc sensum efficit quæstio hoc loco excitata,quanquam alius etiam sensus esse possit, vtrum huiusmodi rebus conueniat relatio vniuersalis ante intellectus operationem.

Quarto loco animaduertendum est,cum hac aptitudine,qua res aptę sunt,vt in multis insint, coniunctam esse necessario aliam aptitudinē, qua res vniuersales aptæ sunt, vt de multis prædicentur, quæ aptitudo cum sit quasi proprietas illius prioris, ita ad eam affecta est,vt aut vtraque, aut neutra ab intellectus operatione pendeat. Quapropter quicquid de illa in hac quæstione dictum fuerit, de hac etiam dictum esse intelligendum est; Quod autem hæ aptitudines diuersæ sint, ex eo patet, quia actus earum distinguuntur: Actus enim prioris est esse in pluribus, vt hominem in Socrate, & Platone, per modum identitatis; Actus autem posterioris est prædicari de pluribus,qui in illo priori fundatur. His ita explicatis, tribus assertionibus huic quæstioni satis faciendum est.

Prima est huiusmodi: Res ante intellectus operationem, non sunt vniuersalitate affectæ,in qua quidem nemo est qui dissentiat. Cum enim vniuersalitas sit relatio quædam rationis, quam res beneficio intellectus consequuntur, vt omnes fatentur; constat res ante intellectus operationem non esse vniuersalitate affectas.

Secunda assertiō: Rebus tertio modo acceptis ante intellectus operationem conuenit aptitudo, quæ non excludit determinationem ad vnum, quæ aptitudo remota, siue remotum fundamentum vniuersalis dicitur. Probatnr primo hæc assertio, quia res tertio modo sumptæ sunt in multis ante operationem intellectus; Ergo ante operationem intellectus habent aptitudinem, vt sint in multis. Consequentiam manifesta est, cum sit ab actu ad apaitudinem,sicut, homo est albus,ergo habet aptitudinem,vt albus. Secundo, quia res tertio modo sumptæ, vt scilicet præscindunt ab existentia siue reali siue obiectiua, non habent repugnantiam, vt sint in multis. Ergo habent non repugnantiam, quæ nihil est aliud quam aptitudo. Consequentia est optima,ut latius patebit in solutione ad primum.

Tertia assertio. Rebus tertio modo sumptis non conuenit ante operationem intellectus illa aptitudo,quæ est proximum fundamentum vniuersalitatis. Quæ assertio suadetur hoc modo. Aptitudo, quæ proximum uniuersalitatis fundamentum dicenda est, aptitudo est excludens determinationem ad unum (quæ quidem appellari potest aptitudo præscindens.) Hæc autem non conuenit rebus ante operationem intelle-

tellectus. Rebus igitur ante operationem intellectus non conuenit ea aptitudo quæ proximũ fundamentum uniuersalitatis dicenda est. Maior ostenditur quoniam singulare, vt tale, est determinatũ ad vnum, vniuersale igitur cum opponatur singulari, ita est aptum esse in multis, vt excludat determinationem ad vnum: Ergo fundamentum vniuersalitatis debet esse aptitudo præscindens. Minor etiam probatur, quoniam etsi rebus tertio modo sumptis absque intellectus operatione conueniat aptitudo, vt in multis insint, non tamen ita conuenit, vt eo modo sumptæ excludant determinationem ad vnum, quod conuenit rebus secundo modo spectatis, vt nempe sine differentijs inferiorũ in mente repræsentantur: Aptitudo igitur, quæ fundamentum est vniuersalitatis, rebus non conuenit ante operationem intellectus. Vt autem ad argumenta initio proposita respondeamus animaduertendum est, duobus modis posse accipi particulam, [per se,] altero, vt [per se] idem valeat, quod propter suam essentiam, quo pacto nulla res sibi vendicat per se aliquo attributum, nisi illud, aut ad essentiam pertineat; aut ex ea profluat: Hoc modo vtitur Aristoteles verbis [per se,] in lib. post. resol. cap. 4. cum ait, omnem demonstrationem constare ex ijs, quæ sunt per se: At vero altero ita, vt illud [per se] idem valeat, quod non per aliud, quo pacto idem ait. 1. Metaphysic. singularia, vt Socratem, & Calliam, agere aliquid per se, aut pati: Vniuersalia vero, vt animal, agere aut pati per accidens, vt per Socratem, aut Calliam: Quæ eadem distinctio intelligi debet in verbis quatenus tale est secundum se, & in cæteris eiusdem significationis, atque acceptis his particulis in priori significatione rarissimum est: id, quod ait Aristoteles 1. de post. resol. nempe quicquid alicui conuenit quatenus tale est, seu per se, conuenire etiã omnibus sub eo contentis.

Ad primum igitur argumentum concessa maiore, neganda est minor, & ad probationem dicendum est, hanc consequentiam esse bonam: Homo non habet repugnantiã, vt sit in multis, ergo habet nõ repugnantiã vt in multis insit: At vero addita illa reduplicatione, quatenus homo est, distinguendam esse: Nam si illud, quatenus homo sumitur ita, vt idem valeat, quod per se, priori significatione superius explicata, vitiosa est consequentia, quemadmodum si diceres homo non est per se albus, ergo est per se non albus, (vbi plane vides antecedens verum, & consequens falsum) si vero illud, [quatenus homo,] sumatur posteriori significatione, [per se,] quemadmodum si dicas, non per se aliud, bona est consecutio, recteque colligitur, hominem habere, ante intellectus operationem, aptitudinem, non tamen illam, quæ est vniuersalitatis fundamentum, vt patet ex tertia assertione; Qua propter res non sunt vniuersales ante operationem intellectus.

Pro solutione secundi argumenti notandum est; duplicem esse vnitatem, alteram transcendentem, alteram vero quæ præcisionis dicitur. Vnitas transcendens est, quæ rebus omnibus, quatenus entia sunt, conuenit. Vnitas autem præcisionis est, quam tunc res habet, quando in mente per aliquam ipsarum similitudinem, absque differentijs inferiorum repræsentantur. Quãdo enim natura, quæ diuisa, & multiplicata erat ratione differentiarum, cum quibus in suis inferioribus conjuncta est, absque illis intellectui repræsentatur, indiuisa relinquitur, & ex consequenti vna. Illud n. quod per multas differentias diuisum non est, qua ratione sic diuisum non est, vnum appellamus, hac vnitate præcisionis. Dicitur autem huiusmodi diuisio vnitas præcisionis, quoniam fit ab intellectu præscindente naturam ab huiusmodi differentijs. Duplex autem est discrimen inter huiusmodi vnitates, alterum, quod illa rebus omnibus absque intellectus operatione conuenit: (Hæc vero non nisi per operationẽ intellectus in solis naturis vniuersalibus reperitur) Alterum est, quod illa cum ipsa natura in indiuiduis multiplicata reperitur, vt docet Caietanus in Tho. lib. de ente, & essentia c. 4. Hæc vero excludit multiplicationem numeralem.

His præhabitis ad secundum argumentum, concessa maiore, distinguenda est minor. Si enim intelligat, hominem esse unũ ante operationem intellectus vnitate præcisionis neganda est minor: Si uero loquatur de vnitate transcendente, concedenda. Hæc tamen non sufficit, ut aliquid sit uniuersale, cum non excludat determinationem ad vnum ut patet ex dictis.

Ad tertium argumentum dicendum est, vt rebus conuenit actus, ita & aptitudinem ad talem actum. Quapropter quia res ante operationem intellectus est in multis, non tamen eo pacto, vt sit vna vnitate præcisionis, quæ ad naturam vniuersalem requiritur. His accedit, quod natura ante intellectus operationem non habet aptitudinem illam præscindentem, quam in tertia assertione proximum vniuersalitatis fundamentum esse docuimus.

Quo pacto res fiant vniuersales actione intellectus.

QVAESTIO QVARTA.

QVONIAM res, quæ nominibus communibus proxime significantur, non nisi beneficio intellectus vniuersales redduntur, vt superiori quæstione docuimus, necessariū est, vt, quo pacto id fit, hoc loco explicemus. Est igitur in primis animaduertendum, res eas de quibus superior quæstio excitata est, non nisi singulares existere in rerum natura, (existunt enim cum differentijs indiuiduantibus coniunctæ.) Ac proinde non ante vniuersales esse posse quam ab ijs differentijs exsoluantur, & quasi liberentur. Detracta enim differentia indiuiduante, quæ naturam hominis in Platone existentem propriam soli Platoni esse faciebat, necesse est, vt ea natura indifferens ad plura indiuidua vniuersalisque relinquatur.

Deinde intelligendum est, abstrahere, vt ipsum vocabulum declarat, nihil aliud esse, quam separare aliquid ab aliquo, cum quo est coniunctum. Est autem duplex separatio vnius ab altero, vna fit reipsa, ita vt post separationem vtrumque seorsum relinquatur, vt cum aurum è terra, & pisces è fluuio extrahuntur. Altera fit cognitione, quæ duplex est; Altera cum negamus vnum de altero, vt si quis dicat candorem non esse in niue; Altera, cum percipimus vnum nō habita ratione alterius, aut cum unum repræsentantur, altero non repræsentato; vt si quis animo concipiat niuem, non concipiendo interim quod frigida sit, aut si intellectui natura niuis repræsentetur, non repræsentato candore.

Itaque triplex est abstractio, vna realis, altera negationis, tertia præcisionis seu præcise perceptionis, seu repræsentationis. Naturæ igitur vniuersales abstrahuntur a differentijs indiuiduantibus, aut etiam a differentijs rerum minus vniuersalium, quibus contractæ sunt, non abstractione reali, nec negationis, sed præcisionis: non quidē reali, quoniam alioquin darentur vniuersalia illa, Platoni ab Aristotele ascripta; quorum supra mentionem fecimus, quæ quidē nullo pacto dari possunt; Nec etiam negationis, quoniam hæc semper est falsa, cum neget id esse coniunctum cum altero, quod reuera coniunctum est: Abstrahuntur ergo abstractione præscindēte, quoniam res vniuersales non pendent secundum suas essentias a particularibus, nec proinde ab ipsarum differentijs, per quas vltimo constituūtur, vt apertum est. Quapropter percipi possunt, atque repræsentari, non perceptis, nec repræsentatis simul particularibus, aut differentijs, quod quidem est abstrahi ab ipsis abstractione præcisionis, quæ conceptio non est falsa; Cum enim res communes ita percipiuntur, non iudicantur aliter existere, atque existunt (intellectus enim hoc conceptionis genere nihil affirmat, aut negat.) quæ coniunctæ existunt concipiuntur quidem, sed non coniunctæ, quemadmodum ex eo, quod oculus in lacte videat candorem, non percepta dulcedine, non sequitur, candorem non esse in lacte, cum dulcedine coniunctum.

Tertio loco animaduertendum est; tria in nobis esse virium siue potentiarū genera, quibus res ipsas agnoscimus, sensus externos, qui satis vulgati sunt; Sensus internos, quos nomine phantasiæ hoc loco comprehendere possumus, & intellectum. Cæterum his virtutibus nihil cognoscimus (vt est fere omnium philosophorum sententia) nisi prius quasdam earum rerū, quæ cognoscendæ sunt; similitudines recipiamus, quæ tum qualitates, tum species intentionales vocantur: sensibiles, aut intelligibiles, in sensibus quidem, sensibiles; in intellectu, intelligibiles, quęque in sensibus internis peculiaris nomine idola, siue phantasmata, hoc est, visa, & spectra nuncupantur.

Quarto loco animaduertendum est ex Aristo. 3. de anima, cap. 3. duplicem esse intelle-

ellectum: agentem unum, alterum patiente. Munus agentis est, simul cum phantasmate species intelligibiles producere. Patientis uero est, eas in sese recipere, ac per eas intelligere. Cum enim phantasmata in parte corporea recipiantur, nempe in quadam cerebri parte, ut Physici ostendunt, vbi residet phantasia, ac proinde crasse cuiusdã, & imperfectę naturę sunt: Species uero intelligibiles, cum intellectu recipiãtur, qualitates quędam sint spirituales, & ex consequente illis nobiliores; efficitur, ut phantasmata sola non possint species intelligibiles in intellectu producere, quippe cum nullum agens minus nobile possit absque alterius pręsidio effectum se nobiliorem producere.

Hac igitur de causa ab Aristotele, cęterisq; philosophis ponitur intellectus agens cui hoc munus dederunt, ubi phantasmata iuuaret in productione speciei intelligibilis. Porro intellectus agens, & phantasma nunquam producunt speciem intelligibilem rerum singularium, sed solum uniuersalium, ut est sententia D. Thom. ut in lib. 3. de anima latius explicandum est. Idcirco autem non producunt species intelligibiles rerum singularium: (cum tamen phantasmata similitudinesque in sensibus externis receptæ res ipsas singulares ostendant) quoniam videtur animæ nostræ nobilitati obsistere, quod rerum singulariũ permanentes species quemadmodum sensus recipiat; Est enim concedendum: tot species rerum singularium ad intelligendum esse necessarias, quot sunt indiuidua earum rerum, quæ in sensum cadunt, quod imperfectionem denotat. Quo enim intellectus præstantior est: eo per pauciores species, plura percipere potest. Magis ergo consentaneum est animi nostri dignitati, vt solas habeat species rerum vniuersalium permanentes, quibus non solum vniuersalia, sed singularia intelligere queat, vt animaduertit Ferrariensis 1. contra gentes cap. 6.

His tamen nihil obstat, quod intellectus rerum singularium proprios conceptus habeant: cum non sint permanentes qualitates: sed tam diu durent, quam diu res ipsæ singulares, ab intellectu percipiuntur.

Præterea cum intellectus humanus medium locum habeat: inter angelicum intellectum, & sensum, atque angelicus intellectus tales similitudines habeat: quæ res vniuersales, & singulares seorsim declarent, sensus vero eas percipiat, quibus res tantũ singulares significantur, reliquum est, vt intellectus noster eas tantum similitudines ex rebus accipiat, quæ solas res vniuersales ostendunt.

Cum igitur hæc ita se habeant, facile erit intueri, quonam pacto res, quæ per accidens singulares existunt, vt homo, animal vniuersales efficiantur. In primis enim necesse est, vt eius natura, quæ vniuersalis facienda est, per aliquod indiuiduum alicui externo sensui occurrat, & in eo aliquam sui speciem imprimat. Deinde, vt huiusmodi sensus interiori denunciet, quid perceperit, producendo nimirum in phantasiã, per speciem acceptam a re externa aliam quandam speciem internam phantasmave eiusdem rei. Postea intellectus agens, quasi per fulgidum lumen cum phantasmate concurrit ad productionem speciei intelligibilis in intellectum passibilem; non multo secus, atque lumen solis cum colore obiecto producit in aspectum, seu potentiam videndi similitudinem rei, quam videmus. Species vero intelligibilis, quę hoc modo imprimitur intellectui, cum præcipue ab intellectu agente producta sit, & recepta in intellectum passibilem, ex nobilitate harum causarum habet, vt repræsentet sine differentijs indiuiduantibus rem illam eãdem, quam phantasma crasso modo ostendebat; atque hoc modo species infima abstracta relinquitur.

Reliquæ vero naturæ superiores beneficio intellectus patientis a suis particularibus abstrahuntur. Cum enim intellectus patiens informatus similitudinibus specierũ infimarum, ipsarum species inter sese comparat, elicit conceptum alicuius attributi, quod prædictis speciebus commune sit, vt si homo communis, & equus communis apprehendantur ab intellectu. Deinde eisdẽ comparatis inter sese, (quia adhoc quod homo sit tale quoddam animal nimirum rationis particeps: equus vero sit tale aliud animal, nempe rationis expers, relinquuntur differentiæ, quibus illi differunt) efformetur conceptus animalis, in quo conueniunt; tunc abstrahetur animal ab homine, & ab equo, atque adeo a cæteris animalibus. Iam enim tales conceptus animalis repræ-

repræsentabit animal sine differentijs specificis, quibus in hominem, & equum diuiditur: eodemque modo res habet in abstrahendis alijs rebus, magis vniuersalibus, ac minus vniuersalibus.

Animaduertendum est tamen, aliquando abstractionem vniuersalium nō fieri per comparationem multorum singularium, siue minus vniuersalium; ex vno enim singulari potest abstrahi vniuersale: & ex vno minus vniuersali aliquando magis vniuersale: Verbi gratia, a solo Socrate potest homo abstrahi, & a solo homine animal, & a solo animali, viuens, & sic res habet in cæteris. Cum enim repræsentato Socrate in intellectu possimus concipere ipsum esse hunc hominem, relicto hoc, quod sit hic, poterimus formare purum conceptum hominis: eodemque modo cum repræsentato homine communi in mente possimus concipere, ipsum esse animal rationis particeps, poterimus formare purum conceptum animalis, vnde non ideo diximus, abstractionem fieri per comparationem inferiorum, quia semper ita fiat, sed quia frequentius ita fieri soleat; Nunquam tamen certo, & ex vi huius abstractionis, quæ non fit per comparationem, intelligimus abstraxisse nos naturam magis vniuersalem a minus vniuersali; nam sit nulla essent animalia præter homines, & quis ex conceptu communi hominis formaret conceptum animalis, neutiquam hac ratione sciret abstraxisse se ab homine etiam naturam communiorem; siquidem, ex vi talis abstractionis, merito dubitare posset; num animalis natura esset superior homine, an reciprocaretur cū homine; Quo circa primi illi, & rudes adhuc Philosophi; qui nullas substantias, præter corporeas, arbitrabantur; etsi abstrahebant a substantia corporea conceptum substantiæ; tamen non credebant, sed abstraxisse conceptum communioris naturæ; sed existimabant substantiam, & corpus reciprocari inter se.

Illud etiam sciendum est, quod etiam si prima rerum abstractio, per aliquem conceptum fiat, quem intellectus facta comparatione inter res particulares formare potuit tamen deinceps continuatur per speciem intelligibilem, quam conceptio in intellectu relinquit. Post conceptum enim cuiuscunque rei species quædam intelligibiles in intellectu passibili relinquuntur, quæ res eodem modo repræsentant, quod conceptus signabantur; id quod 3. lib de anima copiosius dicetur.

Res igitur per speciem intelligibilem, vel conceptum repræsentata, quoniam a differentijs indiuiduātibus, aut etiā specificis, quibus ad inferiora determinata erat, liberata est, & abstracta, preter abstractionem ipsam consecuta est in primis vnitatem precisionis, deinde indeterminationem, per quam aptitudo, quam ante operationem intellectus sibi vendicabat proximum vniuersalitatis fundamentum, effecta est; postremo relationem vniuersalis, qua ad omnia particularia refertur, vbi consecutione quadam in rebus particularibus, relatio particularis resultat, eadem scilicet actione, qua res vniuersalitatem consecuta est: Quemadmodum, cum res vna efficitur candida; vna eademque actione fit, vt non solum ipsa, sed cæteræ res, quæ candidæ iam erant, relationem similitudinis consequantur.

Quo pacto prima, & secunda intentio inter sese distinguantur.

QVAESTIO QVINTA.

QVIA sepe in hac materia, & in reliquis, ad differentiam pertinentibus, fit mentio primæ, & secundæ intentionis: vtile fuerit, si quidnam sint, & quomodo inter se distinguantur, semel dixerimus.

Intentio igitur, quæ ex vi nominis nititur, nihil aliud est, quam quidam conatus, & aggressio, quę primum quidem, ac præcipue accipitur pro actu; quo mens ipsa in aliquid intenditur, & quasi fertur, deinde vero pro ipsa re, in quam mens ipsa intendit. Quo pacto apud morales Philosophos, tum actus, quo voluntas fertur in finem, tum ēt ipse finis intentio nominatur. Solemus .n. obiecta ex actibus, qui in ea feruntur nominare, vnde fit, vt duplex dicatur intentio vna formalis, & altera obiect. Formalis intentio est ipsa actus, quo mens tendit in rem obiectam: Obiectiua autem est ipsa res obiecta, vt obiecta est. Verum relicta nunc

intentione voluntatis, quoniam ad morales philosophos pertinet, intentionem intellectus, quæ nostri instituti est, qualis sit, breuiter declarabimus.

Intentio intellectus, quæ Græce ἔννοια, Latinè notio, & conceptus appellatur, præcipue quidem dicitur conceptus, quo intellectus rem sibi obiectam percipit, qualis est is, quo cœlum percipio: Deinde vero dicitur ipsa res obiecta, qualis est ipsum cœlũ, quod percipitur: At primus quidem conceptus dicitur formalis, posterior autem obiectiuus. Quanquam vero intentionis, & notionis vocabula præcipue, & magis proprie pro conceptu formali accipiantur, cum tamen hoc loco intentio, notiove in primam, & secundam diuidatur, pro obiectiuo vsurpari solet.

Prima intentio est, quicquid conuenit rebus veris, non tamen, qua mente concipiuntur; aut alio modo ab intellectu tractãtur: quo pacto conuenit Socrati, quod sit homo, quod Philosophus, quod cæcus, quod non lapis & alia huiusmodi; vnde fit, vt nomina harum rerum dicantur nomina primæ intentionis.

Secunda intentio est, quicquid conuenit rebus veris, qua mente apprehenduntur, aut aliquo alio modo in mente tractantur: quo pacto conuenit homini communi, esse vnum vnitate præcisionis: esse speciem, prædicari de Socrate, & similia. Vnde fit, vt nomina, quibus hæc attributa significantur, dicantur nomina secundę intentionis. Quanquam vero figmenta, vt Sphynx, Chimera, & huiusmodi alia, nec sint primæ intentionis, nec secundæ: cum nec sint res veræ, nec rebus veris conueniant possunt tamen ad primas intentiones quodammodo reuocari: quia etsi non sunt res veræ, nec illis, seclusa operatione intellectus, conueniunt tamen finguntur esse veræ. Illud tamen non est prætereundũ hoc loco: Secundas intentiones non solum conuenire rebus: vt obijciuntur operationibus intellectus, sed etiam, ut obijciuntur habitibus. Nec enim animal ea tantum ratione dicitur vnum unitate præcisionis, & genus quatenus obijcitur conceptioni simplici, quæ est actus intellectus: sed etiam quatenus obijcitur speciei intelligibili, quæ est habitus eiusdem potentiæ; Quapropter diximus in definitione secundæ intentionis, [aut aliquo alio modo in mente tractantur:] Cum ergo ex illis pateat, quod sit intentio, & quot modis dicatur: relinquitur manifestum, quomodo prima, & secunda intentio inter se distinguantur.

Sed quæret aliquis, vtrum prima intentio reciprocetur cum ente reali: & secunda intentio cum ente rationis; Ad quã quæstionem respondebimus, si prius, quid ens reale, & quid ens rationis sit, paucis explicauerimus. Igitur ens reale est ens, cuius existentia non pendet ab operatione intellectus: vt Angelus, homo, lapis. Nomine entis excluduntur negationes, vt non lapis cęcita, & huiusmodi alia, quandoquidem negationes, quatenus tales sunt, nullo pacto sunt entia, vt Caietanus animaduertit lib. de ente, & essentia c. 1. & 2. par. q. 48. cap. 2. Cum autem additur. [Cuius existentia non pendet ab operatione intellectus,] excludũtur entia ficta siue commenticia, & quæ rationis appellantur, vt Chimera, centaurus, prædicatum, & subiectum, & alia id genus.

Hæc enim nomina, etsi latissime accepto entis vocabulo, entia vocantur, eorum tamen existentia, qua ipsa formaliter, hoc est, quatenus talia sunt, existere possunt, ab operatione intellectus pendent. Nam cum hæc non possint formaliter existere in rerum natura: efficitur, vt non possint existere, nisi obiectiue in intellectu.

Vnde fit, vt quoad suam qualemcunque existentiam ab operatione intellectus pendeant. Diximus, [qua ipsa formaliter existere possunt;] Quia nõ dubium est, quin alia ratione possint existere reali existentia: ut chimera, quoad partes suas, hoc est, quoad caput leonis, uẽtrem capræ, & caudam draconis: & prædicatum, quoad rem ipsam, qua denominatur prædicatum, cuiusmodi est animal.

Verum obijciet aliquis: multa esse entia realia, quorum existentia pendet ab operatione intellectus: ut actus omnes, & habitus intellectus, imo & omnes tum actus, tũ habitus, voluntatis, atque adeo omnia, quæ arte, ac uoluntate fiunt: Hæc enim omnia supponunt aliquam intellectus operationem; Quare non recte explicatum fuisse ens reali. Occurrendum est tamen, dependentiam ab operatione intellectus non esse hoc loco accipiendam pro dependentia effectiua,

fectiua, sed obiectiua: nec enim ita negamus existentiam entium realium pendere ab operatione intellectus, quasi nullum ens reale fiat operatione aliqua intellectus, aut eam supponat: Id enim falsum esset, ut obiectio aperte ostendit, sed idcirco id dicimus quoniam ut res aliqua realiter existat, non opus est, ut illa objiciatur intellectui, quasi nullam aliam existentiam habere possit, quam quod intellectui objiciatur.

Distinguuntur autem entia rationis a rebus commenticijs, primo, quia res commenticiæ finguntur compositę ex ijs, quę copulari non possunt; entia uero rationis minime, ut patet ex supra suppositis exemplis: Deinde, quia entia rationis dicuntur de rebus ueris, & quæ existunt in rerum natura: Res autem commentitiæ nequaquam. Dicimus enim animal esse prædicatum, & hominem subiectum, cum tamen nihil sit in rerum natura, quod uere dicatur Chimera, aut aliquid huiusmodi. Atq; hoc est, quod aiunt Dialectici, entia rationis habere fundamentum in rerum natura; res autem commentitias nequaquam.

Hinc colligi potest hæc entium rationis descriptio: entia rationis sunt, quę etsi quo ad suam existentiam, ab intellectu pendet, tamen de rebus ueris dici possunt. Per particulam, [entia,] excluduntur negationes: cum autem additur esse talia, [ut eorũ existentia pendeat ab operatione intellectus,] excluduntur entia realia. Cum denique adiungitur, [ut de rebus ueris dici possint,] excluduntur entia ficta. Patet igitur quæ sint entia realis, & rationis.

His igitur explicatis ad dubitationem propositam respondendum est duabus conclusionibus. Prima est, omnia entia realia sunt primæ intentionis: non tamen omnes primę intentiones sunt entia realia. Prior pars conclusionis probata est ex supra dictis. Posterior probatur, quoniam priuationes, & negationes, ut cæcitas, & non lapis sunt primæ intentiones: cum conueniãt rebus veris, siue operatione intellectus, & tamen non sunt entia realia: Ergo non omnes primæ intentiones sunt entia realia. Secunda conclusio: Etsi multę secundæ intentiones sint entia rationis, vt patet ex secundarum intentionum explicatione: non tamen omnia entia rationis sunt secundę intentiones. Nam relationes Dei creantis, & conseruantis, ad creaturam, quę creatur, & conseruatur; Itemque relatio vnionis diuini uerbi ad naturam humanam ita sunt entia rationis, ut non sint secundę intentiones. Quod enim sint entia rationis, patet, quia sunt relationes, quæ Deo optimo maximo non ex ęternitate conueniunt: At relationes, quę Deo ita conueniunt non possunt esse reales. Quod uero non sint secundæ intentiones, ex ipsa explicatione secundę intentionis intelligi potest: nam secundę intentiones conueniunt rebus, quia ab intellectu apprehenduntur, aut modo alio in mente tractantur: At dictæ relationes non ideo conueniunt Deo: quia Deus intellectu objicitur: sed potius quia creat, & conseruat, quanquam non existant hę relationes, nisi cum mente apprehenduntur. Dictum est in secunda conclusione, [etsi multę secundę intentiones,] quia non omnes secundæ intentiones sunt entia rationis; nam unitas pręcisionis est secunda intentio, cum conueniat rebus ueris, propter earum aliquam apprehensionem: & tamen non est ens rationis, cum sit negatio quędam. Ex dictis autem colligere possumus; uniuersalia esse secundas intentiones, ut ex secundarum intentionum explicatione manifestum est.

Vtrum Porphyrius recte enumerauerit species vniuersales.

QVAESTIO SEXTA.

IN hac quęstione duo sunt inuestiganda; Alterum, sintne plura pauciorane uniuersalia, quam illa a Porphyrio enumerata: Alterum utrum hęc eadem sint quinque species uniuersalis. Quod attinet ad primum, uidentur pauciora uniuersalia, quam Papę Porphyrius enumerauit. Nam tot sunt uniuersalia, quot prędicabilia (siquidem uniuersale, & prędicabile reciprocantur.) Pauciora autem sunt prædicabilia: Ergo pauciora sunt uniuersalia. Minor propositio ostenditur, quoniam prędicabile, & prędicatum idem uidentur esse, prædicata autem quatuor tantum traduntur ab Aristotele 1. lib. Topicorum, c. 3. proprium uidelicet, definitio, genus & accidens.

Quod

Quod plura sint hoc pacto suaderi potest. Primo, definitio est quoddam prædicabile, cum numeretur ab Aristotele inter prædicata 1. Topic. c. 5.

At ea non numeratur hoc loco inter prædicabilia: igitur plura sunt prædicabilia, & ex consequenti vniuersalia, quam quæ Porphyrius hoc loc. recensuit.

Tertio, quidam homo, & cætera huiusmodi, quæ vaga indiuidua appellantur, sunt vniuersalia, cōparata cum indiuiduis certis, ac præfinitis, vt cum Socrate, & Platone; Id quod ex definitione vniuersalis ꝑspicuum videtur: At vaga indiuidua non continentur sub aliquo eorum, quæ a Porphyrio numerantur: (nec enim quidam homo est genus, vt patet, nec species, quia alio qui sub homine, qui species infima est, aliqua species contineretur: Nec differentia, nec proprium, nec accidēs, vt apertum est) plura igitur sunt vniuersalia, quam quæ Porphyrius recensuit.

Quod vero attinet ad secundum, non videtur genus, & cætera quatuor esse species vniuersalis, quod ita suadetur: Nullum genus continetur sub sua specie, sed vniuersale continetur sub genere, quod est quædam ipsius species (dicimus enim, vniuersale est genus ad quinque species.) Ergo genus nō est species vniuersalis.

Secundo, vniuersale non potest esse vniuocum ad ea, quæ a Porphyrio numerantur; Igitur non potest esse eorum verum genus. Consecutio patet, quia omne vniuersale, atque adeo genus debet esse vnum nomine, & ratione, & ex consequenti vniuocum vt ex prima quæstione manifestum est. Antecedens probatur, quia ad substantias, & accidentia nihil est vniuocum: sed vniuersale comprehendit substantias, & accidentia: Ergo vniuersale non potest esse vniuocum. Quod tamen nec plura, nec pauciora sint uniuersalia, quam quæ Porphyrius numerauit, communis Philosophorum cōsensio approbat: ex quorum etiam communi sententia hæc eadem videntur dici, veræ species vniuersalis, cum nihil uideatur uniuersali deesse, quo minus verum sit eorum genus.

Vt priorem quæstionis partem explicemus: animaduertendum est, duplici sensu quæri posse, vtrum pauciores, pluresve sint species uniuersalis, quā quas Porphyrius numerauit: Vno ita, vt quæratur, vtrum hæ ita sub uniuersali contineantur, ut neque supra has, neque infra alias collocentur; Alteor ita, ut quæratur, vtrum uniuersale adęquate diuidatur in genus, & cætera quatuor: siue vtrum aliæ sint species uniuersalis superiores, aut inferiores, siue nullę prę ter has. Posterior igitur sensus, vt est magis proprius, sic solus hoc loco tractandus est: Quod ut fiat, operæ precium erit, afferre eas differentias, quibus uniuersale distribui solet: ut ex comparatione earum intelligamus: diuisionem uniuersalis in quinq; species a Porphyrio propositas esse adæquatam. Vniuersalia igitur quatuor diuisionibus diuidi solent, habita ratione modi prædicandi: In primis diuiduntur in ea, quæ prædicantur in quæstione, quid est, & in ea, quæ in quæstione quale est: Deinde in ea, quæ prædicantur essentiali prædicatione, & in ea, quæ accidentaria: Tertio loco in ea, quæ prædicantur necessario, & in ea, quæ non necessario: Denique in ea, quæ prædicantur complete, aut incomplete; aut neque complete, neque incomplete.

Ea dicuntur prædicari complete: quæ explicite seu plane, & formaliter dicunt totam essentiam communem indiniduorum, de quibus prædicantur: ut homo, comparatione singulorum hominum. Ea uero incōplete, quæ explicite dicūt partem, siue per modum materiæ, ut animal, siue per modū formæ, ut rationale. Ea denique, nec complete, nec incomplete, quæ nec totam essentiam, nec partem eius dicunt simpliciter, ut risus capax, & album comparatione Socratis, platonis, & aliorum. Qua quidem diuisione utuntur M. Albertus, Scotus, Aegidij Boetius, & alij.

His positis, facile colligitur numerus specierum uniuersalis, hoc modo: uniuersalia, aut prædicantur in quæstione [quid est :] aut in quæstione [quale est:] Si in quæstione quid est: aut prædicantur complete, aut incomplete: Si incomplete, sunt genera, si complete, sunt species: Si uero prædicantur in quæstione quale est, aut prędicantur essentiali prædicatione, aut accidentali: Si essentiali, sunt differentiæ; Si accidentali, aut prędicantur necessario, aut non necessario, siue contingenter. Si necessario sunt propria, si non necessario, sunt accidentia.

Idem numerus colligitur ordine conuerso,

uerso, hoc pacto: Quicquid uniuersale est, aut prædicatur necessario, aut non necessario: Si non necessario, est accidens: Si necessario, aut prædicatur essentiali prædicatione, aut accidentaria: Si accidentaria, est proprium: Si essentiali, aut prædicatur in quæstione quid est, aut in quæstione quale est. Si in quæstione quale est, est differentia; Si vero in quæstione quid est, aut prædicatur complete, aut incomplete: Si complete, est species: Si incomplete, est genus. Ita patet, recte enumerari a Porphyrio species vniuersales: in quas nimirum vniuersale adequata diuisione distribuitur: Siue aliæ vniuersalis species superiores, aut inferiores dentur: Siue præter eas nullæ omnino reperiantur. Nec tamen credas, has esse veras vniuersalium differentias, cum nulla harum detur, quæ extra has species non reperiatur. Nam & rebus non vniuocis conueniunt, & complexis, & alijs permultis, quæ vniuersalia non sunt. Potius ergo sunt cõditiones ad fundamenta huiusmodi relationum pertinentes.

Quod attinet ad alteram quæstionis partem; dicendum est, vniuersale esse genus generis, & cæterorum quatuor uniuersaliũ: ut existimabit hoc loco Scotus. Id quod ex eo probari potest: quia vniuersale dicitur de illis vniuersalibus nomine, & ratione, & ex consequenti uniuoce: Vnde cum non sit species respectu eorum, nec differentia, nec proprium, nec accidens, vt perspicuum est, erit igitur genus. Solẽt autem illa quinque dici species infimæ; potestque id suaderi ita: Ex diuersis modis, quibus res insunt in multis, aut de ijsdem prædicantur, colliguntur diuersæ species vniuersalis; Sed huiusmodi, ut dictum est supra, sunt quinque tantum; Ergo quinque tantum sunt species uniuersalis, quanquam hi modi non sunt ueræ uniuersalium differentiæ, ut dictum est, sed conditiones quædam fundamentorum, tamen ex istis licet colligere vniuersalium inter se se distinctionem Cæterum hæc nõ sunt curiosius perscrutanda: Est enim Dialecticis valde perniciosum, in his relationibus diligentius inuestigandis tempus conterere: quæ nihil aliud vtilitatis afferunt: quam ut eo studio a uera rerum sciẽtia impediantur. Restat, ut argumenta initio proposita diluamus.

Ad primum respondetur, negando minorem, & ad eius probationem negãda est maior; Neque enim sunt idem, cum latius pateat prædicatum, quam prædicabile. Nam Porphyrius quoniam hanc tractationem ad Aristotelis prædicamenta scripsit, in quibus solę simplices, & incomplexæ voces collocantur: Ideo nomine prædicabilis id solum complexus est: quod uniuoce, & incõplexe prædicari potest. Aristoteles uero, quia eius institutum erat agere de præcipuis prædicatis quæstionum Dialecticarũ, siue simplicia sint, siue complexa, nomine prædicati etiam ea quæ complexe prædicãtur, intellexit; Quare non mirum est, si definitionem inter prædicata admittat. Cæterum cur Aristoteles loco citato non fecerit mentionem speciei, nec differentiæ, causa fuit, quia noluit, vt vtraque ad genus reuocaretur, eo quod ex ijsdem locis, quæstio generis, possunt quæstiones speciei, & differentiæ tractari.

Ad secundum neganda est maior, ut patet ex his, quæ modo diximus: Licet enim definitio sit prædicatum: non tamen prædicabile censeri debet, cum sit quoddam complexum.

Ad tertium dicendum est, nec quendam hominem, nec aliud indiuiduum uagum esse uniuersale, in primis, quia quidam homo & alia huiusmodi significãt composita quædam ex naturis communibus, & aliquibus differentijs contrahentibus indeterminate: Vnde cum differentiæ contrahentes nõ conueniant vniuoce, efficitur, vt nullum indiuiduum vagum prædicetur vniuoce. Deinde quoniam indiuiduum uagum ex modo significandi suo est complexum quoddam: non quidem complexione solius uocis, facile enim imponi potest una simplex ad illud ipsum significandum; Sed complexione cõceptus apprehendentis multa particularia per disiunctionem; Nam huic uoci, quidam homo, respondet in mente huiusmodi complexio, hic homo, aut ille, & sic cætera. Ex his igitur patet solutio argumenti negando maiorem, nam cum particula vnum quid, & nomine, & ratione, quæ in definitione vniuersalis intelligitur, excludat omnia complexa, & analoga: qualia sunt induidua uaga, ut dictum est, efficitur, ut nulli indiuiduo vago conueniat definitio uniuersalis.

Ad quartum dicendum est, non esse incommo-

commodum, quod genus accidentaria subiectione sub sua specie contineatur, quo modo uniuersale sub genere continetur. Hæc enim prædicatio, vniuersale est genus, non est essentialis; sed accidentalis. Nã si esset essentialis, omnia uniuersalia essent genera: quippe cum omnia, quæ dicuntur essentiali prædicatione de superioribus, di cantur etiam de inferioribus. Quod autem affertur, absurdum esse, genus sub sua specie contineri, de essentiali continentia, non de accidentali, siue denominatiua. dictum esse intelligendum est.

Ad ultimum dicendum est, uniuersale respectum substantiarum, & accidentium quę uniuersalia denominantur, esse accidens, atque vniuocum non essentiale sed accidentarium; Non esse autem incommodũ dari uniuocum accidentarium ad substantias, & accidentia.

Vtrum vniuersale sit subiectum huius libri.

QVAESTIO SEPTIMA.

HActenus de uniuersali, deque ipsius distributione egimus, nunc, sitne huius libelli subiectum, uideamus. Quod igitur non sit, multis argumentis uidetur ostendi.

Primo, quia id est subiectum cuiusque tractationis, quod in ea præcipue tractatur: Sed in hoc libro nulla fit a Porphyrio mentio uniuersalis: Ergo non est subiectum.

Secundo, si esset huius tractationis subiectum, distingueret eam tum a reliquis partibus logicæ, tum ab alijs scientijs; sed non distinguit, ergo non est subiectum. Maior ex dictis colligitur. Minor probatur, nam, & in Topicis agitur de genere, differentia proprio, & accidente; Et 1. Metaph. potissimum, cap. 13. & sequenti; disserit Aristoteles de uniuersalibus, unde nos posteriorem uniuersalis definitionem accepimus.

Quinetiam omnes scientiæ de vniuersalibus agunt, vt idem sæpe docet, ut primo post. & 2. de anima, c. 5.

Tertio, quia subiectum cuiusque tractationis debet habere proprietatem aliquam, quę de ipso demonstretur, vt est commune Dialecticorum proloquium: Vniuersale autem nullam videtur habere huiusmodi proprietatem. Non est igitur huius libelli subiectum. Minor ostenditur: Nam quod dici solet, prædicabile reciprocari cum uniuersali, vt proprietatem cum subiecto, non uidetur uerum: Si enim prædicabile esset proprium uniuersalis, contineretur sub proprio, quod est quarta species vniuersalis, minus late patet uniuersali (latius enim patent superiora, quam inferiora.) Ergo etiã prędicabile minus late patebit, ac proinde non reciprocabitur cum illo.

Dicendum est nihilominus, vniuersale esse huius libelli peculiare subiectum.

Primo, quia cum tractatio aliqua ex instituto, & adęquate agit de omnibus speciebus alicuius generis, tum genus illud est subiectum talis tractationis, vt in alijs inductione perspici potest: Hic autem liber agit ex instituto de omnibus speciebus uniuersalis, idque adęquate neque enim ex instituto agit de genere, quo genere aut principio generationis nec de prędicamentorum ordinibus, nec de indiuiduo, aut alijs huiusmodi, sed ea de causa, ut explicet uniuersalis species, ut ex progressu libri manifestum est: Est igitur uniuersale huius tractationis subiectum.

Secundo quia tres illæ conditiones subiecti, quas supra notauimus, cum de Dialecticę subiecto ageremus, conueniunt uniuersali cum hac tractatione comparato: In primis enim vniuersale est unum quippiã, cum una definitione explicari possit, ut ex supra dictis patet: secundo omnia quę in hoc libro traduntur ad uniuersale facile reuocantur, uel ut partes subiectæ, vel aliquo alio modo: Denique consideratio vniuersalis, & specierum eius, quæ in hoc libello traditur, distinguit hanc tractationem a cęteris omnibus, siquidem nulla est alia, quę eodem prorsus modo de his disserat, ut ex dicendis perspicuum fiet.

Ad primum igitur argumentum pro parte negante adductum, concessa maiori neganda est minor; Nam cum ea parte de genere ait Porphyrius, [eorum, quæ prędicãtur, quædam de vno, quædam de pluribus prędicantur,] aperte definitio uniuersalis traditur, quippe cum vniuersale definiatur esse id, quod de pluribus prędicari potest. Quod idem, in comparandis inter se uniuersalibus, fecit, ca. ultimo, cum docuit; hoc com-

commune esse omnibus, vt de pluribus prædicentur.

Ad secundum concessa maiori, negatur minor, & ad eius probationem dicendum est, omnibus scientijs hoc commune esse, vt agant de rebus, quæ vniuersales denominantur; Peculiare autem esse Dialectico, vt de rebus agat, quatenus prædicabiles sunt: aut etiam quatenus habent relationem vniuersalium. Hoc autem interesse inter tractationem Topicam, & Porphyrianam: quod in illa agitur de genere, & cæteris, quę enumerantur in argumento, quatenus sunt partes quęstionis Dialecticæ; Hoc autem loco absolute, qua etiam ratione hæc tractatio distinguitur a prædicamentorum tractatione: in qua prædicabilia non explicãtur, sed in ordines quosdam rediguntur.

Ad tertium, in primis quidem posset negari maior. Neque enim opus est, vt subiectum cuiuscunque tractationis habeat proprietatem, quæ de ipso demonstretur, quando tractatio ipsa demonstratiua non est: qualis est hæc Porphyriana. Sufficit enim habere tres illas conditiones, quas tradidimus supra. Sed, vt demus, prædicabile esse proprium vniuersalis, respondetur ad argumentum, negando minorem, & ad eius probationem, distinguenda est maior. Si enim sit sensus, quod prædicabile contineatur sub proprio, quasi inferius sub superiori essentialiter, neganda est maior. Sin autem sit sensus, quod contineatur sub proprio, tanquam fundamentum aliquod sub sua intentione, sicut animal sub genere, concessa maiore, & minore, neganda est consecutio. Solum enim colligit, proprium, quod quartam vniuersalis speciem constituit, non reciprocari cum vniuersali.

Quo nam modo ad quæstiones a Porphyrio excitatas respondendum sit.

QVAESTIO Octaua.

SVPEREST vt dicamus, quonam modo ad eas quæstiones respondendum sit, quas Porphyrius in præfatione huius libri excitauit, nec tamen soluit: Ex his enim quæ dicta sunt iam facile expediri possunt. Est tamen primo animaduertendum, duobus modis aliquid esse posse in intellectu; vno, vt accidens in subiecto, siue subiectiue, vt dici solet; Quo pacto scientiæ, artes, species intelligibiles, formales conceptus rerum, & omnes alii habitus, & actus intellectus in ipso existunt, quanquam intellectus non est proprie subiectum, sed animus interueniente intellectu: Altero, vt cognitum in cognoscente, siue quod dicitur, obiectiue: quo pacto quicquid actu, aut habitu cognoscitur, ab intellectu, dicitur in intellectu existere. Atque hunc modum existendi in intellectu, qui omnibus entibus, & non entibus communis est, vocant philosophi esse in conceptibus.

Animaduertendum est secundo, eorum quæ obiectiue sunt in intellectu, siue in conceptibus, quædam esse in solis nudisque conceptibus, quæ nec formaliter, siue quatenus talia sunt existere in rerum natura possunt, nec de rebus existentibus in rerum natura prædicari, qualia sunt, Centaurus, Chimera, & cætera figmenta. Ea vero dicuntur non esse in solis nudisque conceptibus, quæ aut formaliter existere possunt in rerum natura, aut de rebus in rerum natura existentibus prædicari. Quo genere continentur in primis entia realia: deinde negationes, quæ velut inhærent entibus realibus, vt cæcitas, ignoratio, & huiusmodi alia: Tertio loco continentur entia rationis, vt esse prædicatum, & subiectum, & alia id genus. His positis sciendum est, quæstiones a Porphyrio excitatas non esse intelligendas de generibus, & speciebus substantiarum materiæ expertium, quales sunt Angeli, quandoquidem huiusmodi substantiæ, nec materia constant, nec sub sensum cadunt: Nec etiam esse intelligendas de accidentibus sensibilibus, quia planum est, nec ipsa, nec ipsorum genera aut species, esse corpora, siue materia constare, quo pacto corporis vocabulum accipit Porphyrius, cum in 2. quæstione quæsiuit, essentne genera, & species corporea, an corporis expertia. Intelliguntur ergo hę quęstiones de generibus, & speciebus earum substantiarum, quæ sensibus percipiun-

tur,

tur, vt hominum, equorum, lapidum, & aliorum, quæ sub sensum cadunt, tum quia de his erat controuersia inter Aristotelem, & Platonem, deque his solis loquitur Aristoteles, cum aduersus Platonem de hac ipsa re disputat, tum quia de his solis excitantur a Porphyrio duæ posteriores quæstiones. Perspicuum autem est has tres quæstiones de iisdem generibus, & speciebus a Porphyrio fuisse excitatas, id quod ex contextu patet.

Ad has igitur quæstiones a Porphyrio excitatas responderet Plato: Ad primam quidem, naturas communes esse in rerum natura sine differentijs indiuiduantibus, eo nempe modo, quo ab intellectu concipiuntur ab inferioribus abstractæ. At secundam vero, genera, & species huiusmodi rerum esse formas quasdam omnis materiæ, & mutationis expertes, vt supra diximus. Ad tertiam denique, genera & species rerum sensibilium esse ab eis seiuncta. Verum cum superius hanc Platonis sententiam reiecerimus, soluendæ sunt hæ quæstiones iuxta Aristotelis doctrinam. Ad primam igitur dicendũ est, res vniuersales, quæ denominantur genera, aut species, non esse in solis nudisque conceptibus, sed esse in rerum natura, coniunctas tamen differentijs indiuiduantibus, ac proinde singulares per accidens, etsi ab intellectu absque huiusmodi differentijs concipi possint. Ad reliquas duas quæstiones respondendum est similiter, huiusmodi genera, & species esse corporea siue materia constantia, existereque in his rebus, quæ sensu percipi possunt. Ex his, quæ hactenus diximus, intelliges, quænam a recentioribus appellentur vniuersalia ante multa, in multis, & post multa vniuersalia. Namque ante multa, si qua darentur, essent ideæ Platonis. Vniuersalia in multis sunt res ipsæ, quæ iuxta Aristotelis sententiam vniuersales nominantur. Vniuersale post multa est secunda vniuersalis intentio, quam aliqua intellectus operatio antecedere debet. Atque hæc de præfatione, deque toto vniuersalium genere dicenda esse videbantur.

CAPVT PRIMVM
DE GENERE.



Idetur itaque, neque species dici simpliciter. Dicitur enim genus, & aliquorum hominum aggregatio, qui quidem ad vnum quippiam, & inter se habent respectum; Qua significatione Pelopidarum dicitur genus; quod quidem ex respectu qui est ab vno, idest, Pelope, & multitudine eorum, quæ inter se eam habent coniunctionem, quæ ab illo profluxit, sic est nuncupatum, vt ab alijs generibus sit seiunctum. Dicitur ab alio genus vniuscuiusque principium ortus, tam ab eo qui genuit, quam a loco in quo est quispiam ortus. Sic enim Orestem quidem a Tantalo, Hylum autem ab Hercule dicimus genus habere. Et rursus, Pindarum quidem Thebanum, Platonem autem Atheniensem dicimus esse. Patria namque principium est generationis cuiusque, perinde ac pater. Hoc autem significatum in promptu esse videtur. Pelopidæ namque dicuntur, qui genere descendunt a Pelope, & Cecropidæ, qui a Cecrope, & horum quoque propinqui. Atque prius sane genus est nuncupata ortus origo cuiusque, postea vero, & multitudo eorum qui ab vno principio, seu Pelope fluxerunt. Quod quidem a cæteris seiungentes, ac separantes totum aggregatum, Pelopidarum diximus genus. Alio modo dicitur genus id, sub quo species collocatur, fortasse accepta similitudine a prioribus vocabuli eius significatis. Nam & principium quoddam eorum quæ sub se habet, ge-

nus tale est. Et præterea videtur multitudinem omnem amplecti, quam scilicet infra sese continet. His igitur tribus modis dicitur genus. De tertio vero genere Philosophorum est sermo, quod & describemus: Genus id esse dicentes, quod de pluribus specie differentibus, hoc ipso quid est, prædicatur, vt animal. Eorum enim quæ prædicantur, alia de vno solo dicuntur, vt indiuidua, veluti Socrates, & hic, & hoc: Alia de pluribus prædicantur, vt genera, species, differentiæ, propria, & accidentia communiter, sed non cuipiam proprie. Atque genus est, exempli causa animal, species, homo, differentia, rationale, proprium, risibile, accidens, album, nigrum, sedere. Genus igitur ab hisce quidem quæ de vno solo dicuntur, hoc sane differt, quod ipsum de pluribus prædicatur. Ab his autem quæ de pluribus prædicantur, hisce differre videtur atque a specie quidem hoc. Species enim etsi de pluribus prędicatur, non tamen de pluribus specie sed numero differentibus prædicatur. Homo namque qui quidem est species, de Socrate & Platone dicitur, qui non specie, sed numero differunt. At animal quod est genus, de boue, equo, atque homine prędicatur, quæ & specie, non solum numero differunt. A proprio vero hoc. Nam proprium quidem de vna specie, cuius est proprium, & de indiuiduis hisce quæ sunt sub illa specie, prædicatur, vt risibile de homine solo & de singulis hominibus dicitur. Genus autem non de vna specie, sed de pluribus differentibus prædicatur. A differentia quoque, & communibus accidentibus hoc: Etenim differentiæ, & communia accidentia quanquam de pluribus dicuntur ac differentibus specie, non tamen ab ipso potius quale est, hęc dicimus prædicari. Interrogantibus enim aliquibus, quid sit illud de quo prædicantur hæc, genus respondebimus, differentias autem & accidentia non respondebimus. Non enim hoc ipso quid est, prædicantur de subiecto, sed hoc ipso quale quid est. Interrogati namque quale quid est homo, rationale dicimus. Et quale quid est coruus, dicimus nigrum, quorum rationale quidem est differentia, nigrum autem accidens. Sed cum quid est homo interrogamur, animal respondemus, quod quidem est hominis genus. Quare hoc quidem, de pluribus inquam dici, genus ab indiuiduis quæ de vno solo prædicantur, seiungit, hoc vero differentibus inquam specie, ab hisce quæ non vt genera, sed vt species, aut propria prædicantur, ipsum distinguit. Illud autem, hoc inquam ipso quid est prędicari, a differentijs ipsum communibusve accidentibus, separat, quæ non hoc ipso sane quid est, sed hoc ipso quale est, aut quomodo sese habet quodque eorum de quibus dicuntur prædicari suapte natura solent. Nihil ergo superfluum descriptio dicta conceptus generis continet, neque quicquam excludit quod ad naturam generis spectat.

Absoluta præfatione aggreditur, nunc Porphyrius tractationem ipsam, atq; priori loco partem eam, in qua seorsim de singulis vocibus differit: In qua quidem a generis explicatione initium sumit, quod res, quæ genera dicuntur, res alias, quæ a cæteris vniuersalibus denominantur eo natura ordine antecedant, quem superius, ordinem naturæ originisve appellauimus. Duas vero partes continet hoc caput, in quarum priori afferuntur tres generis significationes, & inter se comparantur. In posteriori omissis prima & secunda, tertia, quæ propria philosophorum est, ad sequentem disputationē assumitur, & descriptio ea, quæ de genere a Philosophis traditur, late exponitur.

[Videtur itaque neque species dici simpliciter.] Verbum, [simpliciter,] quatuor modis vsurpatur. Nam interdum idem significat,

gnificat, ac si diceretis, sine additione, quo pacto verum hominem, hominem simpliciter esse asserimus: pictum autem non esse hominem simpliciter, sed cum additione pictum hominem dicimus: Interdum significat idem, atque dictio, vniuersum, quo pacto sæpe Arist. ait, vt simpliciter dicam, hoc est, vt vniuersim de omnibus dicam. Interdum etiam significat id, cui adiungitur, accipi pro minus præstanti significato, quo pacto dicimus, bruta simpliciter esse animalia, quasi nullam præterea perfectionem habeant, quam quod sint animalia, in qua significatione docet porphyrius c. de differ. communes & proprias differentias simpliciter differentias veteribus appellatas fuisse, differentias autem maxime proprias, differentias specificas. Interdum significat idem ac si dicecerετur, vniuoce, idest vno modo, in qua significatione verbum, simpliciter, opponitur verbo multipliciter accipi, apud Aristo. idem est, atque æquiuoce, vel secũdum plures significationes Eo enim sæpe vtitur Aristoteles ad significãdam ambiguitatem vocabulorum, vt cum ad initium quarti libri Metap. asserit, ens multipliciter dici, igitur verbum simpliciter in quarta significatione, accipiendum est hoc loco, quasi dixerit Porphyrius, nomina generis & speciei non esse vniuoca, sed multiplicia siue æquiuoca. Vtitur autem verbo, videtur, modestiæ causa, non autem quodam ambigat, generis & speciei nomina æquiuoca siue multiplicia esse.

Dicitur enim genus.] Cum dixerit porphyrius generis & speciei nomina æquiuoca esse, memor eius præcepti, quo Aristoteles 6. Topic. c. 2. & 5. iubet, vt quæ ambigua sunt, initio statim distinguantur. (Omnino enim fieri non potest, vt ea, quæ ambigua sunt, quisquam pertractet, nisi prius eorum ambiguitas declaretur) Ostendit nunc generis ambiguitatem, ipsumq; distinguit in tres quasdam significationes, quæ huic loco magis conuenire videbantur. Genus igitur prima significatione acceptum nihil aliud est, quam quædam hominum multitudo, in qua cernitur duplex respectus, alter ad communem, siue progenitorem, siue patriam, ex quo respectu totius multitudinis nomen ducitur: Alter ipsorum hominum inter sese, quo nimirum dicuntur consanguinei, aut (vt ita dicam) conterranei; in qua significatione Heraclidarum multitudo dicitur genus, Quo modo habet duos respectus, alterum ad Herculem, a quo huiusmodi multitudo tanquam a principio generationis profluxit; Alterum vero inter sese. Eodem modo Atheniẽsium multitudo, quæ ad Athenis ortum habet, dicitur genus, itẽ que multitudo Lusitanorum, quorum communis patria est Lusitania. Hac significatione utitur Virgilius dicens:

Italiam quæro patriam, & genus ab Ioue summo

Illud tamen perspicuum sit, non proprie dici hac generis significatione genus pythagoreorum, genus Platonicorum, & similia, quoniã in hac generis significatione non habetur ratio de ea hominum multitudine, quæ ab aliquo duxit originem, quod attinet ad philosophandi, aut viuendi rationẽ, sed quod attinet ad initium naturalis generationis. Putant nonnulli, iuxta sententiam Porphyrij hoc loco, non recte hac significatione dici genus hominum aut Adamitarum, quod non distinguatur ab alijs generibus hominum, cum nullum aliud præterea relinquatur. Sed non videtur tantopere necessaria hæc conditio, dicimus enim sæpe, quamdiu genus hominum extiterit: Satis ergo est, ut distinguatur a generibus earum rerum, quæ non sunt homines, vt a brutorum generibus, aut quod genus unũ ab alio distinguatur veluti totum a sua parte, quemadmodum genus Adamitarum distinguitur a genere Heraclidarum, cum alterum in altero contineatur, neque oppositum videtur Porphyrius signasse.

Dicitur & alio modo.] Secunda significatio est, qua genus accipitur pro prin. ortus & generationis cuiusque hominis; quod vel a parentibus, vel a patria ducitur; hoc est, pro eo quod a genitoribus, aut a patria per generationem accipitur. Id enim recte dicitur. Principium generationis quia aut est materia; aut qualitas aliqua, quæ ad generationem concurrit. Hac generis significatione dicere solemus, Oræsten Agamemnonis filium a Tantalo auo, & Hylum ad Hercule patre duxisse genus: & rursus Pindarum Poetam a Thebis, Platonemque ab Athenis. Itaque nec progenitores, nec patria hac generis significatione proprie com-

prehenduntur; sed ipsum principium, ortus generationisve producit a progenitoribus aut a patria, id quod, satis indicant exempla Porphyrij: Neque enim ait, Tantalum esse genus Orestis, aut Herculem Hyli, aut Pindari Thebas, aut Platonis Athenas: Sed Oresten duxisse genus a Tantalo, & sic cætera. Quod vero subdit, patriam esse principiũ generationis cuiusq; perinde ac patrem. Ex quibus uerbis colligi videtur & patrem & patriã dici posse genus hac significatione.) Sic accipiendum est, quasi dicat, perinde vt a parte, sic an patria principium generationi duci, ut nimirum sensim sit causalis. Qđ autem patria dicitur aliquid conferre ijs, quæ ab ea genus ducunt non ratione solius loci intelligendum est sed aliquid efficiunt in re quæ generatur. Si tamen latius hæc generis significatio accipiatur, ita nimirum, vt quo quis principium, causaue generationis dicatur genus, non dubium est, quin eo progenitores etiam & patriam comprehendat: Quo pacto probabilius est, Virgilium accepisse nomen generis, cum dicit;

Tantanè vos tenuit generis fiducia vestri?

Et Ouidium his verbis:

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi.
Vix ea nostra puto, &c.

Hoc autem significatum.] Comparat has duas generis significationes inter sese, docetque, posteriorem esse vsu frequentiorem & ordine tũ naturæ, tum appellationis priorem, nec immerito. Nam propterea tota collectio genus appellatur, quod ab aliquo ꝑgenitore aut a patria orta sit.

Alio modo dicitur.] Tertiam addit generis significationẽ huius loci propriã qua genus dr̃ id, sub quo species collocaẽ, siue id, cui subijcitur species, vt animal: etenim animali subijciẽ homo, qui quidẽ est species.

Huic definitioni nonnullæ conditiones adiungendæ sunt, vt cætera omnia quæ hac generis significatione non comprehenduntur, reijciãtur, nempe vt verbum, id, pro uere vno & nomine & ratione accipiatur, per quam particulã excludentur complexa omnia, æquiuoca, analoga, & entia per accidẽs, quia nihil horũ est vnum noĩe & rõne. Verbũ ẽt, [Subijci,] intellige de subiectione in qõne, [quid est,] vt innuere vĩ Porphyrius c. seq. cum sic speciem definit: Species est id quod subijcitur generi, & de quo genus in quæstione, quid est, prædicetur. hac particula reijciunt indiuidua, species, & cetera oĩa uniuersalia, quia eis, quatenus talia sunt, nulla subijcitur species in qõne, quid est.

Quæri solet hoc loco, sitne ista generis explicatio definitio rei, an noĩs? Cui qõni rñdendũ est, ex instituto quidẽ autoris non esse rei, sed noĩs. porphyrius. n. in hac priori parte nihil aliud agere instituit, quam tradere quasdam generi significationes, quarũ tertiã hac definitione exposuit: Quod si ipsam per se orationem attendas, non dubiũ est, quin ea sit definitio rei, cum res ipsa generis vocabulo signata hac orone explicet̃.

Neque enim ullum est incommodum asserere, vnam eandemque definitionem esse simul rei & nominis, quandoquidem omnes definitiones, quibus rei natura explicatur, causa etiam exponendæ significationis vocabuli afferri possunt, vt in institutionibus Dialecticis dicitur lib. 5. c. 2.

Fortasse accepta similitudine. Verisimile est id Porphyrius hoc loco suspicatur, nomen scilicet generis inditum fuisse rei, quæ sub se continet species, propter eius, cum generibus primo & secundo modo dictis, similitudinem. Vt enim genus secundo modo principium est eorum hominum, qui ab ipso fluxerunt, sic etiam res, quæ sub se continet species, principium est constituens multas species. Vt etiam genus primo modo multitudinem omnem complectitur ab aliquo principio deductam: Sic etiam genus tertio modo dictum multitudinẽ, quæ ipsi subiecta est, comprehendit. Est tamen latissime patens discrimen inter hanc tertiam significationem, & superiores duas. Nam genus secundo modo dictum non dicitur vere de hominibus, quorum est principium & origo: At genus tertio modo dictum de speciebus, quarum est genus, verissime dicitur.

Deinde genus primo modo dictum cum sit ipsa hominum multitudo, constituitur & quasi componitur ex singulis hominibus, quos comprehendit: At genus tertio modo dictum suas species ita complectitur, vt ex ijs minime componatur.

His igiẽ tribus modis dr̃ genus.] In posteriori parte huius capitis missas facit porphyrius

rius prioris duas generis acceptiones, quoniam ad oratores potius, Poetas, & Historicos pertinent. Genus ergo hoc modo dictũ, de quo futura est disputatio, ex sententia veterum Philosophorum, ad hunc modum describit. Genus est, quod de pluribus specie differentibus in quæstione, quid est, prædicatur; Vt animal: Quam descriptionẽ tradiderat etiam Aristoteles 1. Topicor. capite 4. Cæterum quoniam porphyrius has particulas vsque ad finem huius capitis eodem ordine, quo propositæ sunt, persequitur: Illud tantum hoc loco admonendum erit, particulam, [prædicatur,] etsi actum significet, secundum aptitudinem, accipiendam esse, quasi dictum sit, quod aptum est, vt prædicetur. Quomodo autem hæc ipsa verba, & illa, [de pluribus,] intelligenda sint, ex his, quæ in explicanda priori definitione vniuersalis diximus perspici potest. Illa vero, [in quæstione quid est.] partim ab autore, partim a nobis ad finem capitis exponentur.

Eorum enim quæ prædicantur.] Vt ostẽdat traditam descriptionem cum genere recurrere, partesque eius excludere omnia, quæ nomine rei, quæ definitur, non continentur, hanc proponit diuisionem sibi vsui futuram: Eorum, quæ prędicantur, quædam de vno solo dicuntur, quædam de pluribus: In qua vebum, [prædicari) idem valet, quod vere & affirmatiue eodem nomine eademque omnino ratione, & secundum naturam enunciari, vt patet ex his, quæ in exponenda priori definitione vniuersalis diximus. Itaque priori membro comprehenduntur omnia & sola indiuidua, posteriori omnia & sola vniuersalia, quippe cũ in priori describantur indiuidua in posteriori vniuersalia. Quo fit, vt cum porphyrius subdit ea, quæ prædicantur de pluribus, prædicari vt genera, specie, differẽtias, propria, & accidentia, non vtatur particula, Vt, ad afferenda nuda exempla, sed ad numeranda omnia membra vniuersalis.

Et accidentia commun.) Duobus modis possunt hæc verba exponi, vno vt significet Porphyrius, se non loqui de accidentibus singularibus, vt de hoc albo, sed de uniuersalibus, vt de albo. Altero, vt dicat, se non accipere nomen accidentis pro accidente proprio, quod nimirum necessario rei conuenit, quale est, aptum esse ad capessendas disciplinas, sed pro accidente communi, quod videlicet adesse & abesse potest sine rei subiectæ interitu.

Genus igitur ab hisce.) incipit ostendere, traditam generis descriptionem cum genere recurrere. Cum igitur in ea tres sint partes, prima, (quod prædicatur de pluribus;) Altera, (differentibus specie;) Tertia, in quæstione quid est; per primam excludit indiuidua, qua etiam excluduntur reliqua omnia, quæ non sunt vniuersalia, vt poteẽ cõplexa, æquiuoca, analoga, & alia huiusmodi: Per secundã excludit species, & propria specialia, quæ s. cum vna specie infima reciprocantur, quoniam hæc non prædicantur de pluribus specie differentibus; per tertiã excludit differentias generales, & accidentia generalia, quoniam hæc non prædicantur in quæstione, (quid est,) sed in quæstione (quale est;) Per quam etiã possumus excludere differentias speciales, & accidẽtia quædam, quæ vni tantum speciei infimę conueniunt, & propria generalia, quorum Porphyrius non meminit hoc loco; Verũ hęc paulo post latius explicabuntur.

Interrogantibus enim)His verbis docet Porphyrius, id pdicari in quæstione quid est, quod apte redditur, cum quid res sit queritur, quod reperies apud Aristotelem eo loco, vnde ille, definitionem generis desumpsit; Id autem prędicari in quæstione, (quid est,) quod apte respondetur, cũ qualis res sit quęritur, quod etiam docet Aristoteles 5. Metaph. ca. 14. Cur autem quædam apte reddantur, cum, quid res sit, alia, cum qualis res sit quæritur, inferius docebimus.

Quare hoc quidem.) paucis colligit, quę fusius dixerat, quod loco verba illa, (aut quomodo se se habet quodque eorum de quibus dicũtur,) videntur referenda ad accidentia, quæ possunt separari a subiectis potissimum ad ea, quæ consistunt in motu, aut in comparatione ad alias res: Nam sanũ esse, ægrum, vigilare, dormire, ambulare, lætari, tristari, amicum esse, inimicum, iacere, stare, & similia magis proprie redduntur, cũ quæritur, quomodo se res habeat, quam cũ quæritur, qualis nam sit. Itaque etsi huiusmodi accidentia reddi possunt, cum queritur, qualis res sit, quemadmodum & reliqua omnia cõmunia & propria (id quod porphyrius paulo superius aperte significauit, cum genus a differentia & communibus accidentibus

tibus separauit.) Aptius tamen reddentur, cũ quis rogauerit, quomodo se res habeat. Alij aliter exponunt, sed hic sensus perfaci lis est, qui plane videtur colligi ex initio capitis de differentia, vbi Porphyrius explicans differentiam communem vulgaremve, quæ re ipsa separari a subiecto põt, sic ait: [Et semper hæc differentia in ijs est sane di uersitatibus, quæ consistunt in hisce, quæ cum interrogamus quomodo res sese habet assignari reddique solet. Idemq; colligitur ex postrema generis cõparatiõe tradita c. 1.

Nihil ergo superfluum.) Colligit in descriptione generis a se tradita nihil superesse, nihil desiderari, quo loco verba contextus hunc habent sensum, nihil plus, minusve contineret, quam verus intellectus, seu notio generis, hoc est, quam vera natura generis intellecta contineat. Magis accommodate ad verba Græca ita diceretur, in descriptione igitur, qua generis notio explicata est nihil abundat, aut desideratur.

Quidnam generis definitione explicetur.

QVAESTIO PRIMA.

VT descriptio generis a Porphyrio tradita plane intelligatur, inuestigandum est primo loco, vtrum in ipsa definiatur secunda generis intentio, siue notio, vt porphyrius affirmat: an vero res intentione subiectæ, an potius tota complexio, ex re & intentione. Quod enim tota complexio definiatur, hisce argumentis sua detur. primum, in definitione tradita definitur genus: At genus cum sit concretũ quid accidentarium, non videtur sola secunda intentio, nec sola res subiecta intentioni, sed tota complexio ex re, & intentione, quemadmodum candidum non videtur esse solus candor, nec sola res, cui candor inest, sed tota complexio ex re & candore: Igitur tota complexio ex re & secunda intentione generis definitur.

Secundo, ars dialectica, vt est commune dialecticorum proloquium, non agit de secundis intentibus, nisi adiunctis primis; primæ autem intẽtiones sunt res subiectæ seu substratæ: Tota igitur cõplexio ex intẽtione & re substrata dicetur hoc loco definiri.

Tertio, quod vero res notioni subiectæ definiantur, hac ratione videtur ostendi: Id definitur vnaquaque definitione, cui definitio conuenit; At rei subiectæ notioni generis, vt animali, & cæteris huiusmodi conuenit tradita generis definitio; Res igitur subiecta notioni definitur. Minor propositio ex eo videtur perspicua, quia res omnes, quę notioni generis subijciuntur, prædicantur de pluribus differentib. specie, in qõne, quid est, vt aĩal de homine & bestia.

Quarto, quod autem sola generis notio siue secunda intentio definiatur, ex eo videtur ostendi; Quia in omnibus definitionibus explicatur id, quod nomen definiti significat. Sed nomine generis sola notio generis significatur: ea igitur sola est, quę in definitionibus generis explicatur. Quæstio hæc, quæ occasione extremorum huius capitis agitata est, vt aditum aperiat ad intelligendum non solum, quid in tradita generis descriptione, sed etiam quid cæterorũ vniuersalium definitionibus atque adeo aliarum multarũ rerum definiatur: ita hoc loco minime fuit prætermittenda. Vt igitur hæc quæstio dissoluatur quatuor assertionibus videtur explicanda.

Prima assertio; tota complexio ex re, & notione non definitur descriptione tradita in primis, quia complexio ex re & notione est ens per accidens, vt homo albus, nullum vero ens per accidens definiri potest, vt Aristoteles sæpe docet, nisi pluribus complicatis definitionibus, vt homo albus definitionibus hominis; & albi, quo pacto perspicuum est non definiri genus hoc loco. Secũdo, quia tota complexio, ex animali verbi gratia & notione generis, non prædicatur in quæstione quid est, de speciebus animalis, vt de homine, & bestia; ergo toti cõplexioni non competit definitio: Antecedens probatur, illa complexio non est de essentia verbi causa, hominis vel bestiæ, ergo non potest de illis in quid prædicari.

Secũda assertio: Nec res subiecta notioni generis definitur tradita definitione: imprimis quia tradita generis definitio nõ explicat simpliciter, ac absolute naturã alicuius peculiaris rei substratæ, vt animalis, vt plantæ, nec itẽ alicuius rei cõis, quæ has omnes sub se contineat, vt apertum est. Deinde, quia agere de rebus substratis, quo ad naturas earum, partim spectat ad physicum par-

tim ad metaph. partim ad mathem. partim ad alios artifices, vt perspicuum est.

Tertia assertio: Nec ipsa generis notio, hoc est, relatio generis abstracte significata, absolute, ac simpliciter definit tradita generis definitione: pôt tñ eius definitio ex definitione generis elici. Prior pars probatur, quia definitio hoc in primis habere debet, vt simpliciter, ac in vniuersũ conueniat ei quod definitur; Sed generis definitio nõ conuenit hoc modo notioni generis abstracte acceptæ, nempe ipsi, vt sic dicã, generitati: Ergo intentio generis abstracte accepta non definitur descriptione generis.

Minor probatur, quia non est simpliciter vera hęc enunciatio, omnis generitas prædicatur de pluribus differentibus specie in quæstione, quid est, quandoquidem generitas animalis nõ sic prædicatur nec de rebus subiectis animali, vt apertissimum est, nec de inferioribus intetionibus, siue notionibus, cum sit indiuidua; Ergo generis definitio non cõuenit simpliciter, ac vniuersim generis intentioni abstracte acceptæ, siue generitati. Deinde, quia nec generitas est ratio, siue causa, cur res, quæ genera denominantur, aptæ sint ut prædicentur, cum generitas hanc aptitudinem vt proprium fundamentum supponat: imo vero nec si esset ratio, id satis esse, ut definiretur tradita generis definitione, quemadmodum nemo diceret, hãc esse definitionem dialecticæ, dialecticus est disserendi artifex. Quare nec illa est definitio generitatis, genus est quod ꝑdicatur &c. Posterior pars assertionis ex eo patet, quia ex illa definitione generis facile colligi potest hæc generitatis definitio, generitas est id, quod vnum nomine, & ratione refertur ad multa specie differentia, de quibus in quæstione quid est prædicari potest: Quæ simpliciter & vniuerse omnibus intentionibus generis conuenit, quemadmodum ex illa definitione dialectici nullo negotio elici potest hæc definitio, dialectica est ars disserendi.

Quarta assertio: id quod simpliciter & absolute in definitione generis definitur est notio generis concrete significata, idest, affectum generitate, vt tale est. Sic enim explicari potest hoc nomen genus, quẽadmodum album non est aliud, quam affectum albedine, quatenus affectũ est albedine. Hęc assertio probatur inprimis ex ipso modo significandi huius uominis, genus. nec enim significat intentionem abstracte, sed concrete, connotando scilicet subiectum siue rem substratã. Secundo, quia intentioni generis hoc modo acceptæ conuenit definitio generis; Etenim affectum generitate est unũ nomine & ratione, quod est aptum, ut prędicetur de pluribus differentibus specie in quęstione, quid est. Quanquam hac definitione notio generis explicetur nõ per ea, quæ ad essentiam eius pertinent, sed per suum fundamẽtum, siue proprietatem ipsius, hoc est per certam quandam aptitudinẽ, in qua fundatur. Quo genere definitionum in explicandis relat s sępe vti solemus; quemadmodum facilius intelliges, quæ nam dicantur similia; Si dicas ea esse, quæ in eadẽ qualitate conueniunt, quã si dicas, esse illa, quę ad sibi similia referuntur. Denique, quia eodem modo res habet in cæteris concretis. Nam cum candidum, v.g. definitur, non dr definiri res cãdida, ut nix, aut aliquid aliud cui candor inhæreat; nec item ipse candor, quasi abstracte acceptus: Sed candor concrete sumptus, hoc est, affectũ cãdore quatenus tale est. Atque eo modo intelliges, quid definiat quauis alia definitione vniuersalium.

Superest vt argumenta initio proposita diluamus.

Ad primum respondetur concessa maiore, distinguendo minorem: Si enim sit sensus, genus non significare solam intentionem abstracte, sicut albedo significat solam albedinem, concedenda est. Si vero sit sensus, significare solam intentionem, concrete tamen, seu quod idem est, connotando fundamentum, in quo reperitur, neganda est minor. Nam nomina concreta accidentaria formaliter quidem sola accidentia significant, verbi causa, candidum solam qualitatem dicit, vt Aristoteles docet cap. 5. prædicamentorum, connotant tamen subiecta, in quibus sunt. Quare genus non est complexum aliquod ex intentione & fundamento, sed solam intentiouem significat, non abstracte tamen, sed connotando fundamentum, scilicet animal in quo est; Et ideo definitum huius definitionis, est intentio concrete sumpta.

Ad secundum concessa maiore & minore neganda est consecutio. Solum enim probatur hoc argumẽto secundam intentionẽ generis definiri nõ abstracte, sed cõcrete significatam,

ficatam, seu vt adiuncta est primæ intentioni, scilicet animali, quod est verissimum. Logicum enim agere de secundis intentionibus adiunctis primis nihil est aliud, quam agere de secundis intentionibus concrete significatis, vt diximus.

Ad tertium neganda est maior; de niue enim, & papyro prædicatur definitio albi; nec tamen nix aut papyrus definitione albi definiuntur. Oportet ergo sic dicere, id definitur quauis definitione, cui primum conuenit definitio, seu cuius natura in tali definitione explicatur. Quo sane modo non conuenit definitio generis rebus substratis secundum se sumptis: cum ipsarum natura definitione generis nullo pacto declaretur. conuenit autem notioni generis concrete significatæ.

Quartum argumentum nihil contra assertionem, quam tuemur, colligit, modo intelligatur concludere, notionem generis definiri concrete acceptam: quo pacto nomen generis, quod concretum est, significatur.

Sit ne recte, tradita definitio generis.

QVAESTIO SECVNDA.

SEcundo loco circa traditam generis definitionem videndum est, rectene id explicet, quod in ea definiri diximus. Quod vt expendamus, percurrendæ sunt tres illæ partes definitionis, quod prędicatur de pluribus, differentibus specie, & in quæstione quid est: Nulla enim uidetur bene posita. Inprimis enim, aut Porphyrius voluit subaudiendum esse in particula, quod, ipsum vniuersale, quasi genus definiti, aut minime. Si voluit esse subaudiendum, vt nimirum sic habeat; genus est vniuersale, quod prædicatur de pluribus, &c. Duo incommoda sequuntur: Vnum est, quod bis collocetur vniuersale in eadem definitione, quippe cum idem sit, vniuersale, atque id, quod prædicatur de pluribus: Alterum est, quod inepte reiecerit indiuidua per particulam, de pluribus. Nam si vniuersale subaudiatur in particula, quod, prius vtiq; per ipsum vniuersale reijciunt indiuidua: Si vero noluit esse subaudiedū; hoc incommodum videtur sequi, non solum non definiri genus hac definitione, sed nec describi quidem. Nam tota hæc oratio, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quæstione quid est, si nihil aliud subaudiatur, solam fundamenti generis proprietatem significat: Sola autem proprietate nulla res definitur aut describitur.

Secundo, contra secundam definitionis partem sic obijci potest: Aut illud, differentibus specie, accipitur pro indiuiduis, quæ continentur sub diuersis speciebus, vt Alexander, & Bucephalus: Aut pro ipsis speciebus diuersis, cuiusmodi sūt homo & equus. Si pro indiuiduis, fit, vt genus definiatur per indiuidua, quod non videtur dicendum cum genus, qua genus est, per species definiri debeat, vt Porphyrius ait capite sequenti. Si vero pro speciebus, illud efficitur, vt species differant specie, & ex cōsequenti se ipsis: Quod Aristoteles plane videtur negare lib. 10. Metaph. ca. 5. cum docet, hoc interesse inter diuersum & differens, quod diuersum potest esse se ipso diuersum; At differēs aliquo alio oporteat esse differens: Ergo pro nullo horum accipi potest, atq; adeo non recte posita est in definitione generis pars illa, differentibus specie.

Præterea nec Tertia pars definitionis recte videtur constituta. Nam genus est velut forma & qualitas suarum specierum. Id autem quod se habet vt forma & qualitas alicuius rei, videtur prædicari de ea in quæstione quale est. Non igitur dicendum fuit, genus esse id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quæstione, quid est, sed potius in quæstione, quale est.

Maior propositio partim asseritur ab Aristotele 2. Physic. capit. 3. cum docet, genus & differentiam esse quasi formas definiti; partim in prædicamentis capi. de substantia, cum ait, genera & species substantiarum significare, quale quid. Dicendum est tamen, recte traditam esse definitionem generis, quod ex eo patet, quia prima eius pars, vtpote, quod prædicatur de pluribus, pro genere definiri ponit. His enim verbis definitur vniuersale, quod est genus generis & cæterorum vniuersalium. Deinde adduntur duæ differētiæ, quæ propriam generis naturam, quæ a cæteris vniuersalibus distinguitur, declarant. Verum animaduertēdū est, in hac definitione prius intelligēdā esse extremam partē, quam media, quasi ita

dictum sit. Genus est quod prædicatur de pluribus: quęstione quid est, ijsque differentibus specie. Nam in omnibus definitionibus hoc obseruandum est; vt prius intelligantur differentiæ, quæ separant definitum a rebus, a quibus magis distat, quam ab ijs, a quibus minus distinguitur. Quare cum magis distet a differentia, proprio, & accidente, quam a specie, vt perspicuum est; Et per partem illam, in quæstione, quid est, a differentia, proprio, & accidente separari possit; A specie autem per illam, differentibus specie; Non dubium esse debet, quin prius intelligenda sit pars illa, [in quęstione quid est,] quam illa, [differentibus specie.] Hoc igitur ordine constituta definitione per primam particulam reijciuntur indiuidua, & alia omnia, quæ non sunt vniuersalia, per secundam differentiæ propria & accidentia, a quibus genus plus differt, quam a specie; per tertiam denique excluduntur species.

Aliter tamen Porphyrius vsus fuit partibus definitionis in reijciendis cæteris vniuersalibus. Nam eundem ordinem intelligentiæ in eis tenuit, quo illæ scriptæ sunt ab Aristotele, quapropter coactus est prius separare genus a specie, cum qua maiorem habet affinitatem. Quod autē Porphyrius eundem ordinem intelligentię in partibus definitionis tenuerit, quo illæ ab Aristotele ascriptæ sunt, ex eo manifestum est, quia per particulam, [differentibus specie,] separauit genus a proprio; Quod vtiq; superuacaneum esset, si prius intellexisset partem illam, [in quæstione quid est,] qua propria cum accidentibus & differentijs plenissime reijciuntur. Accedit, quod in separando genere a differentia non meminit proprij generalis, nec differentiæ, nec accidentis specialis, vt in expositione contextus diximus: Quę tamen omnia per particulam illam, [in quęstione quid est,] cum accidentibus & differentibus generalibus potuit reijcere.

Superest vt argumenta initio proposita diluamus. Ad primum igitur concessa maiore dicendum est ad minorem, Porphyrium noluisse vniuersale subintelligi in illa particula, [quod.] Nam tota illa oratio, [quod prędicatur de pluribus,] loco vniuersalis posita est, id quod satis indicauit Porphyrius, cum per eam separauit genus a singularibus, quę plane opponuntur vniuersalibus. Vnde fit, vt non oporteat, sub illa particula, quod, ipsum vniuersale intelligere. cum autem obijcitur: nisi vniuersale subaudiatur, totam definitionem generis significare solam quandam proprietatem fundamenti generis, occurrendum est, in illa particula, [quod,] subaudiendum esse vnum aliquid nomine & ratione, vt diximus in exponenda priori definitione vniuersalis quod latius patet vniuersali, atque adeo est quasi remotum genus ipsius generis sic definiti: Quare nihil obstat, quo minus oratio, quę genus definitur, sit quędam eius fundamenti descriptio.

Ad secundum respondetur concessa maiori, dicendum esse ad minorem, nomine differentium specie intelligenda esse hoc loco non solum ea, quę collocantur sub diuersis speciebus, sed etiam ipsas diuersas species. Nam genus vt genus est, tum ad species, tum ad indiuidua refertur, vt capite de specie docebimus. Quod autem obijcitur, species non posse differre specie, eo quod Aristotelis sententia, id, quod differt, alio quodam differas; Facile soluitur, quoniam species non ideo dicuntur specie differre, quasi per aliquam speciem distinguantur, sed quoniam distinguuntur vel natura, vel differentia speciem vltimo constituente, quod quidem non solum indiuiduis, quę sub diuersis speciebus collocantur, sed etiā speciebus ipsis accommodatur.

Ad tertium, concessa maiori neganda est minor; Non enim quicquid est forma, & quasi qualitas, respectu alicuius prędicatur de illo in quęstione, quale est, sed illud tā tum quod ita est forma, vt more formę & qualitatis prędicetur. Genus autem censetur quasi forma, quia suis speciebus, & indiuiduis perfectionem quandam confert. (Nā formę proprium est, vt perfectionem aliquam tribuat.) Dicitur etiam genus quale quid, tum quia est forma vt diximus, tum quia est uniuersale, qua de re latius c. 5. prædicamentorum. Quia tamen more formæ & qualitatis non dicetur; ideo non in quale, sed in quid prędicatur, quod vt intelligas, explicendum est hoc loco, quęnam prędicētur in quęstione. [quid est,] & quęnam in quęstione, [quale est.] Ea prædicantur in quęstione quid est, ut ex contextu discimus.

discimus,quę apte respondetur, cum quid res si quæritur.Ea vero in quæstione,quale est,quæ apte redduntur, cum qualis res sit petitur. porro illa redduntur apte, cū quid res sit quęritur,quæ more substantiæ de re proposita dicuntur.Substantia.n.proprie dicitur quid, vt sæpe docet Aristoteles. Illa vero redduntur apte cum quales res sint petitur, quæ more qualitatis de re proposita enunciantur. Qualitas enim est,qua res proprie dicūtur quales. Est autem propria substantiæ conditio, vt nulli subiecto innitaē: Qualitatis autem, vt suapte natura inhæreat subiecto; hoc enim etsi omnibus accidentibus conuenit: aptius tamen tribuitur qualitati, vt accidenti cæteris clariori. Ex his efficitur,vt prędicata,quæ ita de re proposita enunciantur,vt nec ei adnitātur,nec alicui prædicato essentiali eius,prædicētur more substantiæ; Quæ vero aut ipsi rei, de qua dicuntur adhærent, aut, vt ita dicam, adiacent, aut certe alicui prædicato essentiali eiusdem,prædicentur more qualitatis. Exempli causa, animal prædicatur de homine more substantiæ, quia nec adiacet homini, nec alicui prædicato essentiali hominis; At vero album & rationale,prædicantur de homine more qualitatis, quoniam esse albū adiacet ipsi homini, de quo dicitur,rationale autem,etsi adiacet homini,adiacet tamē animali,quod est essentiale hominis prædicatum. Illud autem dicitur alteri adhærere, vel adiacere, quod ipsum contrahit ad constitutionem alicuius compositi vel per se,vel per accidens, vt album contrahit hominem ad cōstitutionem hominis albi, qui est ens per accidens; Rationale vero contrahit animal ad constitutionem hominis, qui est ens per se. Ita patet quænam apte respondeantur, cum quid res sit quæritur; Quæ item,cum,quale sit, ac proinde quæ prædicentur in quæstione quid est,& in quæstione quale est. Vt ergo ad propositum reuertamur,concedendum est,genus esse quasi formam & qualitatem suarum specierum; sed negandum est, illud prædicari de ijsdem in quæstione quale est,eo quod non prædicetur de suis inferioribus more qualitatis, hoc est,quasi adiacens illis,aut alicui prædicato essentiali ipsorum,vt nunc ostēdimus.

CAPVT SECVNDVM
DE SPECIE.



Pecies autem dicitur quidem & de vniuscuiusque forma, qua significatione dictum est, prima species digna est imperio. Dicitur autem & de eo quod sub assignato genere collocatur. Qua significatione hominem quidem speciem animalis dicere consueuimus, quod quidem est genus. Album autem speciem coloris & triangulum speciem figuræ. Quod si genus assignantes, mentionem fecimus speciet, genus idest dicentes, quod de pluribus differentibus specie hoc ipso quid est prædicatur, & nunc id esse dicimus speciem, quod sub assignato genere collocatur; Sciendum est, cum & genus alicuius sit genus, & species alicuius sit species, vtriusque inquam vtrumque in amborum etiam rationibus ambobus vti necessarium esse. Assignant igitur speciem & hoc modo. Species est id quod subijcitur generi. Et, de qua genus hoc ipso quid est prædicatur. Insuper hoc etiam pacto, species est id, quod de pluribus differentibus numero, hoc ipso quid est, prędicatur. Verum hęc quidem assignatio ipsius erit specialissimæ speciei, & quæ tantummodo species est, cętera vero & hisce competent, quæ non specialissima sunt. Atque id quod dicimus, hoc pacto fuerit manifestum. In vnoquoq; prædicamento quædam sunt generalissima genera, & quędam specialissimæ species. Et inter hæc media quędam sunt, quæ genera eadem, speciesque dic ntu . Est autem

id quidem generalissimum genus, supra quod nullum omnino genus trāscendit. Specialissima vero species ea, sub qua nulla prorsus alia species collocatur. At inter hæc, generalissimum inquam genus, speciemq; specialissimam, sunt alia quę genera sunt eadem, speciesque. Non respectu tamen eiusdem, sed diuersorum. Explicetur autem id quod diximus vno in prędicamento, dilucidumque fiat hoc pacto. Substantia est quoddam & ipsa genus, vt patet. Atque sub ipsa quidē est corpus. Sub corpore vero corpus est animatum, sub quo animal cadit. Sub quo rursus est animal particeps rōnis, sub quo homo cadit, sub quo Socrates, Plato, singulique homines collocantur.

S V B S T A N T I A.

Corporea, Corpus,	*Incorporea*,
Animatum,	Non animatum.
Sensibile,	Non sensibile.
Animal,	
Rationale,	*Irrationale*,
Socrates, Plato.	Leo, asinus.

Horum igitur substātia quidem genus generalissimum est, solumq; genus. Homo vero specialissima species, & species solum. At corpus species quidem est substantię, genus autem corporis animati. Animatum vero corpus, species quidem est corporis. Genus autem animalis, rursus animal, species quidem est animati, genus aūt animalis participis rationis. Hoc ēt species quidē est animalis participis rōnis. Genus autē hominum singulorum non est, sed species solum. Atque omnino id omne quod est ante indiuidua, & de ipsis sine vllo medio prędicatur, species erit duntaxat, & nullo modo generis rationem subibit: Vt igitur substantia, quia supremum est, propterea quod nihil est ante ipsam, genus est generalissimum, vti diximus: Sic & homo, quia species est, sub qua nulla species prorsus, neque quicquam eorum quæ diuidi possunt in species, collocantur, sed indiuiduorum species est, (indiuiduum.n. est Socrates, Plato, atque hoc album.) species erit profecto solum, ac vltima species, specialissimaque species, vt diximus; Media vero, species quidem eorum erunt, quæ sunt ante ipsa, genera autem eorum quę sub ipsa collocata. Quare hęc quidem duos habent respectus: Vnum ad ea quæ antecedunt, quo species illorum esse dicuntur: Alterum ad ea quę sequūtur, quo illorum genera esse dicuntur. Extrema vero vnū habent duntaxat, generalissimum enim genus ad ea quidem quæ sunt sub se collocata respectū habet, est .n. genus, vt patet. Ad superiora vero nullum habet prorsus, cū supremū sit genus, & vt principium primū, atque (vt diximus) id, supra quod nullū inueniri genus omnino potest. Specialissima quoque species vnum habet respectū. Habet .n. ad superiora, quorum species dicitur. At vero non diuersum habet, sed indiuiduorum species dicitur. Atque indiuiduorum quidem species dicitur, vt continens ipsa, superiorum autem rursus species appellatur, vt continetur ab illis. Diffiniunt igitur: Genus generalissimum est, quod genus est, & non species. Et rursus, supra quod nullum aliud omnino genus transcendit. Speciem vero specialissimam hoc pacto: Specie specialissima est, quæ species est, & non genus. Et rursus, quę alias in species vllas diuidi nequit, Et insuper, quę de pluribus differentibus numero, hoc ipso quid est, prędicatur. Media vero, subalterna genera speciesque appellant, atque vnumquodque ipsorum

rum

rum speciem genusq; ponunt, non respectu tamen eiusdem, sed diuersorum. Ea enim quæ ante speciem specialissimam sunt vsque ad generalissimum genus genere, & species subalterna dicuntur vt Agamemnon. Atrides, & Pelopides, & Tantalides ac tandem vltimo Iouis. Verum in familijs quidem ad vnum, velut Iouem plerumque principium ipsum reducitur. In generibus autem & speciebus non ita res sese habere videtur. Non enim ipsum ens vnum est omnium genus commune, nec vniuersa generis sunt eiusdem, supremo genere, vno, vt Aristoteles inquit. Sed ponantur, vt in prædicamentis, prima genera decem, quasi principia decem prima. Et si quispiam omnia entia appellet æquiuoce, vt dicit, & non vniuoce nuncupabit. Nam si ipsum ens communium omnium genus esset, vniuoce vniuersa profecto entia dicerentur. Cum autem sint decem prima, communicatio nomen tantum est, non & ratione ea quæ ad nomen accommodatur. Genera igitur sunt generalissima decem. Species autem specialissimæ, sunt quidem in numero quodam, at non infinito. Indiuidua autem quæ sub specialissimis collocantur, sunt infinita. Quapropter descendere a generalissimis vsque ad specialissimas species Plato iubebat, ibique stare. Descendere vero per media, differentijs specificis diuidentes. Infinita autem omittere, neque enim cadere sub scientiam possunt. Cum igitur ad specialissimas descendimus species, transeamus per multitudinem diuidendo necesse est, at cum ad generalissima ascendimus genera, in vnum multitudinem ipsam congregemus oportet. Species enim in vnam naturam congregat multa, & magis etiam genus, particularia vero ac singularia, in multitudinem ipsum vnum e contra diuidere semper videntur; Speciei namque communicatione, complures homines vnus sunt homo: at vnus atque communis, ipsis particularibus plures. Singulares namque semper est diuisiuum, ipsum vero commune, collectiuum, atque minus est effectiuum suapte natura. Assignatio autem genere atque specie, quidnam vtrumq; ipsorum sit, quorum quidem genus est vnum, species vero plures (diuisio namque generis species in plures semper efficitur) genus quidem semper de specie prædicatur, omniaq; omnino supera de inferis semper dicuntur. Species vero neque de propinquo sibi genere, neque de vllo supero prædicatur: non enim conuertitur. Nam aut paria de paribus, vt hinnibile de equo, aut maiora de minoribus, vt animal de homine, prædicentur oportet, minora vero de maioribus non oportet. Non enim animal esse dixeris, vt hominem animal esse dices. Atque de quibus species prædicatur, de his & speciei genus, & genus etiam generis vsque ad generalissimum necessario prædicabitur. Nam si verum est dicere Platonem hominem, & hominem animal, & animal substantiam esse, verum est & Socratem, & animal dicere atque substantiam. Cum igitur supera semper de inferis prædicentur species quidem de indiuiduo, genus autem de specie, ac indiuiduo, & generalissimum genus de genere, vel de generibus, si plura media superalternaque sint, & specie, atque indiuiduo prædicabitur. Generalissimum enim de generibus, & speciebus ac indiuiduis omnibus prædicatur. Genus autem, quod est ante specialissimam speciem de vniuersis specialissimis ac indiuiduis dicitur, & species ea quæ est solum species, de omnibus indiuiduis prædicatur, & indiuiduum de vno solo particulari, indiuiduum autem dicitur Socrates, & hoc album, atque hic accedens, filius

Sophro-

Sophronisci si solus ipsi Socrates sit. Indiuidua igitur ex eo talia dicuntur, quia ex proprietatibus, quodque constat quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet Socratis namque proprietates nullo in alio particulari eædem fient. Hominis tamẽ communis proprietates eædem in pluribus, imo vero in omnibus particularibus hominibus vt homines sunt fiunt atque inueniuntur. Indiuiduum igitur a specie, & species à genere continetur, genus enim est quoddam totum, indiuiduum autem pars at species totum est, ac etiam pars, sed vt pars quidem ad aliud. Vt totum autem nõ ad aliud dicitur, sed in alijs, totum enim in ipsis partibus est. De genere igitur atque specie, & quidnam sit generalissimum genus, & quid specialissima species, & quæ sint eadem genera speciesve, quę præterea sint indiuidua, & quot modis genus speciesve dicantur, satis iam explicauimus.

SI ordo naturæ, quem porphyrius in proponendus quinque uocibus secutus est, in ipsa etiam tractatione seruandus esset, proculdubio, post generis tractationem, de differentia agendum foret. Cæterum ordo naturæ interdum consulto prætermittitur, vt doctrinæ ordo seruetur, qui quidem totus in eo cernitur, vt accommodatissime explicentur ea, de quibus agendum est. Hæc igitur de causa porphyrius prius de specie, quam de differentia disputat. Nam cum genus & species mutuo referantur; ac proinde accurata alterius cognitio, à perfecta alterius cognitione pendeat, necessarium fuit, vt post generis explicationem, tractatio speciei proxime sequeretur. Memor igitur porphyrius eius, quod dixerat ad initium capitis de genere, nec genus, nec speciem dici simpliciter, duas in primis speciei acceptiones ad initium huius capitis refert, missis interim alijs plerisque, quæ ad propositum minime cõducunt. Deinde reiecta priori acceptione, posteriorem iterum declarat, simulque affert definitionem speciei, quæ est secunda species uniuersalis. Tertio loco, ut ea, quæ de specie dixerat, clariora fiant, multa de prædicamentorum dispositione commemorat, tandemque de indiuiduis non nulla subijcit.

[Species autem dicitur.] Prior speciei acceptio est, qua species pulchritudinem significat corporis, nimirum quandam aptã figuram membrorum cum coloris quadam suauitate, ut Cicero definit libro quarto Tuscul.q. Hac significatione dictum est illud, præstantissima corporis forma digna est imperio, hoc est præstantissima corporis forma digna est, vt ei, cui illa contigit, imperium deferatur, idque non sine causa dici solet, quia dignitas corporis prę stantis animi plerumque indicium est. Hanc porro speciei significationem inter alias, quæ ad hanc artem non pertinent, tetigit Porphyrius, non solum ut ostenderet, speciei vocabulum alio, atque alio modo vsurpari, sed etiam, ut aliquid afferret, cui similis esset species, de qua futura, est disputatio. Vt enim extrema forma rudem corporis molem informat; Sic etiã species de qua hoc loco agendum est, generis confusioni, & imperfectioni ornatum addit.

Dicitur autem &c.] Adiungit posteriorem speciei significationem Philosophorum propriam, quam hac definitione tradit: Species est id, quod sub genere collocatur, seu quod idem ualet, id quod generi subiicitur.

Quod si genus assignantes.) Obijceret aliquis porphyrię, uitiosa illum reciprocatione usum fuisse. Superius namque definierat genus per speciem, nunc autem vicissim speciem per genus definit. Cui obiectioni respondet, hanc reciprocam definiẽdi rationem non esse uitiosam, sed potius necessariam in his rebus, quarum natura in mutuo respectu consistit, cuiusmodi sunt genera, & species.

Assignant igitur speciem.) Expositis duabus speciei significationibus, posteriorem iterum declarat hac definitione; Species est id, quod subijcitur, generi, & de quo genus in quæstione, quid est prædicatur. Neque enim his uerbis proponuntur duæ definitiones, ut nonnulli uolunt. Nã cum porphyrius ait assignant igitur speciẽ & hoc modo, aperte significat se afferre

aliam speciei definitionem ab ea, quam obiter in tradenda posteriori speciei significatione, attulerat, quod tamen falsum esset, si verba illa, quę proxime sequuntur, nempe, quod subijcitur generi, quasi vna integra definitio ponerentur, siquidem eadem prorsus definitione fuerat posterior speciei significatio explicata. Idem enim est, sub genere collocari, atque generi subijci. Includit ergo hæc definitio superiorem, & addit verba illa, & de qua genus in quæstione quid est prædicatur, ut explicetur, quo pacto species subijciatur generi. Cum enim ea, quæ subijciuntur rebus vniuersalibus, aut in quæstione, quale est, aut in quæstione, quid est, subijciantur, hæc uerba addita declarant uerbum, subijci, in hac definitione, posteriori modo esse intelligendum.

In super hoc etiam pacto.] Tertio loco affert Porphyrius definitionem speciei, pro ut est secunda species uniuersalis. Hactenus enim solam speciem subijcibilem definiuit, quæ quidem sub uniuersali, tanquam species sub genere nequaquã continetur. Est igitur definitio huiusmodi: Species est id, quod de pluribus differentibus numero in quæstione quid est prædicatur. Est etiam aliud discrimen inter hanc & superiores definitiones, quod ille præscribantur omnibus speciebus, siue infimis, siue medijs: hæc autem solis infimis conuenit.

Atque quod dicimus.] Hanc diximus esse tertiam huius capitis partem; in qua quidem, ut Porphyrius doceat, quid intersit inter speciem mediam, & infimam, late in explicanda prædicamentorum expositione spatiatur. Hoc loco multa dicuntur de genere, quæ ad perfectam generis cognitionem desiderari poterant. Res perspicue proponitur in contextu.

In unoquoque prædicamento] Hoc est, in singulis prædicamentis sunt singula genera summa: Nec enim in unoquoque prædicamento sunt multa genera summa, ut ipse autor inferius docet, cum ait: Genera igitur sunt generalissima decem. porro cum hoc loco tres tantum partes cuiusque prædicamenti numerentur, genus summum species mediæ, & infimæ, non existimes reijci a prædicamentis indiuidua, cum ea proprie hac in recta serie sub speciebus infimis ponantur: sed ideo credo non esse hoc loco factam mentionem indiuiduorum, quia hoc loco non traditur partitio prædicamentorum in omnes partes, ex quibus quodque eorum conficitur, sed in eas tantum, quæ generis aut speciei subijcibilis, aut utriusque naturam participant. Hoc enim satis erat, ad intelligendum discrimen, non solum inter species medias, & infimas: quod autor hoc loco explicare instituit: sed etiam inter genera summa & media, quod oportune hoc loco incidit.

Animatum corpus.] Vtitur definitione loco definiri, quod sæpe fit cum nomina non suppetunt: Nos hoc genus possumus appellare uiuens. Idem porro mox facit. cum utitur hac oratione animal particeps rationis, loco uocabuli eius generis, quod ille putant medium esse inter animal & hominem.

Sub quo rursus animal est particeps.] Quod Porphyr. hic ait, animal rationis particeps esse specie animalis, & genus hominis, fuit opinio plat. in Thimeo, itemque Stoicorum & fere Ethnicorum Philosophorum, existimantium, non modo cœlos, & astra, sed & quædam alia numina esse animalia rationalia: quæ tamen ea ratione ab hominibus differrent, quod essent immortalia: De qua lege Calcidium in Thimeum platonis, & Apulei librum de Deo Socratis. Hæc tamen sententia longe a ueritate aberrat: cuius impugnatio ad alium locum spectat. Qua propter inter animal, & hominem nullum genus mediũ collocandum est: Potius autem inter corpus, & animatum corpus unum quoddam genus ponendum est, nempe corpus corruptioni obnoxium. Corpus enim duas species complectitur, nimirum corpus corruptioni subiectum, & corpus corruptionis expers, quorum illud genus est corporis animati seu uiuentis, ut alio in loco ostendetur.

Indiuiduum enim est Socrates.] Quasi dicat: Quod enim sub homine nulla sit species aut genus, sed sola indiuidua, hinc perspicuum fit, quoniam sub homine non collocatur nisi Socrates, & plato, hoc album, verbi causa, Alcibiades & alia idiuidua hominis. Accipit n. hoc albũ pro re subiecta vt pro alcibiade, aut quouis alio homine.

Quare

Quare hæc quidem.] Colligit ex his, quæ dixerat, res subiectas, quæ genera intermedia nominantur, habere duos respectu: Ea vero, quæ extrema, hoc est genera summa vel infimæ species appellantur, vnum tantum. Vbi non de quibusuis respectibus loquitur: sed tantum de respectibus generis speciei: Alios namque complures reperis & in generibus & speciebus cuiusque prædicamenti. Animal igitur, quod quidem est species intermedia, duos habet respectus, unum speciei, alterũ generis substantia vero solius generis, homo autem solius speciei. [Ad inferiora vero non.] quod autor hic ait, rem, quæ est species infima, non habere ad inferiora respectum diuersum ab eo, quo respicit suum genus, & falsum videtur, & ipsi autori repugnans: Homo enim, exempli causa respicit animal, veluti species sub eo contenta: Socratem vero, & quemlibet alium hominem ex singulis, vt continens eos, id quod etiam ipse autor statim subdit: Satis autem patet hos respectus esse diuersos. Verum nec falsum, aliquid docet Porphyrius hoc loco: nec secum pugnat: Quia non loquitur de quibusuis respectibus, sed solum de respectibus generis & speciei: ut proximè admonuimus. Species autem infima nõ respicit inferiora, vt genus, sed ut species. Hoc autem modo exponendum esse contextum, ipse autor aperte significat, cum ex eo probat speciem infimam non habere respectum ad inferiora diuersum ab eo, quo respicit superiora, quoniam, ut ait indiuiduorum etiam species dicitur.

Definiunt igitur. Tradit duas definitiones generis summi, tres speciei infimę (quę omnes apertissimæ) & quandam explicationem intermediorum, quæ vicissim, diuersorumque respectu sunt genera, & species: Id quod exemplo cuiusdam familiæ, explicat, in qua Iupiter comparatus cum Tantalo, Pelope, Atreo, & Agamemnone, sic est pater, vt non sit filius, contra vero Agamemnon cum iisdem collatus ita est filius, non sit pater; tres tamen illi intermedij sunt & filij, & patres. Filij priorum patres posteriorum. Sic igitur res, quæ genus summum est, unum tantum habet respectum generis, quæ autem species infima, solius speciei. Media vero, quæ inter huiusmodi extrema interiectæ sunt, & genera & species habentur; Species superiorum, genera inferiorum. Itaque licebit hoc modo intermedia vtcunque definirè: Intermedia sunt, quæ diuersorum respectu species sunt, & genera. Item hoc modo: Quæ cum species sint in species itidem diuidi possunt. Hæc vero a Dialecticis, & genera subalterna, & species subalternæ appellari solent.

Verum in familijs.] Multæ sæpe familiæ ad vnum caput & principium reducuntur, vt familia Agamemnonis, Pelopis, & Tantali, & rursus familia Pyrrhi, Achillis, Peleı, & Aeaci, ad vnum Iouem patrem Tantali & aeaci, ex quibus reliqui ordine progeniti sunt. Ne quis igitur similitudine familiarum proposita fallatur: Credens eodem pacto genera, & species, quæ in diuersis prædicamentis ponuntur, ad vnum commune genus referri posse; docet Porphyrius, non omnino eodem modo se rem habere in prædicamentis, ac in familiis; eo quod nullũ genus reperiri possit, quod multis prædicamentis commune sit.

Non enim ipsum ens.] Probat nullum genus dari posse, quod idem commune sit omnibus prædicamentis: ex quo perspicuum fiet id, quod proximè dictum est nullum genus posse reperiri, quod multis prædicamentis commune sit: Quæ enim rationes illud probant, ad hoc etiam concludendum valent. Probatio hęc est: Ens quod maximè videri posset commune genus omnium rerum, quæ in prædicamentis ponuntur, non est earum genus: Ergo nullum omnino datur. Antecedens probat in primis autoritate Aristotelis: qui ob eam causam constituit in prædicamentis decem prima genera, quasi decem principia omnium rerum, quæ in prædicamentis ponũtur: quod plane viderit, non esse ens earum omnium commune genus. Deinde hac ratione: Si ens esset commune genus omnium de omnibus vtique rebus vniuoce prædicaretur: At si quis omnia entia dicat esset entia, prædicatio erit æquiuoca, & non uniuoca: Igitur ens non est commune genus omnium. Maior propositio perspicua est ex definitione generis, & confirmari potest ex 4. lib. Topic. cap. 3. vbi sic ait Aristoteles; Vniuocum enim genus & species, minorem probat tum ex Aristotele, vt colligitur ex initio quarti lib. 1. & 12. Metaph.

cum

cum ait: Et prima ac summa genera, &c. Hinc enim fit, vt prædicamenta non conueniant in ente nomine,& ratione, sed nomine tantum, ac proinde æquiuocè. Verum hac de re alibi diligentius agendum est. Illud tamen prætereundum non est, hoc loco decem prima genera appellari prima principia, quia sunt prima prædicata vniuoca & essentialia rerum omnium, quæ ponuntur in prædicamentis.

Genera igitur sunt generalissima decem Docet quid sentiendum sit de numero generum summorum, specierum infimarum, & indiuiduorum. Ait ergo, genera summa esse decem, vt dictum est. Species vero infimas, quæ nempe actu existunt, comprehendi quidem certo aliquo numero, verum nobis incognito; At indiuidua, quæ nempe actu sunt. esse infinita: Quod quidem ita intellige: non esse quidem re vera infinita, vt Philosophi docent: sed tantam esse indiuiduorum multitudinem, vt si cum speciebus comparetur, non in merito infinita esse videatur; quod Porphyrius confirmat autoritate Platonis. Præcipit enim in Phedro: vt is, qui scientiam de rebus consecuturus est, eo vsque diuidat genera summa in species, per differentias specierum effectrices, dum ad infimas species veniat; Indiuidua vero idcirco relinquenda esse, quia cum infinita sint, sub scientiam cadere non possunt.

Cum igitur ad specialissimas.] Docet, quid in descensu, de quo proxime locutus est, quidque in ascensu illi contrario accidat; Atque in descensu semper ex vno fieri multa; in ascensu vero ex multis vnum: Id quod suadet ex terminis, finibusque ascensus & descensus, Etenim terminus ascensus est vna natura: in qua particularia conueniunt: Eius vero descensus sunt ipsa multa particularia, siue species sint, siue indiuidua, in quibus natura distributa cernitur: Et quoniam plura particularia in genere, quam in eius specie conueniunt, idcirco ait Porphyrius, genus magis congregare, hoc est, plura in vnam naturam colligere, quam eius speciem: Hoc tamen esse commune cuique naturæ communi, vt colligat, & in vnum concludat multitudinem eam, quam sub se continet, in inferioribus vero distributa reperiatur. Id ostendit Porphy. in specie infima, vt in homine, specie quippe communicatione, vt ipse ait cōplures homines vnus sunt homo, at vnus atque communis ipsis particularibus plures, quasi dicat: plures homines sunt vnus homo, non quidem absolute, sed, vt ipse ait cōicatione speciei, seu, quod idem est, vnus homo in specie. Quod duobus modis exponi potest: vno, quasi dicat Porphyrius, multos homines esse idem specie in homine: Altero, ac si diceret, multos homines esse vnum in homine, qui est species: At vero vnus atque communis est, plures non absolute ac simpliciter, sed cum hac adiectione, [ipsis particularibus,] seu in ipsis particularibus, in quibus nimirum cernitur contractus & multiplicatus per differentias:

Assignatio vero genere.] Quoniam, gratia explicandi simul generis & speciei, multa hactenus de prædicamentorum dispositione docuit: tradit duo documenta, quibus prædicatione generis, & speciei de his, quæ in eodem prædicamento ponuntur, explicantur. Vnum est omnia genera de suis speciebus, deque omnibus inferioribus prædicari; Species autem de suis generibus minime. Hoc probat, quia genus latius patet, quam species: vt ex definitionibus vtriusque, ex diuisione generis in species perspicuum est; sola autem maiora de minoribus (hoc est, communiora de minus communibus) aut paria de paribus prædicantur. Adde tamen, Porphyrium, in hac probatione, de ea sola prædicatione loqui: qua prædicatum de toto subiecto dicitur: Ex quo fit, vt hæ prædicationes, homo est Grammaticus: animal est rationis particeps, & alias, huiusmodi, non numerentur hoc loco inter prædicationes: quia nec Grammaticum esse vniuerse dicitur de homine, nec rationis particeps de animali. Alterum documentum est. De quibus prædicantur species, de ijsdē prædicātur omnia superiora genera. Hoc pronunciatum (quod videtur desumptum ex Aristotele, in ante prædicamenris cap. 3. probat Porphyrius ex priori parte superioris documenti.

Et indiuiduum de vno solo.] In extrema capitis parte agit porphyrius de indiuiduo tū, quia sæpe eius meminit, nec satis explicauit: tum etiam, quia indiuiduū omnibus vniuersalibus cōmuniter subijcitur, tū vel maxime, quia species, qua rōne est species

vniuer-

vniuersalis, per respectum ad sola indiuidua definita est. Qua de causa eius explicatio non fuit longius differenda: Indiuiduum ergo definitur id, quod de vno solo particulari prædicatur. Quod autem Aristoteles ait in prædicamentis ca. 5. primam substantiam (quæ inter indiuidua numeratur) de nulla re prædicari, intelligendum est, prædicatione directa, seu naturali, vel artificiosa. Nam identica prædicatione, quā initio naturalem, & artis expertem diximus, dubium non est, quin prima quælibet substantia prædicari possit.

Indiuiduum autem dicitur.) Innuit tribus modis nominari posse indiuidua. Vno quidem, nominibus proprijs, vt Socratis aut Platonis: Altero, periphrasi nominum communium, & pronominum demonstratiuorum, vt cum dicimus, hic homo, hoc album, quo pacto appellata indiuidua dicuntur indiuidua ex demonstratione. Tertio periphrasi alicuius orationis, quæ propter aliquam hypothesim vni tantum rei conuenit, qualis est, Sophronisci filius. Hac enim oratione solus Socrates significatur: modo alius non sit Sophronisci filius, quam Socrates, atque hoc pacto signata indiuidua dicuntur indiuidua ex hypothesi.

Indiuidua igitur.) ostendit ab adiunctis hæc omnia merito dici indiuidua, quia vnumquodque eorum constant seu potius insignitum est quadam proprietatum accidentiumve coniunctione, quæ eadem in aliam rem minime conuenit, vnde licet colligere alteram indiuidui definitionem in hunc modum; (Indiuiduum, est cuius omnes simul proprietates in multi, inueni non possunt.

Indiuiduum igitur a specie.) confert indiuiduum cum specie ac genere comparatione partium & totius, atque genus esse totum, indiuidum partem, speciem vero & totum, & partem, totum respectu indiuidui, partē respectu generis: Loquitur autem non de toto essentiali, & parte integrāte aut essentiali, sed de toto vniuersali, & parte subiecta, vnde potest colligi hæc tertia indiuidui definitio. (Indiuiduum est id q subijcitur speciei in quæstione quid est.

De genere igitur.) Epilogus est eorum, quæ de genere & specie, tum seorsim, tum etiam promiscue disseruit, nec præterit indiuidua, quę extremo loco explicata sunt.

Vtrum in definitione generis necessario sit ponenda species, & vicissim genus in definitione speciei.

QVAESTIO PRIMA.

CVm speciei vocabulum in tres significationes hoc capite distinguatur, in formam corporis exxternam, in speciem subijcibilem, & in prædicabilem: De sola specie subijcibili in hac quæstione sermo instituitur. De hac enim sola intelligitur id, quod Porphyrius ait necesse esse, vt in definitione generis ponatur species, & vicissim, genus in definitione speciei.

Pars igitur negatiua quæstionis in primis ita potest confirmari: Relatiua non per alia, quam correlatiua adæquata, videntur definienda; Species autem non est generis correlatiuum adæquatum; Igitur non necessario in definitione generis ponenda est species. Minor propositio ita suadetur. Genus non solum ad speciem, sed etiam ad indiuidua refertur. Species igitur nō est adæquatum generis correlatiuum.

Secundo, si genus, & species sese mutuo definirent, propterea quod mutuo referuntur, traderentur definitiones per æque nota, aut æque incognita; Etenim talia esse dicuntur, quæcunque mutuo se respiciunt. Hoc autem pugnat cum ea definiendi lege, quam tradit Aristot. 6. Top. cap. 3. vbi ait, quicquid definitur, per notiora esse definiendum; Non igitur genus & species mutuo sese definire debent.

Tertio, si genus species mutuo se definirent, sequeretur idem collocari posse in definitione sui: Consequens est falsum & plane repræhenditur ab Aristo. loco citato. Quod autem id sequeretur, facile est ostēdere. Vt enim philosophus ibidem ait loco cuiusque nominis in definitione positi licitum est adhibere eius definitionem. Quo dato cum species dicatur esse id, quod subijcitur generi, posita loco generis definitione ipsius generis sic habit definitio: Species est id, quod subijcitur ei, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quæstione, (quid est.) quo pacto iam

exprimitur species, in definitione speciei.

Tota hujus quæstionis difficultas in duobus quasi punctis posita est; Vno sitne adæquatum correlatiuum necessario ponendum definitione relatiui. Altero, quod nam sit primum & adæquatum correlatiuum generis. Vt autem hæc & planius tractentur, illud ante intelligendum est, quid intersit inter primum siue immediatum correlatiuum, & adæquatum. Primum & immediatum est illud, quod totam terminat relationem relatiui, non interuento alterius, quo pacto maius est correlatiuum minoris, & actus potentiæ, Adæquatum vero est illud, præter quod nihil est aliud, quod terminet relationem relatiui; Quo etiam pacto maius est correlatiuum minoris, cum nihil terminet relationem minoris nisi maius. Non tamen hoc pacto actus est correlatiuum potentiæ habentis obiectum, quia etiam obiectum terminat relationem potentiæ, quanquam, vt multi ferunt, actus sit correlatiuum adæquatum potentiæ non habentis obiectum, qualis est materia respectu formæ.

Hinc efficitur, vt non omne primum immediatumque correlatiuum sit adæquatum, nec omne adæquatum sit primum. Nec actus potentiæ videndi est primum & non adæquatum, cum obiectum etiam terminet relationem, potentiæ uidendi. Contra uero actus materiæ, ut analogicè complectitur actum substantialem, & accidentalem, si multorum opinionem spectes, est adæquatum correlatiuum materiæ, sed non primum, quia non totum immediate terminat habitudinem materiæ sed actus substantialis immediate, accidentarius autem mediate & interuentu substantialis. Quanquam autem de adæquato correlatiuo materiæ non pauci ita sentiant; res tamen a nobis hoc loco tanquam exemplum duntaxat allata sit. Neque enim hac de re quicquam in præsentia statuimus. Dabitur aliquando locus quæstioni dirimendæ.

Quod ergo attinet ad priorem difficultatis partem dicendum est, non necesse esse, ut in definitione relatiui ponatur adæquatum correlatiuum, sed primum. Prior pars huius assertionis patet, quia in definitione pure potentiæ, quę est materia (& si ponamus superiorem sententiam de adæquato materiæ correlatiuo ueram esse) nō necesse est, ponere actum, ut analogicè dicitur de forma substantiali & accidentaria, sed satis est si ponatur substantialis.

posterior pars probatur. Quia omne relatiuum debet definiri per primū aut adęquatum correlatiuum. Quamuis autem ita possit definiri per primum, ut non definiatur per adæquatum, ut ex confirmatione superioris partis perspicuum est; tamen non potest definiri per adæquatum, nisi simul definiatur per primum. Quod autem non possit definiri per adæquatum, nisi simul definiatur per primum, ex eo patet: quia adæquatum correlatiuum uel est adæquatum simul & primum, ut maius respectu minoris, & minus respectu maioris; uel adæquatum, & non primum ut actus, quatenus iuxta prædictam multorum opinionem dicitur de forma substantiali & accidentaria respectu materiæ. Quando autem non est primum, semper accipitur analogice & præcipue pro primario, ut inductione patet. Vnde fit, ut etiam tunc relatiuum definiatur per primum correlatiuū. Vnde Arist. 6. Top. cap. 4. omnibus Philosophis consentientibus, affirmat, peccare eum, qui indefinitione relatorum, nō adhibet ea, ad quæ illa primo referuntur.

Quod uero attinet ad posteriorem difficultatis partem tres sese offerunt sententiæ, duæ omnino contrariæ & quasi extremę. Prima opinio est Leuoamedsium dicentium, speciem non solum esse primum, sed etiam adæquatum correlatiuum generis, proinde res quæ sunt genera, ut animal & plantam, non referri ad indiuidua relatione generis, sed alia quadam relatione diuersa specie a respectu generis, ex qua constituitur species quędam innominata uniuersali, quæ necessario addenda est quinque uulgatis speciebus, ut diuisio uniuersalis adęquata sit, Verum hęc opinio, quę ex parte asserit, speciem esse adęquatum generis correlatiuum, facile refellitur. In primis definitione generis. nam, cum genus, quatenus genus est definiatur per respectum ad omnia differentia specie, de quibus prędicatur in quęstione, (quid est;) In his autem non solum numerentur diuersę species, sed etiam indiuidua diuersarum specierum eiusdem generis: efficitur, ut genus, qua ratione genus est, non solum

solum referatur ad speciē, sed etiam ad indiuidua. Deinde ex diuisione vniuersalis, siquidē & Porphyrius,& Aristot. & omnes alij veteres philosophi existimarunt, se adęquate diuidere vniuersale in quinq; vulgatas species,nec vllum vniuersale crediderunt prædicari in quæstione. [quid est] nisi prædicatione generis, aut speciei. Quo fit vt ponere aliā speciem vniuersalis,cuius ꝑdicatione res,quæ dicūtur genera,prędicētur de suis indiuiduis, vt superior opinio docet,omniū veterum sententiæ repugnet.

Altera opinio, est aliorum quorundam qui a Louaniensibus referuntur, dicētium speciem nec esse adæquatum correlatiuum generis, nec primum seu immediatum sed necessario dādum esse aliquid cōmune vniuocum speciei & indiuiduo, quod vocant subijcibile, seu particulare in quæstione, [quid est]incōplete,ad quod primo,& adęquate referatur genus, Hoc enim commune est speciei & indiuiduo,quod vtrumque subijciatur generi in quæstione,[quid est] incōplete; quo pacto correlatiua aliorum vniuersaliū non subijciuntur suis vniuersalibus.Sed nec huiusmodi sententia,quanquā probabilis sit,videtur amplectēda,quę ex parte negat,speciem esse primum immediatūq; generis correlatiuum,primo quidē quia si aliquid cōmune vniuocum speciei, & indiuiduo esset primum correlatiuū generis : non esset necesse definire genus per speciem, imo vero vitiosum esset hoc definitionis genus,quandoquidē nullum relatiuum definiendum est per solum secundarium correlatiuum, quemadmodum pater in cōe non est definiendus per hunc filium.

Cum ergo Porphyrius aperte docuerit: se necessitate cōpulsum, definiuisse genus per speciē(id quod cæteri omnes alicuius notæ Philosophi faciendum fuiset sentiūt, atq; adeo plane exequuntur,nunquam aliter genus,quam per speciē definientes)efficitur, vt nullo modo videatur negādum, speciem esse primum generis correlatiuū.

Deinde, quia si genus refertur primo ad aliquid commune speciei & indiuiduo: cum genus ponatur species infima vniuersalis:erit etiam commune illud species infima particularis seu subijcibilis. Nā si relatiuum est species infima,necesse est,vt primum eius correlatiuum sit species infima: Iam vero si species,& indiuiduum,cum nō sint res singulares, sed communes, conueniunt in quadam specie infima:erunt composita per accidens(nam sub species infima sola indiuidua continentur, aut composita per accidens) quod quanquam huius opinionis autores fateantur: non tamen videtur concedendum. Videtur enim Porphyrius non minus credidisse, speciem esse cōpositum per se, quam genus: quod per ipsam necessario definiendum docuit. Tertia igitur opinio, quæ & omnium grauium Philosophorum est, & a nobis amplectenda,hac assertione continetur: Species non est adæquatum generis correlatiuum, sed primum & immediatum. Hæc assertio in primis probata, relinquitur impugnatione primæ ac secundæ opinionis. Deinde probatur hoc argumento: Natura eius, quod denominatur genus, vt animalis natura, primo est in speciebus, remote autem in indiuiduis, siquidem genera per suas species sunt in indiuiduis. Genus igitur, qua genus est,proxime respicit speciem,remote autem indiuidua. Ex quo fit consequens, vt species non sit adæquatum generis correlatiuū sed primū & immediatū.

At obijcies primo in hunc modum:species,& indiuidua, quatenus ad genus referuntur, hac ratione vniuocè conueniunt: quod vtrumque subijciatur generi,in quæstione quid est incompletè. Genus igitur primo respicit illud commune vniuocum; remotè vero speciem & indiuiduum; Quare species non est primum generis correlatiuum. Secundo, vt genus refertur ad speciem & indiuiduum: Sic etiam species & indiuiduum, cum sint correlatiua generis referuntur ad genus. Aut igitur hæc referuntur ad genus eadē numero relatione: aut diuersis numero; atqui non referuntur eadē numero, quia eadem numero relatio non potest esse in diuersis numero fundamentis; Ergo referūtur diuersis nu. relationibus. Iā vero si referuntur diuersis nu. relationibus,aut huiusmodi relationes differunt solo numero, aut etiam specie. Non possunt autem specie differre,quoniā alioqui duo incōmoda colligi videntur alterū, quod vnū specie relatum, quale est genus, referretur ad diuersa specie correlata,contra illud Aristotelis pronunciatum: Quot modis dicitur vnum oppositorū, totidem dicitur alterū,quo vtitur 1.lib. Top.c.13.

Alterum,

Alterum, quod pari ratione genus proximum remotum diuersis specie relationib. ad speciem infimam referretur: Quippe cũ genus remotum interueniẽte proximo speciem infimam respicit, ergo relatio speciei, & indiuidui ad genus differunt solo numero, & ex consequenti conueniunt in quadã communi specie, ad quam primo & immediate terminatur relatio generis.

Hæ tamen obiectiones ita diluuntur: prior quidem, negando antecens, quia commune illud, in quo conueniunt species, & indiuiduum, quatenus ad genus referuntur, non est vniuocum, sed analogum. Nam subijci generi per seipsum, quo pacto species subijcitur, & subijci eidem generi per aliud, quo pacto subijciuntur indiuidua, non conueniunt vniuoce, sed analogice, in eo, quod est, subijci generi: Quemadmodum substare contrarijs per se ipsum, siue imediate, quomodo quantitas substat albedini & nigredini; Et substare cõtrarijs per aliud siue mediate, quõ substantia albedĩni, & nigredini subijcitur, non conueniũt vniuoce, sed analogice, in eo, quod est substare contrarijs, id quod in prędicamentis cap. de substant. apertum erit.

Posteriori autem obiectioni occurres si dixeris, speciem, & indiuiduum referri ad genus diuersis specie relationibus: nec incommodum esse id, quod priori loco colligebatur, vnum, scilicet, specie relatum referri ad duo correlata specie diuersa, modo ad unum referatur proxime, ad alterum remote, quo pacto potentia refertur ad actum & obiectum. Illud enim Aristotelis pronunciatum in his tantum intelligendũ est, quę primo & immediate opponuntur: alioquin colligere, visum corporis esse duplicem, quia duplex est eius correlatiuum, actus, videlicet, & obiectum: Vere tamen colligimus visum, vt complectitur visum corporis & animi duplicem esse, quia actus videndi duplex est, alter, qui organo corporis perficitur, alter, qui solius animi functione. Alterũ vero incõmodum nequaquam colligitur; non enim est vtriusq; par ratio, quia indiuiduum nihil potest respicere relatione subijcibilitatis incõplete nisi interueniente specie, at genus remotum potest aliquid respicere relatione generis non interueniente proximo, nempe speciebus, in quas immediate diuiditur.

His ita constitutis, perspicuum est, quid ad quæstionem principalem respõdendum sit. Cum enim prius ostenderimus, non necesse esse, vt in definitione relatiui ponatur adæquatum correlatiuum; sed primum & immediatum, nisi cum accidit, ut idem sit adæquatum, quod immediatum: Tum autem planum fecerimus, primum & immediatum correlatiuum generis esse speciem: Reliquum est, vt colligamus, necessario genus ponendum esse in definitione speciei, & speciem in definitione generis, vt Porphyr. initio capitis asseruit. Ex his patet solutio ad primum argumentum initio quæstionis positum negando. s. maiorem, quæ nisi intelligatur de correlatiuo adequato, ꝙ idem sit primum, falsa est, ut patet ex his, quę diximus.

Vt autem secundum diluamus, attendendum est, non proprie dici solere, alterum è duobus relatis sese mutuo respicientibus definiri per alterum, sed potius dicendum esse, definiri ad alterum, vt scire docuit M. Albertus in tractatione eorum quę sunt ad aliquid, cap. 9. Nec enim proprie dicimus res definiri, nisi per ea, quę definitio modo aliquo notiora sunt, vt per genus, & differentiam, aut per genus, & proprietatem, collectionemve aliquam propriam communium accidentium. At ea, quę mutuo sese respiciunt, non hoc pacto sese inuicem definiunt, quia neutrum ponitur in definitione alterius, vt genus definiri, aut differentia aut proprium, aut accidens, sed solum, vt terminus eius relationis, quę definitione explicatur. Ad secundum igitur argumentum neganda est maior. Nam unũ relatiuum definitur per suum genus, & differentiam, quę notiora sunt ipso; non definitur autem proprie per correlatiuum, sed ad correlatiuum: Non oportet vero, ut id, ad quod aliquid definitur sic notius ipso definito: Genus igitur & species, etsi mutuo sese definiant, nihilominus tradit definitiones per ea, quæ notiora sunt, (nimirũ per genus & differentia) definito, uel per ea, quæ loco eorum collocantur.

Ad tertium concedendum est, loco cuiusque nominis in definitione positi adhiberi posse definitionem rei, quã significat, modo iam adhibita non sit: Nec est incommodum in relatiuis, quod idem ponatur in definitione sui, sed solum in absolutis:

Nec enim ponitur relatiuum in definitione sui, vt seipsum declaret, id enim vitiosum esset, sed vt appareat, ad quid referatur eius correlatiuum. Diximus, (modo iā adhibita non sit:) quia si ita dicas: species est id, quod subijcitur ei, quod de specie prædicatur, in quæstione, (quid est,) Non licebit iterū loco nominis speciei adhibere speciei definitionē, quia iā posita est. Poteris ēt hoc modo argumentū soluere, negando scilicet maiorem, & ad eius probationem dicendū est illud Aristotelis dictum.

Loco cuiusq; nominis in definitione positis adhiberi posse definitionem rei, quam significat, in rebus tantum absolutis, non in relatiuis esse intelligendum.

Vtrum definitiones speciei rectè à Porphyrio traditæ sint.

QVAESTIO SECVNDA.

NOn videntur rectè à Porphyrio traditæ tres illæ speciei definitionis, quas initio capitis attulit. Primum quia duæ priores indiuiduis conuenire videntur, quandoquidem non solum species, sed indiuidua etiam subijciuntur generi in quæstione, quid est. Quod si dicas, subaudiendum esse particulam (proximè;) indiuidua vero non collocari proxime sub genere, sic adhuc vrgebimus. Indiuidua generis, vt hoc animal, proxime sub genere collocantur, non tamen sunt species, sunt igitur vitiose traditæ definitiones. Maior propositio ostenditur, quoniam vt hic homo se habet ad hominem, sic etiam hoc animal ad animal: At hic homo proxime subijcitur homini, ergo & hoc animal animali, deinde si particula, proxime, subaudienda est illud sequitur, definitionem speciei non conuenire homini respectu substantiæ, quippe cum ei non subijciatur proxime: & ex consequenti hominem non esse speciem substantiæ, quod nemo dixerit. Non videntur ergo duæ priores speciei definitiones rectè à Porphyrio traditæ.

Secundo, tertia quoque definitio vitiosa videtur. Nam genus prædicatur in quæstione, quid est, de pluribus numero differentibus, vt animal de Alexandro & Bucephalo, sed hæc est definitio speciei: Ergo hæc definitio conuenit generi.

Denique multis rebus, quæ non sunt species, conueniunt traditæ definitiones, igitur non rectè traditæ sunt. Antecedens sua detur hoc modo: Anima subijcitur in quæstione, quid est, cuidam generi, nempe formæ substantiali, vt docet Aristoteles in lib. de anima, materia item rerum, quæ gignuntur & intereunt, prædicatur in quæstione, quid est, de hac & illa materia, quæ solo numero differunt, sed anima, & materia non videntur esse species. Ergo conuenit alijs. Minor probatur, quoniam alioqui, cum ex anima & materia cōstent multæ rerum animatarum species, dandum erit, ex duabus speciebus constare alias species, quod negat Porphyrius extremo cap. huius lib. Multis ergo rebus, quæ non videntur species, conueniunt traditæ definitiones.

Vt tamen intelligas rectè traditas esse à Porphyrio definitiones speciei, aduerte in primis speciei vocabulum æquiuocum esse, non solum ad formam corporis, externamque speciem, de qua disserunt philosophi, de quibus analogicè dicitur: sed etiam ad eas species, in quas philosophorum species prima diuisione distribuitur. Diuiditur enim primum à philosophis in eam, quæ prædicatur, & in eam, quæ subijcitur, quarum comparatione speciei vocabulum est casu æquiuocum, quia huiusmodi species sola nominis communione conueniunt. Recentiores dialectici priorem vocant prædicabilem, posteriorem subijcibilem.

Animaduertendum est etiam, speciem subijcibilem diuidi in speciem mediam & infimam, non quidem vt genus in species, sed potius in cōposita per accidens, atq; inter species subijcibiles solas infimas esse prædicabiles. Nam cum species mediæ, qua ratione prædicantur, sint genera, infimæ vero, quia infra se nullam habent speciem; nō possint esse genera respectu inferiorum, hoc est, indiuiduorum, necesse est, vt alia quadam relatione ad ea referantur, quam quidem significat speciei vocabulum.

Dicendum est igitur, rectè traditas esse definitiones speciei, si modo priores duæ speciei subijcibili assignentur. Tertiā vero speciei prædicabili. Nam in duabus prioribus, quæ pro hac vna eademque habendæ sunt:

sunt: species dicitur id, quod subijcitur generi in quæstione, (quid est:) loco generis ponitur particula, (quod) qua innuit aliquid vnum nomine & ratione ut in definitione vniuersalis, quo fit, ut hac definitionis parte excludantur complexa, & cætera omnia, quæ per eandem particulam in definitione vniuersalis, reijciebamus. Reliqua verba loco differentiæ habentur nimirũ, subijcitur generi ĩ quęstione (quid est,) scilicet proxime, quã particulam subaudire oportet. cęterum cum dicitur, ꝙ subijcitur, accipienda sunt hæc uerba, quasi dicas, ꝙ aptum est, ut subijciatur uere, a se & secundũ naturam, quo pacto uerbũ, prædicatur expositũ est in priori definitione uniuersalis: Vnde fit, ut particula, subijcitur, excludantur oĩa uniuersalia, quæ rõne uniuersalia sunt, eo, ꝙ nulla res uniuersalis, quatenus uniuersalis, est, subijciatur, sed ꝑdicet.

Excluduntur etiam differentiæ qua ratione quodammodo subijciuntur generi, eo quod non subijciantur illi secundũ naturam, sed contra naturã, ut rationis particeps animali: Cum dr̃, generi, excluduntur subiecta, quæ naturali prædicatione subijciuntur prædicatis, quæ non sunt genera. Quo pacto se habent cygnus & papyrus respectu albi. Cũ additur, in quæstione quid est, excluduntur ea, quæ naturaliter subijciuntur quibusdam prædicatis, quæ sunt illa quidem genera sed tamen non eorum, sed aliorum subiectorum, quo pacto comparantur cygnus, & corvus cum colorato. Cum denique adijcitur, proxime, excluduntur indiuidua, quæ etsi subijciantur generi in quæstione, quid est, non tamen subijciuntur proxime, sed interuentu speciei. Patet igitur recte traditas esse duas priores speciei definitiones.

In tertia uero definitione, quæ sic habet: (Species est, quod prædicatur de pluribus differẽtibus numero in quæstione quid est; loco generis ponitur, quod prædicatur de pluribus,) quæ uerba eodem modo exponenda sunt, quo in definitione generis intelligẽda esse diximus, proinde eadem hic excluduntur, quæ ibi. Quod autem additur, in quæstione quid est, excludit differentias, propria, & accidentia, ut in eãdem generis definitione. Illa denique; particula, differentibus numero excluduntur genera omnia, modo subaudiantur particulæ, proxime, & solo, ut definitio sic habeat. Species est, quod de pluribus solo numero differentibus in quæstione quid est proxime prædicatur.

Superest ut argumenta initio proposita diluamus ad primum dicendum est, Solutionem ibi traditam esse bonam, ut patet ex dictis, & ad priorem impugnationem neganda est maior. Deinde ad eius probationem neganda est etiam maior. Nam diuersa ratio est; Quanquam enim par sit in utraque oratione uerborum collocatio, in rebus tamen significatis dispar ratio est, cum illud, hic, significet differentiam, quæ proxime diuidet hominem, illud autem, hoc, differentiam, quæ remote atque interuentu speciei diuidit animal, utpote aliquam ex ijs, quæ proxime diuidunt speciem, ac proinde hoc animal designat aliquod certum indiuiduum animalis, inter quod tamen & ipsum animal mediat species. Ad id uero, quod posteriori loco contra eandem ex positionem obijcitur, dicendum est, etiam respectu substantiæ homini conuenire definitionem speciei, Nam & si substantiæ non subijciatur homo proxime, tamen quatenus substantiæ subijcitur, necessario habet ut subijciatur proxime alicui generi inferiori, ut animali, quandoquidem species eadem relatione ad remotum, & proximũ genus refertur nec potest generi remoto subijci, quia sub proximo aliquo contineatur. Item definitio intelligenda est, ut illud dicatur species respectu omnium, quibus subijcitur in quæstione quid est, quod proxime sub aliquo genere collocatur.

Ad secundum concessa maiori neganda est minor. Illa enim non est tota definitio speciei, quoniam addendæ sunt particulæ, proxime, & solo, ut diximus. Genus autem non prædicatur proxime de differentibus solo numero.

Ad tertium respondet Caietanus negãdo consequens, & ad eius probationem negat, animam uel materiam esse species, imo nec uniuersalia; Dicit enim nihil esse proprie uniuersale, nisi prędicetur de pluribus rebus naturæ completę, hoc est, quæ per se ponatur in aliquo prędicamento, ut de pluribus animalibus, & hominibus, de pluribus quantitatibus aut qualitatibus, & cęteris huiusmodi, quę per se ponuntur in prędicamentis. Quare in definitione uni-

uersalis nomine plurium intelligendas esse;ait res naturæ completæ quo pacto definitio non accommodatur materię,formę & reliquis huiusmodi,quia materia nō potest prædicari in recto,nisi de hac & de illa materia; que sententia incompleta, & similiter anima. Itaq;affirmat nec formam substātialem esse proprie genus, nec animam aut materiam rerū,quæ gignuntur & intereunt esse proprie speciem, quia non prædicatur de rebus naturæ completæ. Hæc autem solutio hoc vno argumento satis refutatur; quoniam par ratio est in rebus vniuersalibus atq; in his, quæ subijciuntur vniuersalibus,sed res incompletæ naturæ sunt vniuersales, vt differentia,igitur, & res,quæ subijciuntur huiusmodi vniuersalibus possunt esse naturæ incompletæ. Quapropter materia rerum, quæ gignuntur, interunt, erit vere species materiæ,& forma vere genus animę,& ita in cæteris. In forma igitur ad argumentum, negatur antecedens, & ad eius probationem concessa maiore, neganda est minor. Ad probationem vero minoris dicendum est, quod porphyrius ait, ex duabus speciebus nunquam effici tertiam, non vniuerse intelligendum esse, sed in his tantum speciebus,quæ sunt naturæ completæ, qualis non est anima, nec materia.

Vtrum indiuiduum recte definitum sit à Porphyrio.

QVAESTIO TERTIA.

ILlud in primis in hac quæstione aduersus porphyrium occurrit, quod frustra indiuiduum definierit. Nam sola vniuersalia definiri possunt, vt primo post. 1. & 7. cap. 7. & 7. Metaph. & sæpe Aristoteles, & cęteri Phylosophi docent; Indiuiduum autem nō est vniuersale,cum de pluribus prędicari non possit; Ergo non potest Indiuiduum definiri.

Secundo, Esto demus indiuiduum ratione aliqua posse definiri,non videtur tamen recte a porphyrio definitum, quia indiuiduum est negatiuum quid idem. enim valet,ac si dicas, id quod diuidi non potest igitur per negationem definiri debuit,quo quidem pacto non videtur a Porphyrio definiri,sic enim ait;Indiuiduum est,quod de vno solo prædicatur, vbi nulla talis negationis mentio fit.

Tertio, quidam homo non prædicatur de uno solo,sed de pluribus,quod idem in cæteris apertum est; Non omnibus ergo in diuiduis conuenit indiuidui definitio. Maior probatur ex Aristotele cap. de substantia dicente,quendam hominem, & quendā equum esse primas substantias, prima autē substantia res indiuidua est, ut cap. de substantia videbitur.

Quarto, Nulli indiuiduo videtur indiuidui definitio accommodari. nam Socrates,& hoc album sunt indiuidua,vt perspicuum est: At neutrum prædicatur de vno solo,sed de multis,Socrates enim prædicatur de hoc albo & de seipso, itemque hoc album de seipso & de Socrate, quæ quidē sunt plura non solum numero, sed etiam specie ac genere: Igitur nec Socrati nec huic albo conuenit tradita indiuidui definitio, quod idem in cæteris eodem modo ostendi potest. Postremo videtur indiuidui definitio conuenire rebus non indiuiduis. Nam Sol,Luna,Mercurius prædicantur de vno solo,nec tamen sunt Indiuidua sed vniuersalia (alioqui non tractarentur à phylosophis,qui de solis rebus vniuersalibus disserunt.) Igitur tradita definitio indiuidui conuenit rebus non indiuiduis.

Dicendum est tamen,indiuiduum etiam definitione explicari posse, & apte a Porphyrio fuisse definitum,quod vt pateat,animaduertendum est, hanc uocem, Indiuiduum,esse nomen connotatiuum,quemadmodum uniuersale,preindeq; aliud significare,aliud connotare: Connota enim rem quæ dicitur Indiuidua:vt Socratem,Platonem, significat vero, (si præcipuam eius significationem, quod ad dialecticū attinet, spectes) notionem quandam siue relationem, qua res indiuidua ad vnum refertur, de quo tantum prædicari potest. Cæterum si consideres,vnde indiuidui nomen desumptum est, idem significat, ac si dicas, quod diuidi non potest in partes subiectas. Qua significatione indiuidui nomen est negatiuum, quippe cum negationem quandam diuisionis in partes subiectas significet; Et e tertia huius nominis significatione, quæ significat notionem qua res indiuidua subijci potest speciei infimæ.

His

His positis perspicuum erit, recte definitum esse indiuiduum a Porphyrio definitionibus, quas in contextu annotauimus. prima enim, quæ aperte proponitur hoc modo, (indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur,) primam præcipuamque rei indiuiduæ notionem aperte explicat. Secunda vero, quam in expositione cōtextus diximus ex verbis sequentibus elici, nempe, indiuiduum est, cuius omnes simul proprietates in pluribus rebus inueniri non possunt, optime exponit a signo eam indiuidui significationem, quam secundo loco numerauimus. Tertia denique, quam docuimus hoc modo colligi posse ex illis verbis, (indiuiduum igitur ab specie continetur,) indiuiduum est, quod subijcitur speciei infimæ in quæstione quid est,) recte declarat eam notionem rei indiuiduæ, cuius tertio loco meminimus. Cum ergo his tribus definitionibus aperte explicentur tres indiuiduæ significationes, quas diximus, planum est indiuiduum recte fuisse a Porphyrio definitum.

Superest, vt ad argumenta initio proposita respondeamus: ad primum concessa maiori distinguenda est minor. Si enim intelligatur de indiuiduo denominatiue, vel de re singulari, vt Platone, quæ denominatur indiuidua, concedenda est: sinautem intelligatur de idiuiduo formaliter sumpto, neganda est. In his enim indiuidui definitionibus non definitur res aliqua, quæ indiuidua cognominetur. seu in prima & tertia definitur vtraque indiuidui intentio, in secūda vero ea indiuidui negatio, a qua indiuidui nomen desumptum est, quæ quasi formæ quædam sunt respectu suorum inferiorum de quibus dicuntur.

Ad secundum respondetur negando antecedens, si indiuiduum formaliter, id est. pro secunda intentione sumatur, sic enim quædam relatio positiua est.

Ad tertium respondetur negando maiorem. Nam id, quod primo significatur his verbis, (quidam homo,) non est vere indiuiduum sed indiuiduum vagum, vt vocant, quemadmodum, quidā equus, & quicquid significatur nomine communi adiuncto signo particulari, vt significet indeterminate aliquam differentiam indiuiduantem, qua natura communis contrahatur, itaque id, quod significatur hac voce, (quidā homo,) non est prima substantia; sed id cui attribuitur significatum, vt Petrus, qui dicitur quidam homo. At vero cum hoc loco definitur indiuiduum, ea sola indiuidui nomine comprehenduntur, quæ vere sunt indiuidua, vt Socrates, hic equus & similia determinata, & præfinita. Ad probationem maioris dicendum est, quod Aristoteles ait, quendam hominem & quendam equū esse primas substantias, non sic accipiendū esse, quasi doceat, quendam hominem toto ambitu suæ significationis esse vnam primam substantiam, & quendam equum aliā; sed ita quasi apertius dicat, res, quæ dicuntur quidem homo, & quidam equus, vt Alexandrum, & Bucephalum, esse primas substantias.

Ad quartum concessa maiore, neganda est minor, & ad probationem dicendum, Socratem non prædicari de hoc albo secundum naturam, quo tamen pacto prædicatio in hoc libro intelligitur, vt supra diximus; Hoc vero album prædicari quidem de se ipso, & de Socrate secundum naturam: Ceterum non vnde pluribus, quæ dicantur plura secundum idem nomen, quod de pluribus affirmari dicitur; Nec enim dicitur hoc album de se ipso & de Socrate, vt de pluribus albis; Quo tamen modo prædicatio de pluribus hoc loco intelligitur, quare tam Socrates, quam hoc album de vno solo dicitur ea prædicatione, quam hic intellexit Porphyrius.

Ad quintum respondetur negando maiorem; nam sol non tantum prædicatur de hoc solo existēte in rerum natura, sed etiā de pluribus, qui potestate diuina fieri possunt. Sol enim non significat primo hunc designatum solem, quem cernimus, sed solem absolute, nulla differentia indiuiduante constitutum, sub quo dubium non est, quin multi soles cogitari possint diuina potestate procreabiles. Idem dicendum est de Luna, Mercurio, & cæteris huiusmodi.



CAPVT TERTIVM DE DIFFERENTIA.



Ifferentia autem communiter, propriè & propriissimè dicitur. Differre namque quippiam communiter dicitur, cum diuersitate quouis modo aut à seipso, aut ab alio differt. Et semper hæc differentia in ijs est sanè diuersitatibus, quæ consistunt in hisce, quæ, cum interrogamus quomodo res sese habet, assignari reddique solent. Proprie vero aliqua differre dicuntur, cum inseparabili differunt accidente. At inseparabile accidens est, ceruleus oculorum color, aut simitas, aut cicatrix callo ex vulnere in lusto. At propriissimè quippiam à quopiam differre dicitur, cum specifica differentia differt, quemadmodum homo ab equo specifica differentia differt, rationalis qualitate, omnis igitur vniuersaliter differentia diuersum facit adiuncta. Sed communiter quidem & propriè differentiæ, diuersum per accidens faciunt, propriissimè vero diuersum per se: Quod quidem & aliud dicitur. Illæ simpliciter differentiæ, hæ specificæ nuncupantur. Animali namque differentia rationalis adiuncta, aliud sanè, ac animalis speciem facit. Motus autem additus diuersum à quiescente tantummodo fecit. Quare illa quidem aliud, hæc vero diuersum tantummodo fecit. Iuxta eas igitur quæ faciunt aliud, diuisiones generum in species fiunt, & diffinitiones etiam assignantur, quæ quidem ex genere, talibus ve differentijs constant. E cæteris vero diuersitates per accidens tantum emergunt eius, quo de qualiter sese habet interrogatur. Rursus igitur a principio differentiam diuidentes, differentiarum alias separabiles, alias inseparabiles, dicimus esse. Moueri namque, atque quiescere, & valere, ac ægrotare, & quę sunt similis generis, separabilia sunt: Aquilinum autem esse, vel simum, & rationale, & irrationale, inseparabilia sunt. Inseparabilium rursus alias per se alias per accidens esse. Rationale namque, & mortale, & susceptiuum esse scientiæ, per se homini competunt: At aquilinum esse vel simum, per accidens, & non per se competit. Quæ igitur per se competunt, in substantię ratione sumuntur; & aliud faciunt. Quę vero per accidens, diuersum, vt diximus. Et hę quidem etsi inseparabiles sunt, intensionem remissionem vè suscipiunt. Simum enim esse, aut coloratum, intenditur atq; remittitur. Ille vero non suscipiunt. Neque enim genus magis minus ve de eo cuius est genus dicitur, neque generis differentiæ, quibus in species genera diuiduntur. Hę namque sunt, quæ cuiusque rationem conficiunt. At vniuscuiusq; ratio vna est, eadēque neq; intentionem, neq; remissionem vllam suscipiens. Aquilinum autem esse, vel simum, vel aliquo modo coloratum, & intenditur, & remittitur. Cum igitur tres species differentiæ considerentur, & aliæ quidem sint separabiles, aliæ inseparabiles: Et rursus, inseparabilium alię per se sint, alię vero per accidens. Rursus differentiarum per se, alię sunt eæ, per quas in species diuidimus genera, aliæ per quas ea quæ sunt diuisa consistunt. Veluti differentiæ per se animalis hæ sunt omnes, animatum,

matum,

matum, sensitiuum, rationale ac irrationale, & mortale & immortale. Atque animati quidem & sensitiui differentiæ, constitutæ sunt substantiæ animalis, est enim animal substantia animata sensitiua. Mortalis vero ac immortalis, rationalis & irrationalis, animalis differentiæ diuisiuæ. Per has enim in species genera diuiduntur. Verum hę quæ sunt generum diuisiuæ, constitutiuæ sunt specierum, nam animal per rationale ac irrationale, & per mortale rursus ac immortale diuiditur. Sed mortalis quidem rationalis vè differentiæ constitutiuæ sunt hominis Rationalis vero ac immortalis, Deorum. Irrationalis autem atque mortalis, animalium expertium rationis. Sic & substantia suprema per differentias diuiditur animati atque inanimati, item sensitiui & non sensitiui. Ac differentiæ quidem animati, & sensitiui vna cum substantia sumptæ animal conficerę: Animati autem atque insensibilis, plantam, Cum igitur eædem differentię partim constitutiuæ sint, partim diuisiuæ vniuersæ specificæ nuncupantur. Atque his opus est maxime ad generum diuisiones, & ad diffinitiones conficiendas. Sed non illis alijs, quas separabile esse, aut inseparabiles diximus. Has itaque diffinientes, differentiam, inquiunt, eam esse, qua species genus excedit. Homo namque plus quam animal habet rationale atque mortale: Animal enim nihil istorum est. (Vnde enim differentias species haberent.) Neque vero omnes oppositas habet. (Idem enim opposita nimirum haberet.) Sed vt censant, potentia quidem omnes eas differentias habet, quæ sub se sunt, actu autem nullam atque hoc pacto neque ex non extibus quicquam fit, neque circa idem opposita simul erunt. Diffiniunt ipsas & hoc pacto, differentia est id, quod de pluribus & differentibus specie & hoc ipso quale quid est prędicatur. Rationale enim & mortale de homine, hoc ipso quale quid est homo, sed non hoc ipso quid est prędicatur. Nam si interrogabimur, quid est homo? accommodatè dicemus, animal. At si quale animal est interrogabimur, rationale mortaleque accommodatissimè respondebimus. Nam cum res a materia formaque constent aut ex talibus similitudine rationis, vt statua ex ære quidem, vt ex materia constat, ex figura autem vt ex forma. Sic & homo communis, qui quidem, vt ex materia constat, ex figura autem vt ex forma. Sic & homo communis, qui quidem est species, ex genere & differentia constat, similitudinem rationis subuentibus cum materia atque forma. Totum autem hoc animal rationale, mortale, est homo, & ibi est statuta. Describunt tales differentias & hoc modo. Differentia est, id, quod suaptè natura ea, quæ sunt sub eodem genere separata, rationale enim ac irrationale equum & hominem separat, quę sub eodem, vt patet, genere, quod quidem est animal, collocantur. Insuper & hoc modo assignant. Differentia est id, quo singula differunt. Homo enim & equus genere quidem non differunt. (Et nos enim animalia sumus, & ea quæ sunt expertia rationis) sed additum rationale, nos ab illis sciunxit. Exactius autem ea quę ad differentiam pertinent pertractantes, differentiam inquiunt non quoduis eorum esse, quæ separant ea, quæ sub eodem genere collocantur. Sed id quod ad substantiam rationemque confert, & quod pars eius est rei, cuius differentia dicitur esse. Non autem aptum ad nauigandum esse, hominis est differentia, etsi eius proprium est. Dicere namque possumus animalium, alia esse apta, alia non esse apta ad nauigandum, hominem a cæteris sciungentes. At aptum esse ad nauigandū ad sub-

 stan-

stantiam sane non confert, neq; pars est ipsius, sed aptitudo solum. Propterea quod non est tale, quales sunt hæ differentiæ, quas specificas appellamus. Erunt igitur eæ specificæ differentiæ, quæ diuersam faciunt speciem, & quæ in ratione sumuntur. Atque de differentia quidem hæc satis sint dicta.

DIfferit iam Porphyrius de differentia, in qua explicanda tria differẽtiarum genera primum recenset, eademq; inter se comparat; deinde quandã aliam differentiæ diuisionem pertractat: Deniq; eam differentiam, de qua hoc loco potissimum habetur ratio multis definitionibus explicat.

Differentia autem cõiter.] Triplicẽ ait esse differentiam, cõem seu uulgarem, propriam & maxime propriam. Differẽtia cõis est forma accidentaria, & reipsa separabilis, qua aliquid a seipso in alio, atq; alio tẽpore, aut ab alia re differt, vt uirũ esse puerum, sedere, stare, Propria differentia est forma accidentaria, reipsa inseparabilis, qua aliquid a se ipso in alio atq; alio tẽpore, aut ab alia re differt, vt habere cicatricem, quæ iã callum obduxit, esse disciplinę capax. Differentia maxime propria, quæ ẽt specifica dicitur, id est, speciem efficiens, est forma ĩseparabilis omnino, qua aliquid ab aliquo essentiali discrimine differt, seu quæ speciem constituit, ut esse corporeum, esse rationis particeps, Quæ diuisio non est distributio vniuoci, sed analogi, quandoquidem differentia primum dicitur de maxime propria, secundo loco de propria, extremo de communi.

Omnis igitur.] Comparat tria proposita differentiarũ genera, docetq; earum tum cõionem, tum etiam pleraque discrimina. Cõio est, quod omnis differentia adiuncta alicui rei, facit eam diuersam, hoc est, differentem, Vnde colligi potest hæc generalis definitio differentiæ: [Differẽtia est forma, qua res a se in alio atque alio tempore aut ab alia re differt,] Quã definitionem post contextus enarrationẽ examinabimus.

Sed communiter quidem.] Primum discrimen est, ꝙ tum communes, tum etiam propriæ differentiæ accidentale discrimen efficiunt: id ꝙ ideo accidit, quoniam non pertinent ad essentiam rei. Quæ autem dicũtur maxime propriæ efficiunt intimum, & essentiale, quo res differens non solum vtcunque diuersa dicitur, seu ab alia differens, sed etiam omnino alia, id quod iõ euenit, quia huiusmodi differentiæ ad essentiam rerum differentiarum pertinent.

Illæ simpliciter differentiæ.] Alterum discrimen est, quod differentiæ, quæ maximẽ propriæ dicuntur, quæque aliud faciũt specificæ vocantur, cõmunes vero, & propriæ solo communi nomine differentiæ nũcupantur, quod discrimen ita est intelligendum, quasi planius dicat Porphyrius, differentias communem & propriam nõ fuisse veteribus proprijs ac peculiaribus nominibus appellatas, at eas, quæ ad tertium genus pertinent, iam olim dictas fuisse specificas quãdoquidem ipse fuit, qui primus differentiæ cõis, propriæ & maxime propriæ appellationẽ inuexit, vt patet ex verbo, dicitur, quo initio capitis vtitur. Quo loco cernis vocabulum differentiæ simpliciter prolatum, aliquando pro imperfectoribus significatis, hoc est, pro communibus ac proprijs differentijs apud Philosophos vsurpari, quoniam cum nomen aliquod plura significet, quorum vnum est perfectius, non semper accipitur pro perfectiori, sed interdum etiam pro imperfectiori: Exemplum habes in verbo, viuens, & in uerbo, animal: Illud enim cum significet animam & plantam pro solo animali, quod perfectius est, uulgo accipitur hoc autem cum significet hominem, & bestiam, contra pro solis bestijs, quæ sunt animalia minus perfecta, sæpe numero vsurpatur, qua de re diximus in cap. de genere.

Iuxta eas igitur.] Tertium discrimen est, quod diuisiones generum in species atque definitiones, nimirum essentiales, differentijs maxime proprijs conficiuntur, nõ autem communibus, aut proprijs: Quia tamen differentiarum, quæ maxime propriæ dicuntur, summa inopia laboramus cogimur fere in omnibus tum diuisionibus generum, tum etiam definitionibus specierum, loco earum, proprijs uti aut etiam cõmunibus.

Rursus igitur.] In hac altera parte capitis tractat Porphyrius longiorẽ quandam differentiæ diuisionem, quam ita orditur:

Diffe-

Differentiarum quædam separari possunt, nempe reipsa, quædam non possunt ita separari: priori membro comprehendit communes, vt moueri, quiescere, ualere & ægrotare: Posteriores vocauit proprias, & maxime proprias, vt esse cæsium, esse disciplinæ aut rationis capax.

Inseparabilium rursus.] Persequitur cæptam diuisionem, subdiuidens posterius mēbrum, hoc est, differentias, quæ separari non possunt, in differentias per se, & per accidens. Vocat autem differentis per se, eas, quas superius specificas, seu specierum effectrices nominauit: per accidens vero eas, quas appellauit proprias. Porro cum duobus modis fieri possit, vt aliquid alicui per se conueniat (quod docet Aris. 1. post. c. 4.) Vno, si ad eius essentiam pertineat, quo pacto tum animal, tum rationis particeps conueniunt homini; Altero si ex eius essentia quasi profluat, quomodo homini conuenit, quod sit disciplinæ capax: Priori tanto modo verba illa, per se, hoc loco accipienda sunt Itaque sensus diuisionis est, quasdam differentias. Inseparabiles pertinere ad essentiam rerum, quarum sunt differentiæ, alias minime.

Mortale & susceptiuum esse.) Hoc loco obseruandum est illud, quod dici solet, exēplorum non est requirenda veritas; nam nec mortale est differentia, quę animal diuidat, nec capax esse scientiæ est differentia, quæ hominis essentiam constituat: cum sit vis quædam siue potentia, quæ naturam hominis consequitur. Verum Porphyrius credidit, priorem esse specificam, diuisiuam que animalis, qua in re cum plerisque veteribus errauit: posteriorem vero attulit exempli tantum causa, non quod specificam esse putauerit; Exempla enim, vt docet Aristoteles 1. prior. capit. 39. non semper adhibentur, vt ita esse credatur; sed vt res intelligatur.

Quæ igitur per se.] Triplex descrimen constituit inter differentias per se; & per accidens. Vnum quod illę necessario assumantur in definitionibus essentialibus earum rerum, quarum sunt differentię, hæ minime. Alterum, quod illæ faciunt aliud, hoc est, essentialiter differre, hæ nequaquam. Tertium quod illæ nec magis nec minus admittant: in his nimirum rebus, quarum sunt differentiæ; hæ uero intendantur & remittantur. In quo discrimine duo notandi sunt. Vnum est, apud Dialecticum, qui non tam de rerum naturis, quam de prædicatione disputat; idem esse intendi, & remitti, atque prædicari cum ad verbis [magis & minus;] Quod enim philosophus, qui de rebus disserit, ait, rationale nec intendi in homine, nec remitti: Dialecticus his aduerbijs pronunciat; Homo non dicitur magis minusve rationalis, & quod ille dicit, calorem intendi ac remitti in igne, id Dialecticus hoc oratione significat, ignis dicitur magis, ac minus calidus. Alterum est, sic esse hoc discrimen intelligendum, vt dicamus, differentijs per se, qua ratione tales sunt, repugnare intēsionem ac remissionem, ac proinde nullam magis minusve admittere; Differentijs autem per accidens quatenus eiusmodi sunt, nec intentionem repugnare, nec remissionem, quanquam quædam sunt, quę suis naturis, intensionem remissionemque accipere non possunt: quales plurimę tum relationes, tum figuræ, tum etiam proprietates, vt esse risibile, esse disciplinæ capax.

Neque enim genus.] Duabus rationibus probat, differentias per se non admittere magis, aut minus in specie, quam constituūt prior ratio. Genus non admittit magis aut minus in specie, quam constituit; Ergo nec differentia per se, est enim par ratio in vtrisque cum differentię, atque atque genus ad essentiam speciei pertineant.

Hæc namque sunt.] Posterior ratio, quæ ponuntur in essentiali definitione, nec intēsionem, nec remissionem accipiūt, in re quæ definitur: Atqui differentiæ ponuntur in essentiali definitione speciej: Ergo non intenduntur nec remittuntur in specie. Maiorem non pouit Porphyrius, verum ex eo probat, quia essentia rei est vna eademque vt tradit Aristot. 8. metaph. c. 3. Hoc est, vno eodemque modo se habet respectu rei, cuius est essentia, nec intensionem, nec remissionem suscipit: Ergo nec essentialis differentia intensionem aut remissionem suscipit. Si enim differentia, qua essentia constat, intentionem aut remissionem patiatur: necesse est, esentiam intensionem & remisnem pati, cum omnis varietas causæ internæ, cuiusmodi est differentia, in effectum, vt est rei esentia, redundet. His duabus rationibus Porphyrij potest addi tertia, in hūc modum; quicquid recipit magis ac minus

nus in re aliqua, est accidens eius: Differentia vero non est accidens speciei, quam constituit: Non recipit igitur in ea magis aut minus. Illud interim animaduerte: non esse negandum, differentias per se eorum accidentium, quæ magis & minus admittunt in subiectis, quibus inhærent, in ijsdem quoque subiecti eandem varietatem vendicare. Nam cum albedo, exempli causa, intenditur & remittitur in aqua, necessario efficitur vt differentia, quæ albedinis naturam constituit, v.g. disgregatiuum visus, (si subponamus, hanc esse differentiam specificam albedinis) eidem intentioni remissionique sit subiecta; Quod idem de cæteris huiusmodi dictum intellige.

Aquilinum autem esse.) Ostendit quibusdam exemplis, differentiam per accidens intendi ac remitti posse, vt esse simum aut coloratum. Quo loco volunt nonnulli coloratum accipi pro albo aut nigro, eo q genera intentionem & remissionem non suscipiunt. Dicitur enim aliquid esse magis aut minus album, non tamen magis, aut minus coloratum. Cæterum si id vniuerse de omnibus generibus intelligant, eorum sententia vera non est; Sunt enim multa genera, quæ cum aduerbijs magis & minus frequentissime dicuntur, vt de homine probũ esse, scientem esse, & similia; Dicimus enim magis & minus probũ, magis & minus scientem seu doctum. Dicendum est igitur, omnia genera, quorum species admittũt magis & minus, ipsa etiam eidem varietati esse subiecta, si non secundum seipsa, at certe ratione suarum specierum.

Cum igitur tres species.) Vt absoluat totam posteriorem differentiæ diuisionem, repetit in primis priorem, quam in prima capitis parte posuit, tacitis tamen nominibus membrorum diuidentium, quæ species appellant, hoc est, partes siue membra diuidẽtia; Deinde adiungit ea membra, quæ hactenus ex posteriori diuisione emerserunt; Postremo subdiuidit differentiam, per se, quæ in tertia capitis parte varijs definitionibus explicanda est. Ait ergo, differentiarũ per se alias esse, quibus genera in species diuiduntur, alias, quibus species constituuntur quæ diuisio ita intelligenda, est vt differentiæ diuidentes, & constituentes aliæ sint atque aliæ, si ad vnum & idem genus referantur. Alijs enim reuera diuiditur vnũquoque genus, alijs constituitur, vt plane perspicitur in exemplo, quod statim ab autore subijcitur. Nec enim ijsdem differentijs diuiditur, a quibus constituitur. Quod si naturæ diuidentes & constituentes ad idẽ genus non referantur, non est dicendum, alias esse diuidentes, alias constituentes: Cum omnes diuidant aliquod genus, & aliquam speciem constituant; sed, omnibus hoc esse commune, vt alia ratione diuidant genus, alia speciem constituant. Potest autem hæc diuisio ad prima & præcipua differentiarum officia accommodari, hoc pacto: Prima ac præcipua differentiarum munera duo sunt, alterum diuidere genera, alterum constituere species. Prima & præcipua dictum est: quia alia sunt officia differentiarum posteriora, minorisque dignitatis, ut, efficere discrimina inter ea, quæ sub eodem genere collocantur, prædicari de pluribus essentiali prædicatione in quæstione, [quale est,] & si quid est aliud huiusmodi, quo loco docet, differentias per se dictas fuisse constitutiuas siue specificas, ab officio constituendi speciem; quia præstantius est constituere speciem, quam diuidere genus, cũ hoc ad illud dirigatur, quæ vero porphyrius adiungit, superius dicta sunt.

Has itaque definientes.] Reiectis differentijs communibus & proprijs: quoniam sub proprio & accidente continentur, earũ, quas maxime proprias per se ac specificas appellauit, quæque a cæteris vniuersalis speciebus distinguuntur, varias adducit definitiones a philosophis traditas. Prima est huiusmodi; [differentia est id, quo species suum genus excedit, subaudi excessu essentiali, vel, quod idem est, tanquam parte sui. Hinc cognoscimus proprietates specierum non esse differentiam earum: quia, etsi species excedunt genera sua peculiaribus sibi proprietatibus, nulla tamen proprietas pertinet ad essentiam speciei, cuius est proprietas. Contra vero hinc intelligimus, rationis particeps esse differentiam specificã hominis: quia homo hac parte excedit animal excessu essentiali, quod sit rationis particeps, vt patet ex definitionibus essentialibus vtriusque. Traditur autem hæc definitio differentiæ ab officio constituendi speciem Quia idem est dicere, differentia est, qua species excedit genus, ac si dicas; Differentia est, quæ adiuncta generi absoluit

speciem,

speciem, vt hoc loco Scotus animaduertit.

At obijciet aliquis, hanc definitionem competere alijs a definito, Animal non est differentia, respectu hominis, & tamen animali, respectu hominis, competit hæc definitio: Ergo mala est. Maior est uera. Minor probatur, animal est id, quo homo excessu essentiali excedit viuens, siquidem animal est de essentia hominis, non autem viuentis: Sed hæc est definitio differentiæ; Ergo competit animali respectu hominis. Respõdetur tamen ad argumentum, concessa maiore, negando minorem, & ad eius probationem negatur maior. Nec enim homo excedit viuens per animal, Nam vt Arist. 4. physic. ait c. 8. quando vna res aliquo excessu excedit alteram, excessus ipse, & res, quæ exceditur, ita se debēt habere, vt neutrum includat in se aliud; Verbi gratia, homo excedit animal per rationale, res excessa, idest, animal, & ipse excessus, idest rationale ita se habebunt, vt neutrum alterum includat in se. Vt igitur homo excederet viuens per animal, necesse erat, vt nec viuens includeret animal, nec animal viuens, quod tamen secus est., quia animal essentialiter includit viuens. patet igitur, hominem non excedere viuens per animal, ac proinde animali nõ conuenire illam definitionem: Vnde colliges, nec animam rationalē esse differentiam hominis; quia per illam homo nõ excedit animal, cum anima (quæ pars est animæ rationalis) includatur in animali. Ex quibus efficitur, hominem non posse diuidi in animal, & viuens, nec item in animal & animam rationalem, & ex consequenti, hominem nõ excedere viuens animali, nec excedere animal anima rationali.

Animal enim nihil.) Exponit, quonā modo intelligendum sit, genus non habere eas differentias, quibus a suis speciebus separari dicitur; Explicatio quatuor pronuntiatis continetur. Vnum est, genus neque nullas earum habere, hoc est, neque omnino illis carere; Alterum, nec oppositas habere, perfecte nimirum; Tertium, habere eas potestate; Quartum, nullam habere actu.

Primum pronunciatum ita probatur, si genus differentias huiusmodi non haberet actu, vel potestate, sequeretur, species ipsas a nullo subiecto materiave suas differētias habere, sed ex hoc sequeretur, differentias fieri ex nihilo, quando producūtur, quod est falsum; Ergo differentiæ sunt in genere aliquo modo. Maior probatur; Materia seu subiectum in quo differentiæ esse possunt, nõ est aliud quam ipsum genus, si ergo per se non sunt in genere, a nulla igitur materia seu subiecto species habent suas differentias. Minor vero probatur: Nam ideo anima rationalis creatur, quia antequam fieret, nec actu nec potestate erat in materia, ergo si eodem modo differentiæ nec actu, nec potestate sunt in materia, sequitur eas creari, quando producuntur.

Secundum pronunciatum ex eo probatur, quia si differentiæ perfecte essent in genere, cum illę sint oppositæ, darentur opposita simul perfecte cohærere in eadem re, quod fieri non potest.

Tertium & quartum probatur cum ex philosophorum sententia, tunc etiam ijsdē probationibus, quibus superiora duo probata sunt. Hęc enim duo posteriora eo differunt a prioribus, quod aperte proponunt ea, quæ implicite in illis continebantur, vt satis apertum est. Sed contra hæc statim occurrit huiusmodi obiectio; Animal est actu simul rationis particeps, & rationis expers, vtrumque enim verè ac simpliciter affirmamus; ergo genus non potentia tantum; sed actu habet oppositas differentias, quod negat Porphyr. & ex consequenti, possunt duo opposita perfecte, sine actu simul esse in eadem re, quod ille incommodum esse credit. Quod si dicas, non idem animal esse rationis particeps, & rationis expers, sed aliud particeps, aliud expers: Porphyrium vero putasse, incommodum esse admittere, idem animal habere actu vtramque differētiam, in promptu est refutatio. Si enim mihi das, aliud animal specie distinctum, esse rationis particeps, aliud rationis expers, fatearis nec esse est, idem & animal genere habere actu vtramque differentiam, quandoquidem diuersę species animalium sunt idem animal genere. Hoc autem ipsum putauit Porphyrius esse incommodum: si quidem non de animali indiuiduo, nec de aliqua specie animalis; sed de genere loquebatur.

Hæc tamen obiecto sic diluitur a Caietano: duobus modis intelligi posse, rem eandem habere simul actu duo opposita; Vno, per modum coniunctionis, ita nimirum, ut non includat ea in sua essentia, habeat tamen

men ea secum coniuncta, Altero, per modũ inclusionis, ita scilicet, vt ea in sua essentia ncludat Cum ergo Porphyrius negat, genus actu habere simul opposiltas differentias, non intelligit priori modo, sed posteriori. Nam etsi fieri non potest, vt eadem res numero habeat simul opposita per modum coniunctionis: (Socrates enim non potest esse simul albus & niger, & ita in cæteris) nõ tamen est dubium, qui in eadem specie aut genere id noluit. Homo enim simul est albus & niger, vt in Belga & Æthyope; animal vero simul rationis particeps & rationis expers, nempe in homine & bestia. At per modum inclusionis non solum eadem res numero non potest simul actu habere opposita; sed neque eadem genere aut specie.

Definiunt ipsas & hoc pacto. Hæc est secũda differentię definitio, tradita ex officio prædicandi, in qua intelligenda est essentialis prædicatio, hoc modo: [Differentia est, id quod essentiali prædicatione de pluribus, specie differentibus, in quæstione quale est, prædicatur.) Vtrum autem omnes specificæ differentiæ hac definitione cõprehendantur, inferius docebimus.

Nam si interrogabimur.) Ostendit differẽtiam prędicari in quæstione, (quale est) quia apte redditur, cum qualis res sit, quæritur. Quod autem recte reddatur, cum huiusmodi quæstio proponitur, ex eo collige, quia differentia est veluti, forma & qualitas generis; Quod vero sit forma & qualitas generis, ostendit ex proportione, quam habet compositio speciei ex genere & differentia, cum compositione rei naturali ex materia & forma, & cum ea compositione, qua res artificiosa ex subiecto naturali & figura conficitur.

Describunt tales differentias.) Tradit tertiam definitionem ex quodam officio differentię, quatenus differentia est, quod quidem est efficere, vt res differant inter se. Cum ergo ait. [Differentia est id, quod sua pte natura ea, quæ sunt sub eodem genere, separat; Verbum separat, sic intellige, ac si dictum sit, differre facit, subaudi etiam (discrimine essentiali,) ut propria & accidentia excludas.

Insuper & hoc modo.] Hæc est quarta definitio, solis verbis differens a superiori, idemque in ea, quod in illa subaudiendum est.

Exactius autem ea.) Si superiores definitiones non profuudius intelligantur, quam vt verba ipsa per se ferunt, nulla est earum, quæ in communes & proprias differentias transferri non possit. Vt igitur propria peculiarisque differentiæ specificæ explicatio plane atque perspicue tradatur, addit Porphyrius quintam definitionem, quæ defectum superiorum supplere videtur. Ea vero est huiusmodi. (Differentia est id, quod separat ea, quæ sub eodem genere collocantur, & ad substantiam eius pertinet, cuius dicitur differentia, eiusque pars est.) Breuius autem sic repetitur in fine capitis; (Differẽtia est id quod diuersam facit speciem, & in ratione essentiæ sumitur.) In qua definitione ponuntur verba, quæ plane ac perspicue significant essentialem excessum, essentialem prædicationem, & essentiale discrimen, quæ nos in superioribus definitionibus supplenda esse dicebamus.

Vtrum generalis definitio differentiæ, quæ ex contextu collecta est, recte tradita sit.

QVAESTIO PRIMA.

VT ea, quæ in hoc capite dicta sunt, excutiamus; in primis videndum est: sitne recte tradita generalis illa differentiæ definitio, quæ ex contextu collecta est, in hunc modum: (Differentia est forma, qua aliquid a se in alio, atque alio tempore, aut ab alia re differt.) Quod enim non videatur recte tradita, sic primo videtur ostendi: Facere differre est effectus differentiæ, sed multa faciunt differre, quæ non sunt differentiæ; Ergo definitio differentiæ non est recte tradita. Minor probatur; Cœlum differt a rebus corruptibilibus per suam materiam, cum diuersa sit harum, atque illius materia, vt docet Arist. 1. Metaph. c. 2. item substãtia differt a quantitate per se ipsam; Atqui nec materia, nec substantia, seu quantitas est differentia, formave hic definita; ergo vera est minor.

Secundo, nihil potest differre a se ipso, cum doceas Aristoteles 1. Metaphys. c. 9. iuxta

xta expositionem Alexandri, quæsiuit eadem numero, non posse esse differentia: Ergo non recte posita est particula, a se.

Tertia, genera non sunt differentiæ specierum, quas constituunt; vt animal non est differentia hominis, nec planta arboris, sed tamen genera sunt formæ suarum specierũ, vt docet Aristot. 2 Physico. easque faciunt differre genere; Ergo definitio differentiæ competit alijs a definito. Vt tamen ad quæstionem propositam respondeamus, primo loco explicandum est, quibus modis accipiatur differentiæ vocabulum: deinde declarabitur generalis differentiæ definitio. Quod attinet ad primum, sciendum est, duobus modis accipi vocabulum differentiæ ex vi nominis. Vno modo accipitur pro relatione rei differentis, qua ratione differens est. Nam cum differens, quatenus differens, relatiuum sit (differens enim ab aliquo differente differens est) efficitur, argumento sumpto a coniugatis, vt differentia sit quædam relatio, quemadmodum ex eo concludimus, similitudinem esse relationẽ, quoniam simile, qua ratione simile est, relatiuum est. Differentia in hac significatione abstractum quoddam est, significans solam relationem rerum differentium, vt hoc nomen, similitudo, abstractum est, significans solam relationem rerum similium. Illud tamen pro hac significatione animaduertendum est ex Arist. 1. Metaph. c. 9. & 10. lib. c. 1. differens interdum late accipi interdum pressius: Late quidem, cum ea dicimus differentia, quæ aliquo modo non sunt idem: idque qua ratione non sunt idem, vt substãtia, & qualitas, homo, & bestia, Socrates puer & vir factus: pressius vero ac proprie, cum ea duntaxat vocamus differentia, quæ conueniunt in aliqua natura, vna siue numero, siue specie, siue genere, siue analogia & dissident inter se accessione aliquarum formarum ad illam naturam: Quo pacto dicimus differre Socratem senem a se puero, Platonem ab Alcibiade, hominem a bestia, & lineam a scientia, vt facile intelliges. Non ita dicimus differre inter se genera summa, aut differentias ipsas, quia etsi hæc omnia analogice cõueniunt in ente, & quædam in accidente, nulla tamen eorum differunt inter se accessione aliquarum formarum ad naturam analogicam in qua conueniunt: quippe cum nec ens, nec accidens cõtrahatur per aliquas formas ad genera summa, aut ad differentias; quibus ea in suas species, aut indiuidua distribuuntur.

Cum ergo differens nunc late, nunc pressè, ac proprie accipiatur, efficitur, vt nomen differentiæ hac prima significatione de qua loquimur, acceptum, late etiam sumatur interdum, scilicet pro relatione, qua duæ res quoquo modo diuersæ dicuntur: interdum vero pressius, scilicet pro relatione, qua res proprie ac presse differentes appellantur. Altero modo accipitur nomen differentiæ, vt est concretum quoddam, significans formaliter idem quod faciens differre seu causans differentiam, & connotans formam, quæ facit differre, vt rationale, candorem, & alia huiusmodi. Hac significatione dicimus, rationis particeps, & rationis expers, esse differentias hominis, & bestiæ, quia sunt causæ eius relationis differentiæ; quæ inter hominem, & bestiam cernitur. Eodemque modo appellamus candorem, & nigrorem differentias cygni, & corui: non quatenus sunt colores quidam, sed qua ratione sunt causæ eius relationis differentiæ, quæ inter cygnum & coruum reperitur. Ita patet, duobus modis ex vi nominis accipi vocabulum differentiæ.

Tertio denique modo accipitur differentia pro tertia specie vniuersalis: quæ ideo dicitur differẽtia, quia fundamentum eius comprehenditur in differentia secundo modo accepta. Itaque hæc significatio, non ducitur ex vi nominis, vt superiores duæ, sed habetur ex vsurpatione philosophorũ, quibus placuit, vt tertia species vniuersalis nomine sui fundamenti appellaretur. Quod attinet ad secundum, prætermissa nunc differentiæ vsurpatione, prout est tertia vniuersalis species, de qua in quæstione proxima disputauimus, animaduertendum est, Porphyrium in 1. & 2. par. capitis, hoc est, in vtraque differentiæ diuisione tractanda, secundo modo accepisse differentiam, nimirum pro fundamento causave relationis eorum, quæ proprie differunt, quatenus eiusmodi est, quod facile est ex contextu intelligere. Proinde generalis illa definitio differentiæ, quam ex contextu colligimus, [Differentia,] nimirum, [& forma, qua aliquid a seipso, in alio atque alio tempore, aut ab alia re differt,] sic exponenda est: In primis nomine [formæ] intelligenda est forma

ma

ma adiuncta alicui naturæ, in qua conueniunt ea, quæ differunt: Sola enim talis forma est fundamentum, causave differendi proprie, vt dictum est: Atque hoc modo exponendam esse hanc particulam, significauit porphyrius, cum dixit: Omnis igitur in vniuersum differentia diuersum alicui adiuncta facit.

Deinde, quod dicitur: [qua aliquid differs,] sic intelligendum est, quasi dictum sit quæ est fundamentum, & causa cur aliquid differat: non aūt quasi ipsa differentia, quā hac deffinitione explicamus, sit, qua aliquid formaliter differat. Sola enim relatio est, qua res formaliter differunt. Ipsæ autē differentiæ, quæ hac definitione explicantur sunt differendi causæ: quemadmodum sola relatio similitudinis est id, quo res sunt formaliter similes. Ipsæ autem qualitates, vt candor, aut scientia, sunt causæ, cur similes existant. Quod denique additur, (a se ipso in alio & alio tempore, & quę) sequuntur, expositione non egent, sed ratione. Quæret enim aliquis, cur addiderimus eam particulam, (in alio atque tempore,) cum Socrates Musicus, verbi gratia, differat a se ipso Grammatico in eodem tempore.

Ad quam dubitationem dicendum est, ea, quæ differunt a seipsis, in eodem tempore, ratione videlicet diuersarum formarum non simpliciter dici differentia. Etenim ea sola videntur simpliciter vocari differentia: quorum vnum differt negatione alterius, vt Socrates senex, & puer, agens & nō agens; id quod videtur Porphyrius sensisse, cum huiusmodi exemplis vsus est: At quæ differunt a se ipsis in eodem tempore: non ita a se differunt, vt ex vno liceat colligere negationem alterius; Nec enim recte dixeris, Socrates Musicus differt a se Grammatico, atqui est Grammaticus. Igitur non est Musicus.

Ad primum igitur argumentum initio propositum respondetur, concessa maiore, & negando minorem, si differre presse ac proprie sumatur, vt supra exposuimus res autem in quibus diuersa materia cernitur, vt cœlestia corpora, & quæ corruptioni obnoxia sunt, non proprie differre per diuersas materias: Res item, quæ non per aliquid sui, sed per se ipsas, seu quod idem est se totas differunt, dici quidem illas interdum differentes, verum non proprie, vt dictum est.

Ad secundum dicendum est, si vera est expositio Alexandri, quam in versionibus suis Argyropilus, & Perionius secuti sunt: Aristotelem de his tantum loqui, quæ differunt per se: quo pacto non differunt ea, quæ sunt idem numero, vt Socrates senex, & ipse puer. Porphyrium autem hoc loco de his etiam loqui, quæ differant per accidens. Quod si græcus contextus sic intelligendus est, vt verba sonant, & antiqua versio expressit, [differentia sunt, quæ ita sunt diuersa, vt sint aliquid idem non solum numero, sed etiam specie, aut genere, aut proportione:] nihil omnino virium habet argumentum.

Ad tertium respondetur concessa maiori, & negando minorem, si sit sensus, genera facere differre ꝓprie, ac presse: Licet enim genera sint quodammodo forma specierum: cum eis dent esse: non tamen sunt formæ, quæ adiectæ alicui communi naturæ specierum, faciant ipsas differre (sic enim intelligenda est definitio differentiæ) hoc enim proprium est differentiæ, quæ supponit genus tanquam materiam, cui adiuncta contrahit illud ad esse speciei: quod vero generi non competit: vt satis clarum est.

Sitne secunda definitio recte tradita.

QVÆSTIO SECVNDA.

Ex omnibus differentiæ definitionibus quas Porphyrius in tertia parte capitis affert, sola secunda hoc loco examinanda est: quippe cum in cæteris nulla occurrat dubitatio: hæc autem non videatur recte tradita. Nam differentia, quatenus quædā species vniuersalis, complectitur generalem, & specialem; quarum illa prędicatur de differentibus specie, hęc de differentibus solo numero, At vero definitio differentiæ, quæ a Porphyrio tradita est, solas generales comprehendit: cum differentiam dixerit esse id, quod de pluribus specie differentibus, in quæstione quale est prædicatur: Non fuit igitur secunda definitio differentiæ recte a Porphyrio tradita.

Vt ergo, quid de hac quæstione sentiendum

dum sit, perspiciatur, illud in primis admonendum est, cum tribus modis nomen differentiæ vsurpetur, vt superiori quæstione docuimus: porphyrium in tertia præcipuaq; parte capitis, indefinienda nimirum differentia, accepisse differentię vocabulum, qua ratione ad tertiam vniuersalis speciem significandam accommodatum est: Hoc enim est præcipuum eius institutum in toto hoc libro, vt de genere, specie, differentia, proprio; & acidente, quatenus vniuersalia sunt, edisserat. Porro differentię vocabulum, qua ratione ad tertiam vniuersalis speciem significandam accommodatur, atque ita est concretum, formaliter significat certam quandam relationem, qua res, quę differentię cognominantur, ad ea referuntur, de quibus in quæstione quale est essentiali prędicatione dicuntur: Connotat vero res ipsas, quæ differentię nominantur, vt rationis particeps, sensus capax, & alia huius generis.

Secundo loco animaduertendum est, inter differentias eam solam esse tertiam vniuersalis speciem; quę ita est differentia, vt non sit communis, aut propria. Nam communes, & proprię ad duas extremas vniuersalis species, proprium videlicet, & accidẽs pertinent: Reliquę vero, nimirum, quę differentiæ per se dicuntur, sub tertia vniuersalis specie continentur.

Tertio loco animaduertendum est, ex quinque illis definitionibus, quibus Porphyrius explicat differentiam, qua ratione est tertia species vniuersalis, nullam esse, quæ magis sit propria huius loci, quam secunda. Nam cęterę traduntur per conditiones earum rerum, quæ differentiæ cognominantur: quales sunt esse, id, quo species genus excedit, seu constituere cum genere speciem, & facere speciem differre essentiali discrimine. Secunda vero traditur per aptitudinem ad prædicandum, quæ, vt patet ex dictis, est fundamentum eius relationis, quam nomen differentiæ, qua ratione ad tertiam vniuersalis speciem accommodatum est, fundamentaliter significat, quanquam illud verum est: in ipsa non poni, totum eius relationis fundamentum, vt mox docebimus.

Vt igitur omittamus opinionem quorundam, quos refert M. Albert. existimantium, nullas dari differentias simplices, quæ cum speciebus infimis reciprocentur (quam sententiam in Metaph. discutiemus) nonnulli, vt Caiet. credentes dari reuera simplices differentias, quæ nimirum cum speciebus infimis conuertantur, dicunt. eas etiam in proposita definitione comprehendi, quod vt ostendant, asserunt, ea deffinitione definiri differentiam, quatenus differentia est, hoc est qua ratione diuidit genus, & constituit speciem: Hæc enim sunt propria, & præcipua differentiæ officia, quatenus differentia est. Deinde dicunt, verba illa, [quod prædicatur de pluribus differentibus specie,] sic esse exponenda; cui, quatenus differentia est, non repugnat prædicari de pluribus specie differentibus, vnde cum differentijs, quę cum speciebus infimis reciprocantur, quatenus sunt differentiæ, nõ repugnet prædicari de pluribus specie differentibus. (Alioqui nulla est differentia, quæ hoc modo prædicari posset.) Colligunt etiam, has differentias, quatenus differentiæ sunt, cõprehendi in proposita definitione, etiamsi non comprehendantur, qua ratione cum speciebus infimis reciprocantur, hoc enim pacto repugnat eis de pluribus specie differentibus prædicari.

Hæc tamen opinio non est amplectenda. Primum, quia differentia non definitur ea definitione, quatenus diuidit genus, aut cõstituit speciem, sed qua ratione est quædam species vniuersalis: Hoc enim est præcipuũ autoris institutum, vt diximus, agere nimirum de vniuersalibus, vt talia sunt. Si igitur hac definitione non explicatur natura differentiæ, vt est tertia species vniuersalis, certe nulla in hoc libro est alia, definitio, quæ hoc explicet. Deinde quia siue hac, siue illa consideratione spectetur differentia, non est credendum, eam definiri per ea, quæ sibi non repugnat, sed per ea, quæ ipsa sibi per se vendicat. Etenim si modus ille definiendi per ea, quę rebus non repugnant, semel admittatur, omnia confundantur, ac perturbentur necesse est; cum tamen definitiones ideo tradantur, vt rerum naturæ separentur, ac distinguantur. Nam illo pacto dicemus, definitiones hominis, & bestiæ esse animalis, quatenus est animal quoniam animalis, quatenus est animal, nec repugnat esse corpus animatum sentiens, ac rationis particeps; Nec corpus animatum sentiẽs, & rationis expers quæ sunt defi-

definitiones hominis,& bestiæ. Vnde sequitur,vt definitio hominis bestijs accommodetur, & definitio bestiæ hominibus, quo quid potest esse absurdius; Quod vero sequatur,patet, quia si definitio hominis cõpetit animali,& definitio competens animali, debet competere bestiæ (nam definitio superioris necesse est competat inferiori) sequitur de primo ad vltimum, definitionem hominis competere bestiæ. Præterea si Porphyrius voluisset tradita definitione speciales etiam differentias comprehendere, multo planius id fecisset, detracta illa partitula,[differentibus specie,] quod sane eum latuisse non est credendum. Non est igitur dicendum in proposita definitione speciales differentias modo aliquo comprehendi.

Alij denique, quorum sententia amplectenda est,affirmant,solas generales differentias secũda definitione explicari, quia his tantum simpliciter, ac per se conuenit definitio.Quod si petas,cur solas generales differentias,Porphyrius secunda definitione comprehenderit? respondebimus, id propterea fecisse Porphyrium, quod in disputationibus philosophorum,ad quas potissimum dialectica dirigitur, maior est vsus generalim, quam specialium, sæpius enim apud eos de speciebus intermedijs, quam de infimis differitur,quod persequenti singulas Philosophiæ partes perspicuum erit;Vnde patet quidnam ad argumentum initio propositum respondendum sit.

Quo pacto differentia affecta sit ad genus,quod diuidit, & ad speciem,quam proxime constituit, & inferiores differentias.

QVÆSTIO TERTIA.

VT ea,quæ de differentia, & superioribus speciebus vniuersalis dicta sunt, melius intelligantur, discutiendum est hoc loco, quonam pacto differentia se habeat ad genus,quod diuidit, ad speciem, quam proxime constituit, & ad inferiores differentias. Nam quo pacto se habeant ad ea, quæ directe collocantur sub specie, quam proxime constituit, ex superiori quæstione patet. Hac enim ratione differentia est species,quædam vniuersalis.

Si differentia cum genere,quod diuidit, conferatur, tria potissimum sibi vendicare intelligetur.Vnum, vt sit in illo velut forma in materia. Alterum, vt ipsum diuidat: Tertium, vt de eodem prædicetur.

Quo ad primum attinet, ideo differentia dicitur esse in genere, velut forma in materia, quia, vt forma perficit materiam, sic quodammodo differentia perficit genus additione perfectioris cuiusdam entitatis.

Quod attinet ad secundum, non ideo differentia dicitur diuidere genus, quasi essentiam in partes dispertiat (tota enim generis essentia in qualibet specie continetur)sed quod eius aptitudinem contrahat. Quod quidem fit hoc modo, cum animal, exempli causa,propter aptitudinem, quam habet,vt sit in hominibus, & bestijs,sit quodam genus: adiunctio differentiarum efficit, vt eius aptitudo contrahatur ad pauciora. Nam vt est rationis particeps, ad solos homines pertinet,vt rationis expers,ad sola bruta animalia;ipsa ergo animalis contractio ad solos homines ratione vnius differentiæ,& ad solas bestias, ratione alterius dicitur diuisio animalis in hominem,& bestiam, quod idem patet in cæteris generibus.

Quod vero ad tertium attinet, vere quidem prædicatur differentia de genere, quod diuidit, atque adeo naturali prædicatione,velut forma de suo subiecto. Cæterũ non prædicatur, vt vniuersale aliquid de specie subiecta, nisi per accidens, id est ratione alicuius inferioris. Nam vt aliquid sit per seipsum pars subiecta alicuius predicari,necesse est,vt quatenus est huiusmodi, minus late pateat, quam prædicatum. Genus autem latius patet ex natura sua,quam differentia, qua diuiditur, vt animal quam rationis particeps.

Tria quoque sibi vendicat differentia comparatione speciei, quam proxime constituit: In primis quod eam cum genere cõstituat: Deinde, quod eandem faciat differre ab alijs speciebus,quæ sub eodem genere collollocantur. Postremo, quod de ipsa predicetur.

Quod attinet ad primum, animaduertendum

tendum eſt, differentiam,& genus in conſtitutione ſpecie non ita prorſus ſe habere, vt materiam, & formam in compoſitione eiuſdem. Nam materia, & forma ita ſpeciem naturali compoſitione efficiunt, vt de ipſa vere dici non poſſint: At genus & differentia ita eam componunt, vt vere de ipſa dicantur. Vere namque dixeris, hominem animal eſſe, & rationis participem; Non ita dices, hominem eſſe ſuam materiam, aut formam: compoſitio tamen ex genere, & differentia quodammodo compoſitionem ex materia, & forma imitatur: Genus enim proportione quadam reſpondet materiæ, differentia formæ: Quia vt materia eſt indifferens ad hanc & illam formam, & per hanc, & illam formam ad certam rei naturalis ſpeciem trahitur; ſic genus eſt indeterminatum ad hanc, & illam differentiam: & per hanc, aut illam differentiam ad certam ſpeciei conſtitutionem aſſumitur.

Quod ad ſecundum attinet, perſpicuum eſt, differentiam efficere, vt ſpecies, quam proxime conſtituit, differat eſſentiali diſcrimine ab alijs ſpeciebus, quæ ſub eodem genere proxime collocantur. Sed quæritur, num etiam efficiat, vt differat ab alijs omnibus ſpeciebus: Ad quam quæſtionem dicendum eſt, differentiam non efficere, vt ſpecies differat a ſuperioribus, aut inferioribus ſpeciebus, quia ſuperiora omnia dicuntur eſſentiali identitate de inferioribus verbi cauſa, ſenſus particeps (qua differentia conſtituitur animal) non efficit, vt animal differat a viuẽte, aut homine, quia animal ſecundum ſuam eſſentiam eſt viuens, eodemque modo homo eſt animal. A cæteris autem ſpeciebus, quæ collocantur ſub generibus remotis, efficit illa quidem, vt differat ſpecies, verum non primario, ſed quaſi ſecundario diſcrimine. Verbi cauſa rationis particeps non efficit, vt homo differat a planta primario diſcrimine, ſed ſenſus particeps, quandoquidem primarium diſcrimen, quod differentiæ præſtant, fit per differentias, quæ proxime diuidunt idem genus, ideſt, quo ea, quæ differunt, conueniunt. Altero a ſpeciebus, quæ ad alia prædicamenta pertinent, remotius adhuc minuſque proprie differre faciunt differentias, quia ſpecies, quę ad diuerſa prædicamenta ſpectant, non reuocantur ad aliquod vnum genus, cuius differentijs proxime differat.

Quod vero attinet ad tertium: illud quidem certum eſt, differentiam prædicari ſecundum naturam de ſpecie, quam proxime conſtituit, cum ſit velut forma eius. Illud tamen attendendum eſt, differentiam non prædicari de ſpeciei, quam proxime conſtituit, vt vniuerſale aliquid de parte ſubiecta, eo, quod æque late pateat ſpecies atq; differentia, qua proxime conſtituitur. Reliquum eſt, vt ſuperiores differentias cum inferioribus conferamus, vt longiorem, & exactiorem ea de re diſputationem alio in loco accommodatiori reſeruemus. Si igitur differentia ſuperior cum inferioribus differentjis comparetur: certum eſſe debet, nullam differentiam ſuperiorem, hoc eſt, quæ ſuperiorem ſpeciem conſtituat, eſſe genus inferiorum, id eſt earum, quibus inferiores ſpecies conſtituuntur; Verbi cauſa, ſenſitiuum non eſſe genus reſpectu rationalis, & irrationalis. pari quoque ratione dicendum eſt, nullam differentiam, quæ cum ſpecie infima recurrat, eſſe ſpeciem prædicamentabilem reſpectu differentiarum indiuiduantium, vt rationale comparatione huius, & illius differentiæ indiuiduantis. Idẽ quoque cenſendum eſt, ſi differentiæ ſuperiores comparentur cum his complicationibus, quæ fiunt ex ſuperioribus differentijs, & inferioribus; Verbi cauſa, ſenſitiuum non eſſe genus ſenſitiui rationalis, & ſenſitiui irrationalis; nec rationale eſſe ſpeciem prædicabilem huius rationalis aut illius: Verum hæc alibi copioſius tradenda ſunt.

CAPVT QVARTVM
DE PROPRIO.


Roprium autem per quatuor diuiditur modos. Nam proprium est id, quod soli cuipiam accidit speciei, etsi non omni; Vt homini accidit mederi, aut geometrice contemplari. Et id idem quod omni accidit speciei, etsi non soli, vt hominem bipedem esse. Et etiam id quod soli accidit, & omni, atque quandoque vt omni in senectute canescescere. Quartum autem est id, in quod omnia conuenerunt, vt soli, & omni semper que quale est risibile, respectu hominis: nam homo etsi non semper ridet, risibilis tamen dicitur, non ex eo quia semper ridet, sed quia aptus est ad ridendum. Hoc autem ipsi semper est insitum, quemadmodum & equo ipsum hinnibile. Hæc & propria inquiunt esse, quia in his ipsis fit & conuersio. Si est enim homo, est risibile: & si est risibile; est etiam homo.

HActenus disseruit Porphyrius de tribus vniuersalis speciebus, quæ ad essentiam rei pertinent: nunc de reliquis duabus, proprio, inquam, & accidente, quæ in rei natura non continentur, paucis disputat. Agit autem prius de proprio, quam de accidente, quia proprium de rebus necessario predicatur, accidens vero minime, vt ex vtriusque explicatione intelliges. Docet igitur proprium in quattuor genera diuidi: deinde singula explanat, ad extremum addit, sola propria quarti generis esse vere propria. Quo autem modo accipiatur nomen proprij in hac diuisione, vtrum diuisio sit bona, nec ne, postea dicemus.

Proprium autem.) Tradit Porphyrius proprij significationes, quæ magis ad institutum facere videntur. Prima est, quia id dicitur proprium. quod soli cuipiam accidit speciei, etsi non omni, quemadmodum homini conuenit mederi, & metiri. Porro, in omnibus ijs proprij significationibus, eodem modo accipiendum speciei nomen, vt ex verborum contextu perspicuum est; Vnde cum in quarta sumatur pro sola infima specie, vt ex c. de genere, & c. vlt. licet colligere, efficitur, vt hac etiam, & duabus sequentibus, pro infima duntaxat specie capiatur. Dictio quoque omni [specie,] non idem valet hoc capite, ac cuilibet speciei, sed idem ac si dicas, toti speciei: Tunc autem toti speciei accidere aliquid intelligitur cum accidit omnibus indiuiduis, quæ sub ea continentur: Accidere autem etsi sæpe idem valeat, quod quauis ratione conuenire; hoc tamen capite id solum dicitũ (accidere,) quod ita conuenit vt ad essentiã rei, cui conuenit, non pertineat, quæ quidem est propria huius vocabuli significatio.

Mederi aut.) Non tantum intelligas his verbis actionem medendi atque metiendi, sed etiam ipsos medicinæ atque Geometriæ habitus. Non tamen sunt intelligendæ naturales facultates, quas omnes habemus a natura ad huiusmodi actiones exercẽdas, & habitus comparandas, quandoquidẽ hęc, vt omnibus hominibus æque conueniunt, sic etiam ad quartum proprij genus pertinent, vt aptum esse ad nauigandum, & percipiendam Grammaticam, quorum alterum ipse autor capite superiori, alterum Arist. 1. lib. Topic. cap. 4. proprium quarti generis esse volunt, quanquam non est negandum, peculiares quasdam propensiones ad medicinam, Geometriam, aliasve artes, quæ certas quasdam corporũ constitutiones sequũtur, in proprijs primi generis esse numerandas, eo quod non omnes in omnibus, sed aliæ in alijs reperiãtur: vnde dicimus, quosdã esse natura Mathematicos, alios poetas, alios Oratores, & ita in cæteris artibus.

Et id idem quod omni.] Secundo modo dicitur

dicitur proprium, quod toti alicui speciei infimę accidit etsi non soli, vt homini bipedem esse. Tertio autẽ modo id appellat proprium, quod soli alicui speciei infimæ accidit, ac toti, non tamen semper, sed quandoque vt homini canescere. Cum autem proprium in hoc secundo, & tertio genere dicitur toti speciei conuenire, subaudiendum est, modo ea, quæ obstant atque impediunt remoueantur, idque vt comprehendamus hac significatione actus earum facultatum, quibus omnes homines sunt a natura apti, vt, quod duos pedes habeant, & in senectute canescant, & alia huiusmodi; Quanquam omnes homines huiusmodi facultates habeant suapte natura; nõ omnes tamen duos pedes habent, nec omnes ad senectutẽ perueniunt, vt canescant in senectute, nisi auferantur ea, quæ impedire atque obstare possunt, vt defectus materiæ in generatione, & præ natura mors.

In senectute canescere.] Quemadmodũ Porphyrius hoc loco, sic etiam Aristoteles in problemate senectutis 10. q. 62. affirmat, vnum ex omnibus animãtibus hominem canescere: At lib. 5. de generatione animal. c. 3. & equum maxime inter cætera animalia canescere. Si quis tamen recte considerat, quę ille dicit initio nunc citati libri, videbit ista non pugnare. Sic enim ait: Cum cætera manifeste non canescant in senectute: homo maxime omnium ita afficitur. Vnde patet, canescere in senectute propterea dici soli homini cõuenire, quod ei maxime inter omnia animalia, & manifeste, hoc est toto capite conueniat. Alia plurima exempla afferri possent in homine, vt, ridere actu, loqui, & ratione vti.

Quartum autẽ est id.] Quarta proprij significatio est, qua illud proprium esse dicitur, quod alicui soli speciei infimæ accidit toti, ac semper: quo pacto conuenit homini, quod sit risibilis. Quanquam enim, vt Porphyrius ait, non semper homo rideat: risibilis tamen dicitur: non eo, ꝙ semper rideat, sed quia semper est aptus ad ridendum; hoc enim est homini a natura insitum.

Hæc vere propria.] Docet sola propria quarti generis debere esse vere propria, qa inquit, reciprocantur, subaudi, cum rebus, quarum dicuntur propria. Patet hinc, proprium nõ diuidi in hæc quatuor genera, vt aliquid vniuocum, sed vt analogum. Quod enim vniuocum esse dicitur, nõ dicitur proprie de vno, & improprie de alio, sed æque de vtroque. Proprium ergo dicitur in primis de quarto genere, deinde de tertio, tertio de primo, postremoque de secundo. Magis namque accedit ad vere proprium id, quod cõuenit omni, & soli: quam quod omni tantum; & magis id, quod soli, & non omni, quam quod omni, & non soli.

Num definitio proprij quarto modo sit recte tradita nec ne.

QVAESTIO PRIMA.

NOn videtur tamen recte tradita definitio proprij quarto modo.

Imprimis, quia propria, quæ primo de generibus demonstrantur, sunt vere eorum propria, vt omnes Philosophi affirmant, non tamen comprehenduntur in tradita definitione; cum non conueniant alicui soli speciei infimæ; non recte igitur constituta est tradita proprij definitio. Præterea habere trinam dimensionem, seu affectum esse quantitate molis conuenit omni substantiæ corporeæ, soli ac semper, vt perspicuum est: At hoc attributum non videtur esse proprium substantiæ corporeæ, cum videatur esse accidens materiæ; Vitiosa ergo videtur tradita definitio. Tertio, si Deus præter cygnum nullam aliam rem albam fecisset, album reciprocaretur cum cygno (nam omni, soli, & semper cygno competeret) at hoc dato, adhuc album non esset vere proprium cygni, etenim omne vere proprium per se prędicatur de re, cuius est proprium; album autem non prædicaretur tũc per se de cygno, vt nec modo prædicatur: Potuit igitur tradita definitio conuenire ijs, quæ vere propria non sunt. Dicendum est tamen recte traditam esse proprij definitionem. Quod vt pateat, animaduertendum est imprimus, proprij vocabulum aliter ex vi nominis, & communi vsurpatione, aliter ex accommodatione Philosophorum accipi. Nam ex vi nominis, & communi hominũ vsu proprium id ẽ est, quod peculiare alicui, & non commune alijs; Vt enim est hominum communis acceptio, & sermo; si quid est proprium alicui, non dicitur eidem commune cum alijs; quod si est ei cõ-

 mune

mune cum alijs;non dicitur illi proprium. Itaque si proprium hoc modo sumatur, & conditio requiritur; & satis est, vt conueniat soli rei, cuius dicitur propriũ, hoc est, vt conueniat ei, & non alij.Quomodo accipit Porphyrius nomen proprij, cum comparat vniuersalia inter se, dicens:quædam esse communia omnibus, aut quibusdã;quædam singulis propria.

Ex accommodatione autem philosophorum pro quadam specie vniuersalis, quæ a genere,specie, differentia, & accidente distinguitur accipi solet. Placuit enim philosophis, vt vniuersalia, quæ quatenus talia sunt,nec genera essent,nec species,nec differentiæ,neque accidentia,propria vocarẽtur. Itaque duobus modis proprium accipi dicatur,vno, vt proprium est; Altero,vt est vniuersale quoddam.

Illud etiam animaduertendum est, proprium ex vi nominis acceptum,aut esse proprium simpliciter, aut aliqua ex parte proprium, quod vocant proprium secundum quid. Proprium simpliciter illud est, quod conuenit omni soli,ac semper. Nam, vt est hominum sententia,nihil est,quod dici possit proprium simpliciter alicuius rei,nisi cũ ea reciprocetur; Nihil autem reciprocari potest cum re aliqua,cui non conueniat omni,seu vniuerse soli,ac semper.Quod si harum conditionum aliqua desideretur proprium dicetur aliqua ex parte.siue secundum quid. Porrò simpliciter proprium duplex est, vnum generale, alterum speciale. Proprium generale dici solet,quod reciprocatur cum aliquo genere, vt sensus capax,quod reciprocatur cum animali, speciale autem,quod reciprocatur cum aliqua infima specie, vt risus capax, quod conuertitur cum homine.

Tertio loco animaduertendum est, proprium, qua ratione ad significandam quartam vniuersalis speciem a philosophis vsurpatur, sic definiri a Dialecticis. Proprium est, quod prædicatur de pluribus accidentaria, & necessaria prædicatione. Vel longiore definitione hoc modo: proprium est, quod prædicatur de pluribus in quæstione quale est, accidentaria,& necessaria prædicatione.Cum dicitur, (quod prædicatur de pluribus]quæ est descriptio vniuersalis), excluduntur ea, quæ non sunt vniuersalia: cum additur, (in quæstione quale est, excluduntur genus,& species: Cum adiungitur.[prædicatione accidentaria,)excluduntur differentiæ: cum denique adijcitur, & [necessaria.)excluditur accidẽ,sqđ est quintũ prædicabile. Ea enim sola censentur hoc loco necessaria prædicatione dici, quæ prædicautur per se, ita, ut ad essentiam subiecti pertineant,uel ab ea profluant,quo pacto nullum accidens quinti prædicabilis de subiecto enunciatur.

Quarto loco animaduertendum est, proprium,ut quartam uniuersalis speciem constituit,duplex quoque esse,quemadmodum diximus proprium simpliciter esse duplex, generale scilicet, & speciale. Proprium generale hoc pacto acceptum est, quod prędicatur de pluribus specie differentibus in quæstione quale est, accidentaria,& necessaria prædicatione, ut,sensus capax comparatione hominis, & bestiæ. Speciale autem, quod prædicatur tantum de ijs, quæ solo differunt numero, in quæstione quale est,accidentaria,& necessaria prædicatione vt, risus capax comparatione singulorum hominum. In quibus definitionibus particulæ,[differentibus specie, & differentibus numero,] extremo loco intelligendæ sunt, quemadmodum de generis definitione supra docuimus.

Postremo sciendum est, omnia propria simpliciter pertinere ad quartam vniuersalis speciem, non tamen sola. Prior pars ostenditur, quoniam omnia, quæ sunt propria simpliciter comparatione alicuius generis, vel speciei infimæ prædicantur in quæstione quale est, accidentaria, & necessaria prædicatione, de ijs, quæ sub eo genere, aut specie continentur, vt apertum est: Ea igitur omnia ad quartam speciem vniuersalis spectant. Posterior pars in hunc modum probatur. Omnia propria simpliciter reciprocantur cum aliqua specie, aut genere, vt patet ex dictis, Non omnia autem propria, quæ ad quartam vniuersalis speciem pertinent, reciprocantur cum aliqua specie, aut genere. Igitur non omnia propria, quæ pertinent ad quartam speciem vniuersalis, sunt propria simpliciter; & ex consequente non sola propria simpliciter pertinent ad quartam speciem, Minor propositio suadetur,quia habere facultatem naturalem,& esse quale,dicuntur, de angelo, de animo rationis participe,

ticipe; de igne, & de alijs plerisque rebus, prædicatione quarti prædicabilis: nec tamen reciprocantur cum aliqua specie, aut genere.

Quod autem dicatur prædicatione quarti prædicabilis, ex eo probatur, quia dicuntur vniuoce, vt patet, & sunt accidentia necessaria, quæ fluunt ab essentijs talium subiectorum. A quorum enim essentijs fluunt species, ab eisdem necessario fluunt genera talium specierum, ab essentia autem angeli fluit facultas intelligendi; ab essentia animi rationis participis facultas ratiocinandi, ab essentia ignis calor, & aliæ facultates naturales ab alijs rebus; igitur ab essentijs talium rerum necessario fluunt harum facultatum genera, qualia sunt, facultas naturalis, & qualitas, quæ est summum genus prædicamenti qualitatis.

perspicuum est igitur, facultatem naturalem, & qualitatem, genus summum, seu potius habere facultatẽ naturalẽ, & esse quale, prædicari de angelo, de animo rõnis participe, de igne, & de aljis rebus prædicatione quarti prædicabilis. quod asit hæc attributa non conuertantur cum aliqua specie, aut genere, ex eo patet: quia necesse esset, vt tali species, aut genus cõplecteretur sub se angelum, animum rõnis participem, & ignem, quod certe fieri non potest, & inductione patet, nihil tale reperiri.

His positis ad quęstionem dicẽdum est, recte traditam esse proprij quarto modo definitionẽ, si tamẽ nomine proprij speciale tantum intelligas. Nam in verbo, [quod,] innuitur aliquid vniuersale, per quam particulam excluduntur ea, quæ non sunt vniuersalia. Verbum, [accidit,] significat accidentariam prædicationem, per quam particulam excluduntur genera, species, & differentiæ. Deinde verbũ, [omni,] excludit propria primi generis: Verbum, [soli,] excludit omnia secundi: Verbum, (semper,) excludit omnia tertij generis: denique particula, [speciei infimæ,) quam hoc capite Porphyrius nomine speciei intelligit, excludit propria generalia, quæ scilicet, cum specie infima non reciprocantur. Ita ergo fit, vt bona sit proprij quarti generis definitio, cum tradatur per omnes differentias, quæ ab alijs generibus definitum separant.

Sed quæret aliquis hoc loco, quo pacto accipiatur verbum, (semper,) in definitione proprij. Sunt enim qui dicant, verbum, (semper,) positum in definitione tradita, non idem valere, atque in omni tempore, sed idem, quod necessario, necessitate prouenientе ex essentia subiecti; ex cuius principijs necessaria consecutione attributum oriatur. Dicendum est tamen, intimam quidem rationem vere proprij in eo consistere, vt necessaria consecutione profluat ab essentia eius subiecti, cum quo reciprocatur: sed tamen verbum, (semper,) non fuisse adhibitum ab autore, vt solum significaret hanc consecutionem necessariam, sed pro vt idem valet, quod in omni tempore; Quod quidem ab ipso autore hoc loco colligi potest. Nam cum verbum, (Quandoque,) quod ille ponit in descriptione proprij tertij generis, idem valeat, quod in aliqua temporis parte, efficitur, vt verbum, (semper,) accipiatur in descriptione quarti proprij, pro omni tempore. Deinde quia Porphyrius in comparationibus differentiæ, ac proprij cum accidente inseparabili, perspicue ait: hoc esse omnibus commune, quod semper conueniant suis subiectis: Satis autem patet, accidens inseparabile, non ea de causa dici, conuenire semper, quia conueniat necessario, & quasi nascatur ex essentia speciei, sed quoniam conueniat in omni tempore. Denique, vt aliquid sit vere proprium, nil aliud requirit Porphyrius, quam vt sit accidens, quod reciprocatur cũ subiecto: Sic enim ait; (Hæc vere propria inquiunt esse, quia in his ipsis fit, & conuersio. Nec Aristo. aliud requirit, 1. Topic. c. 5. cum ait: proprium est; quod non indicat, quod quid erat esse, hoc est, quæ sit essentia rei, soli autem inest, & conuersim de re prædicatur. Vt autem aliquid reciprocetur, satis est, si conueniat omni, soli, ac in omni tempore: Ergo porphyrij, & Aristoteles, verbum, (semper,) idem valet, atque in omni tempore, quæ est propria huius vocis significatio.

Illud tamen est aduertendum, Aristoteles, & Porphyrium credere, quicquid omni alicui subiectum conuenit soli, & semper, conuenire ei necessario, necessitate ex essentia rei profluente, non quod existimaret, ijdem esse, conuenire semper, vel necessario necessitate iam dicta (id enim refutauimus) sed quia putant, ex ijs tribus conditionibus simul iunctis,

omni,soli,& semper, idest,in omni tempopore, seu quod idem est, ex reciprocatione accidentarij cum subiecto, quæ his tribus conditionibus significatur, colligi a signo, & quasi effectu, illud conuenire suo subiecto necessario, necessitate iam dicta; ita ergo videntur Arist. & Porphyrius plane cõsensisse. Quapropter licet ex Porphyrij sententia primoque ipsius instituto, [semper,] in definitione quarti generis idem valear, atque in omni tempore, tamen consecutione quadam idem valet, atque necessario, necessitate proueniente ex essentia subiecti, ex qua attributum profluit.

Reliquum est, vt argumenta initio proposita diluamus. Ad primum neganda est maior, si proprium intelligatur, quod a Porphyrio hic definitur in quarta acceptione. Nam aliter propria generalia (vt sensitiuũ pro potentia ad sentiendum) vere propria sunt. Solum enim proprium speciale definitur hoc loco; propria vero generalia etsi in quarto genere proprij non comprehenderit; ea tamen non omnino prætermisit. Nam omnia in secundo diuisionis membro continentur, nec obstat, quod dixerit porphyrius, ea quæ in tribus prioribus generibus continentur, non esse vere propria cum tamen propria generalia vere propria sint, quoniam Porphyrius de solis proprijs specierum infimarum locutus est, quasi apertius dixerit: ea quæ in tribus prioribus diuisionis partibus continentur, non esse vere propria specierum infimarum, quanquam nihil prohibeat, aliqua esse vere propria aliquorum generum, de quibus demonstrentur.

Ad secundum concessa maiori negatur minor. Nam quemadmodum habere trinam dimensionem, seu esse affectum quantitate molis conuenit omni substantiæ corporeæ, soli, ac semper; ita esse vere proprium generale substantiæ corporeæ, & fluere a materia, vt est informata substantiali forma, seu quod idem reddit ab ipsa essentia substantiæ corporeæ. Qua ratione dici a veteribus consueuit, quantitatem esse materiæ coæternam.

Ad tertium neganda est maior, in eo casu adhuc non conuenire omni cygno, soli, & semper, hoc est, vt cum cygno reciprocetur eo pacto, quo Aristoteles, & porphyrius reciprocationem intelligunt: Nec enim loquuntur de reciprocatione ex hypothesi, qualis in argumento inducitur, sed de absoluta, & secundum ordinem constitutum in rebus.

Vtrum proprium speciale sit vniuersale, respectu speciei infimæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVbitatio existit hoc loco, num propriũ speciale sit vniuersale respectu speciei infimæ, cum qua conuertitur, an solum respectu indiuiduorum, quæ speciei subijciuntur, vt risus capax respectu cõmunis, an solum respectu singulorum hominum: Quod idem quæri potest de cæteris proprijs quarti generis respectu subiectorum, cum quibus reciprocantur. Quod enim dicendum sit, proprium speciale esse vniuersale, respectu speciei infimæ, multis argumentis videtur concludi, in primis, quia proprium definitur a porphyrio, per speciem; Proprium, inquit, est, in quod omnia conuenerunt, vt soli speciei, & omnis, semperque accidat. Deinde, quia Porphyrius in c. de genere ait proprium prædicari de vna tantum specie, & indiuiduis, quæ sub ea sunt, quod iterũ, atque iterum repetit in communitatibus. Ex quibus verbis sic licet argumentari: Aut proprium his locis dicitur prædicari de specie, & indiuiduis, vt proprium quarti generis, siue, vt proprium simpliciter, aut vniuersale quoddam seu prædicabile: Non potest autem intelligi de proprio, vt est proprium simpliciter, quandoquipem risus capax non prædicatur hoc modo de Socrate, nec de vllo alio indiuiduo, cum nõ reciprocetur cum aliquo eorum, & sic res habet in cæteris; Ergo intelligendum est de proprio quatenus est quoddam vniuersale; quo fit, vt proprium, qua ratione est vniuersale, non solum prædicetur de indiuiduis, sed etiam de specie.

Tertio, risibile cum prædicatur de homine, est vnum quid nomine, & ratione, prædicaturque secundum naturam: cum ergo non prædicetur de illo, tanquam de vno solo, prædicabitur tanquam de pluribus, ac proinde risibile erit vniuersale respectu hominis. Consequentia patet ex illa diuisione

Por-

Porphyrij c. de genere; Eorum, quæ prædicantur, quædam de vno, quædam de pluribus prædicantur.

Dicendũ est tamen, fieri non posse, vt proprium speciale sit vniuersale respectu speciei infimæ, cum qua conuertitur: sed solũ respectu indiuiduorum, quæ sub specie cõtinentur. Quod in primis hac rõne suadetur: vniuersale non prædicatur, quatenus vniuersale est, nisi de pluribus, quæ dicãtur plura secundum eius nomen, aut certe de aliquo eorum, vt patet ex priore definitione vniuersalis: At disciplinæ capax non dicitur de homine communi, vt de pluribus disciplinæ capacibus, vt perspicuum est, nec item de vno ex pluribus, quia vt homo cõmunis non est alius homo numero ab indiuiduis hominibus, sic ẽt non est alius, non disciplinæ capax: Non prædicatur ergo disciplinæ capax de homine cõi, vt vniuersale quod idem dicendũ est de cęteris proprijs specialibus. Deinde nihil est vniuersale, nisi respectu multarum partium sibi subiectarũ & cuiuslibet earum; homo autem cõis non est pars subiecta respectu disciplinæ capacis (non enim pars subiecta debet magis late patere, quam totum vniuersale, cui subijcitur.) Igitur nullum proprium speciale est vniuersale respectu speciei, cum qua cõuertitur. Illud tamẽ aduerte, id quod diximus intelligendum esse de proprio comparatione speciei simplici suppositione acceptæ. Nam si accipiatur in suppositione personali vtpote, pro suis indiuiduis, non dubium est quin respectu eius, sic acceptæ subeat rationem vniuersalis. Qđ autem diximus de ꝓprio speciali respectu speciei infimæ, intelligendum est de cæteris proprijs, quarti generis respectu subiectorum, cum quibus reciprocãtur; Est enim in omnibus par ratio. Itaque nullum proprium quarti generis est vniuersale, respectu subiecti, cum quo conuertitur, sed respectu eorum, quæ sub huiusmodi subiecto continentur, vt arbitratur M. Albertus tractatu de proprio c. 10. Scotus etiam hoc lib. q. 30. ad primum, item Louanienses, & alij plerique.

Illud igitur ante argumentorum solutionem admonendum est, omnia propria, quæ cum subiecto aliquo reciprocantur, duplicem habere notionem, vnam comparatione eius subiecti, cum quo reciprocantur; Alteram respectu eorum, quę sub eiusmodi subiecto continentur. At prior quidem notio illius vsurpatione, qua proprij vocabulum ex vi nominis, & communi hominum vsu accipitur, posterior autem eius, qua proprij vocabulum ex accommodatione. philosophorum, pro quarta vniuersalis specie sumitur, quas acceptiones quæstione præcedenti exposuimus. Hoc pacto proprij vocabulum relationem quandam vniuersalis significat, qua res ad ea referuntur de quibus prædicatione accidentaria, atque necessaria dicuntur. Porro vtramque notionem in significatione proprij quarti generis porphyrius significauit: nam cum dixit, proprium esse id, quod omni, siue toti alicui speciei accidit, plane expressit habitudinem proprij ad speciem distributam per indiuidua, quorum respectu non dubium est, quin proprium sit vniuersale, vt diximus. At vero dum addit, [soli, ac semper,] quibus conditionibus completur reciprocatio proprij cum suo subiecto, alteram notionem innuit qua propria sumuntur, qua ratione sunt propria. Itaque Porphyrius non solum explicauit proprium, quà ratione est vniuersale quoddam, sed etiam qua ratione proprium est, seu, vt ex vi nominis accipitur. Ex quibus primum argumentum initio propositum solutum relinquitur, definiuit enim Porphyrius proprium per speciẽ distributam per indiuidua, quorum respectu est vniuersale.

Ad secundum respondetur, negando maiorem: proprium enim ibi a porphyrio, nec sumitur pro proprio, vt est vniuersale, nec pro proprio, vt proprium ex communi vsu dicitur, sed sumitur fundamentaliter pro re, quæ vtramque intentionem fundare potest, scilicet pro risibili: proprium vero ita sumptum prædicatur tum de specie, tum etiam de indiuiduis; De specie quidem, vt est proprium ex communi vsu sic dictum; de indiuiduis vero, vt est vniuersale.

Quo pacto dixit Porphyrius in capit. de specie, intermedia habere duplicem respectum, vnum ad superiora, quatenus sunt species, alterum ad inferiora, quatenus sunt genera, vt eo loco exposuimus.

Ad tertium respondetur, concesso antecedente negando consequentiam, & ad probationem dicendum est, risibile, seu quoduis aliud proprium comprehendi quidem in diuisione eorum, quæ prædicantur; il-

lum tamen modum prædicandi, scilicet de specie, non comprehendi in membris diuidentibus, cum illa diuisio non tradatur, vt in membris diuidentibus omnes modi prædicandi comprehendantur, sed omnia, quæ prædicantur: proprium autem, quod de specie suppositione simplici accepta dicitur, etsi secundo modo quo sic dicitur, non prædicetur de pluribus, est tamen vnum ex his, quæ alioqui prædicantur de pluribus, & ex consequente vniuersale.

CAPVT QVINTVM
DE ACCIDENTE.



Accidens est, quod adest atque abest sine subiecti corruptione. Diuiditur autem in duo. Aliud enim est, separabile, aliud inseparabile. Atque dormire quidem, accidens separabile est; Nigrum autem esse, coruo æthyopive inseparabiliter accidit. Mente tamen cogitationeve, coruus albus, & æthyops non niger, sine subiecti corruptione concipi potest. Diffiniunt etiam, & hoc pacto: Accidens est quod inesse, ac non inesse eidem potest. Aut, quod neque genus, neque species, neque differentia, neque proprium est, semper autem est in subiecto.

QVa ratione Porphyrius extremo loco de accidente differat, ex his, quæ ad initium superioris capitis dicta sūt perspicuum est. Quid autem de accidente doceat, non est obscurum; Incipit enim a definitione accidētis, quod mox diuidit, alijsque definitionibus explanat.

Accidens est.] prima accidentis definitio ita se habet: Accidens est, quod abest, & adest sine subiecti corruptione, vt, candidum esse, vel sedere, respectu Socratis, Quam definitionem non statim exponimus, quia ad finem capitis examinanda est.

Diuiditur autem in duo.] Diuisio accidentis hæc est; Accidentium quædam sunt separabilia, quędam inseparabilia. Separabilia dicuntur ea, quę facile separari possunt a subiecto, vt, sedere a Socrate. Inseparabilia sunt, quæ facile, & omnino separari non possunt a subiecto, aut quæ difficulter possunt euelli, vt, nigrum a coruo, & cādidum a cygno. Sed argumentaretur quispiam hoc modo; Quædam accidentia separari non possunt a subiectis, ergo non omnia accidentia separari possunt a subiecto, sine subiecti euersione, cuius oppositum est in definitione accidentis. Cui subiectioni occurrit Porphyrius, afferens se intellexisse in definitione, omne accidens posse sine subiecta detrimento cogitatione separari; diuisione vero, esse aliquod accidens, quod re ipsa possit a subiecto separari, & aliquod, quod nequaquam, aut vix possit separari re ipsa; Quamquam cogitatione nullum sit, quod separari non possit, quam solutionem postea explanabimus.

Diffiniunt etiam. Addit duas accidentis definitiones, quas ab Aristotele 1. lib. Topic. cap. 4. accepit. prior est huiusmodi: Accidens est, quod inesse, aut non inesse eidem potest. Quæ idem omnino valet, atque superior, nisi quod illa planior est adiectione illius particulæ, [sine subiecti corruptione,] quod idem in hac, particula [adest,] obscure significatur. Nam si eidem, potest accidens inesse, ac non inesse, plane colligitur, idem subiectum permanere, atque adeo absque sui corruptione. Quanquam hæc ea ex parte maiorem habeant perspicuitatem, quia traditur per aptitudinem, quæ in illa sub verbis significantibus actum intelligenda est.

Aut quod nec genus.] Hanc etiam tertiam definitionē desumpsit Porphyrius ex eodem loco primi Topicorum, quam Aristoteles fere eodem modo tradit, negatione videlicet aliorum membrorum diuidentium, quod definiendi genus tunc probatur,

tur, cum membra, quæ negantur, explicata sint, vt Philosophus ibidē ait, alioqui vitio non carere. Proinde porphyrius consulto ea in extremum locum reiecit. Sed iam ea, quæ hoc capite dicta sunt, discutiamus.

Rectenè sit explicatum accidens à Porphyrio, an non.

QVAESTIO VNICA.

QVod accidens non recte explicatum videatur, suadebit quispiam in primis quia cum nomen accidentis ambiguum sit, prius distingui debuit accidens, quam definiretur, vt cætera prædicabilia, quæ hactenus explicata sunt. Atque hoc argumento reprehenditur Porphyrius ab Auicenna, atque alijs Arabibus.

Secundo, mortuum esse est accidens quinti prædicabilis respectu Socratis, & tamen ei non competit hæc definitio, qua dicitur accidens adesse, & abesse sine subiecti corruptione; Ergo mala est definitio accidētis. Probatur minor. nam mortuum non potest aduenire Socrati, quin corrumpatur subiectum, scilicet Socrates.

Tertio aduersus eandem definitionem; Nam risibile non est accidens respectu socratis, & tamen definitio accidentis competit ei; Ergo mala definitio est. maior vera est. minor probatur: Nam in primis potest ei ad esse, vt patet, deinde potest abesse; Etenim, vt aliquid dicatur abesse, vt hoc uerbum in definitione accipitur, satis est, si cogitatione separatur, ut ipse autor interpretatus est: propria autem separari possunt cogitatione, cum subiecta appræhendi cogitatione valeant, non apprehensis interim proprijs, ut perspicuum est.

Quod si quis occurrat, posse quidem propria separari a subiecto separatione præcisionis, quæ tunc fit, cum alterum mente concipitur non concepto altero, nō autem separatione negationis, qua vnum de altero negatur sic possumus contra obijcere: Dantur quædam accidentia, quæ hoc modo non possunt a subiectis separari, vt a coruo nigrum esse, cum nemo unquam uere negare possit coruum esse nigrum; Non igitur ita intelligenda est particula, (abesse,) vt separationem negationis significet. Quod si respondeas, saltem diuina potestate fieri potest, vt coruus fiat non niger, sic adhuc vrgebimus: omnes proprietates videntur posse separari a subiecto diuina potestate, pari ergo ratione dicentur separari posse a subiecto separatione negationis. Quapropter adhuc propria in definitione accidentis comprehendentur.

Quarto, nec extrema definitio videtur recte tradi, id enim falsum esse uidetur, accidens esse id, quod nec est genus, nec species, & cętera: Nam coloratum, & album ita sunt accidentia corporum, ut nihilominus coloratum sit genus comparatione albi, & album species comparatione huius albi. Quod si quis occurrat definitionem sic esse intelligendam, vt accidens dicatur nō esse genus & cætera respectu eius, cuius comparatione dicitur accidens, quod non cernitur in propositis exemplis, sic potest contra obijci: Quale, respectu hominis, pertinet ad quartum, & quintum prædicabile; Ergo idem respectu eiusdem est proprium, & accidens. Nam quod ad quartum pertineat, hac ratione patet; Risus capax exempli causa, prædicatur de homine accidentaria, & necessaria prædicatione; Ergo & quale, quod est genus risus capacis. Quod uero pertineat ad quintum, ita probatur; Album prædicatur de homine prædicatione accidentaria, & contingenti; Ergo, & quale, quod est genus albi. Videtur enim par ratio in hac consecutione atque in illa.

postremo, quia cum Porphyrius diuidit accidens in inseparabile, & separabile, secum ipse videtur pugnare, quia in extrema definitione ait accidens semper esse in subiecto omnibus verbis significare videtur, nullum accidens esse re ipsa separabile. Dicendum est tñ, recte explicatum fuisse accidens a Porphyrio, recteq; eius definitiones fuisse traditas: Quod, ut planius perspiciatur admonendum est, tribus modis potissimū accipi nomen accidentis: Vno pro quauis re, q̄ substantia non sit, siquidē oē ens reale, quod substantia non est, accidēs vocari solet, ut quantitas, qualitas, & huiusmodi alia, quæ aut nouem posteria pdicamēta conficiūt, aut ad illa tanq̄ entia realia modo aliquo reuocātur. Quo quidē pacto accepit

accepit Aristot. vocabulũ, (accidens,) 1. lib. Physic. c. 3. cum sic argumentatur: Sic animal, & bipes non sunt proprie entia, i. substantiæ accidentia profecto erunt. Nec refert quicquam in hac accidentis significatione, vtrum res accipiatur abstracte, an cõcrete; Vtroque enim modo quicquid non est substantia, vocatur accidens.

Altero modo accipitur pro quouis attributio accidentario, hoc est, non pertinente ad essentiam rei, de qua prædicatur. Quo pacto dubium non est, quin proprium etiã quarti prædicabilis, quod nimirum ab essentia rei necessaria consecutione profluit, nomine accidentis, comprehendatur. Hac significatione necesse est, vt accidens concrete accipiatur; quia nullum abstractum prædicatur accidentaria prædicatione, à subiecto, præsertim naturale, quæ simpliciter & absolute nomine prædicationis intelligitur. Nihil autem refert, vtrum accidens hac significatione acceptum secundum rẽ, per se pertineat ad aliquod prædicamentũ accidentium, nec ne, cum nõ solum ea, quæ in his prædicamentis per se ponuntur, prædicentur necessaria prædicatione, sed etiã alia, vt entia rationis, negationes, atque adeo ipsæ substantiæ, vt si dicas, homo est albus, animal est prædicatum, Socrates est cæcus: ferrum est ignitum, & similia.

Tertio sumitur pro attributo accidentario, quod nec pertinet ad essentiam rei, nec ab ea necessario profluit: Qua significatione dicimus candidum esse accidens hominis, non autem disciplinæ capax, eo quod propensio ad capessendas disciplinas necessaria consecutione profluit ab essentia hominis, candor autem non item. Atque hoc pacto accipitur accidens hoc loco, cũ quinta vniuersalis species esse dicimus. Illud etiam admonẽdũ est: accidens tertio modo sumptum, vt est quinta vniuersalis species in hunc modum a Dialecticis definiri: [Accidens est, quòd prædicatur de pluribus in quæstione quale est, prædicatione accidentaria, & contingenti.] Cum dicitur esse id, [quod prædicatur de pluribus,] excluduntur omnia, quæ non sunt vniuersalia, Cum additur, [in quæstione quale est] excluduntur genus, & species; Cum adiungitur, [prædicatione accidentaria,] excluditur differentia: Denique cum additur, [contingenti,] excluditur proprium hoc est prædicabile. Etenim illud accidẽtarium attributum censetur hoc loco prædicari contingenter, quod non profluat ab essentia subiecti, siue sit separabile, siue inseparabile.

Diuiditur autem accidens in generale, & speciale. Generale est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, vt candidum de cygno, & cerussa, speciale, quod de his tantum, quæ solo differunt numero, vt ridere de singulis hominibus.

His explicatis facile perspici potest, recte traditas esse à Porphyrio accidentis definitiones.

Nam quod ad primam attinet, verba illa, [abest, & abest,] non idem valent hoc loco, atque inest, & non inest, in subiecto inhæsionis: Multa enim sunt accidentia quinti prædicabilis: quæ non sunt in subiecto inhæsionis. Vt secundæ intentiones in concreto, vtpote genus, & species respectu fundamentorum.

Sumitur igitur hoc loco accidens, non, vt distinguitur contra substantiam, sed latius; Nec item idem valent, atque affirmatur, & negatur, cum inesse per modum identitatis, vel non inesse prius sit, & quasi fundamentum eius, quod est affirmari, vel negari. Nam quoniam accidens inest, aut non inest, propterea affirmatur, vel negatur de subiecto.

Itaque idem valent verba illa, atque inest, & non inest, per modum identitatis, quanquam commode explicari solent a signo, pro affirmatione, & negatione. Sumuntur autem hoc loco actus pro potestatibus; quemadmodum in definitionibus superiorum specierũ vniuersalis, quasi dictum sit, quod potest inesse, & potest non inesse per modum identitatis. Vnde nullam repugnãtiam facit illa coniunctio, & quia non coniungit actus repugnantes, sed potestates ad actus repugnantes, quæ quidem inter se non repugnant: sed simul reperiuntur, vt potestates ad sanitatem, & morbum in eodem animali. Quapropter non accipitur nomen subiecti in hac definitione pro subiecto inhæsionis, sed pro parte subiecta, seu ꝙ id est, pro particulari. Itaq; sensus definitionis est: Accidens est, quod potest inesse in particulari aliquo, de quo per modũ identitatis prædicatur, & in eodem non inesse absque eius corruptione, hoc est, non destructa eius natura, siue essentia. Quare

cum

cum in hac definitione loco generis ponatur, [quod poteſt ineſſe in particulari per modum identitatis,] quæ oratio ſolis verbis differt a poſteriori definitione vniuerſalis, hæc autem verba, quæ deinceps loco differentiæ adhibentur, plane ſignificent identitatem, ad quam accidens habet poteſtatem eſſendi contingentem: Efficitur, vt hæc definitio non diſcrepet ab illa communi dialecticorum definitione, niſi quod hæc traditur per verbum,[abeſt,ſeu ineſt,] quod ſignificat fundamentum eius relationis, quam accidens formaliter ſignificat, illa per verbum,[prædicatur,] quod ſignificat huius fundamenti proprietatem, item quod illa adhibet ante vltimam differentiam alias communiores, quibus accidens cum quibuſdam, alijs vniuerſalis ſpeciebus conuenit; Hæc autem poſito vniuerſali, ſtatim adiungit vltimam differentiam, quę ſeparat accidens ab omnibus alijs ſpeciebus vniuerſalis, ex qua tamen aliæ communiores non difficilius intelliguntur: quam ex rationali colligimus ſenſitiuum & aĩatum.

Quod uero attinet ad ſecundam, verba illa, [quod ineſſe poteſt,] loco generis ponuntur, eodemq; modo intelligenda ſunt, atque illa, (ꝙ poteſt,) niſi ꝙ clarius dicunt eundẽ ſenſum, vt patet: Quę uero adduntur, nẽpe, (ac non ineſſe eidẽ,) ſubeunt vicem differentiæ, idemq; oĩno valent atque illa: Et abeſt ſine ſubiecti corruptione. Quapropter hęc etiam definitio non diſcrepat a definitione Dialecticorũ, niſi quo pacto ſuperior diſcrepat.

Quod deniq; attinet ad tertiam extrema illa verba, ſemper autem eſt in ſubiecto accipienda ſunt loco generis, eodemq; modo intelligenda, quo ea, quæ in prima & ſecunda loco generis poſita ſunt.

Cæterum illa particula, ſemper, non habetur apud Ariſtotelem, ſed adiecta eſt a Porphyrio. Sic enim habet Ariſtoteles: ineſt autem rei. Non efficit tamẽ illa ſenſum falſum, quia ſignificat, accidens ſemper eſſe in ſubiecto, hoc eſt, eſſe poſſe, ſumpto nimirum actu pro poteſtate, ut in ſuperioribus definitionib. Loco autem differentiæ addũtur negationes aliarum ſpecierũ, quæ omnes ſimul innuunt, id, quod loco differentiæ in duab. priorib. collocatũ eſt. Vnde fit, vt hæc definitio omnia accidentia cõplectatur cũ generalia tum ſpecialia, quæ nimirũ eadem ſuperiores cmoplectuntur. Ita patet recte explicatum eſſe accidens a Porphyrio.

Reſtat ut argumenta initio propoſita diluamus. Ad primum dicendum eſt, ſatius quidem fuiſſe, ſi accidens diſtinxiſſet, excuſari tamen Porphyriumquia ex tradita accidentis definitione colligi poterat facile, ĩ qua ſignificatione accidẽs hic acciperet.

Ad ſecundum, conceſſa maiori, neganda eſt minor. Ad probationẽ dicendũ eſt, mortuum eſſe reſpectu Socratis, & combuſtum reſpectu domus, & ſimilia accidentia adeſſe ſine ſubiecti corruptione, quo pacto hoc loco corruptio ſubiecti accipienda eſt. Corruptionis enim, ſiue interitus verbo nõ eſt intelligenda in hac definitione mors, aut quis aliqs interitus, quo res deſinat exiſtere in rerum natura, ſed deſtructio, & euerſio eſſentię ſubiecti, vt nimirũ illud attributũ dicatur adeſſe ſine ſubiecti corruptione, cuius adeſſe non repugnat eſſentię ſiue rõni ſubiecti, nec eã euertit, quo pacto eſſa albũ adeſt homini, illud uero adeſſe cũ corruptione ſubiecti, cuius adeſſe repugnat eſſentiæ ſubiecti, quo pacto adeſſet omni rõnis expers: quia fieri non poſſet, ut homo eſſet homo, ſi eſſet rõnis expers. At mortuum eſſe, & ſimilia, etſi ita cõueniunt Socrati & Platoni & ſimilib. ſubiectis, ut eorũ exiſtentiã aufferant, tñ non repugnat rõnibus ſubiectorũ, nec eas euertunt: cum Socrates non iõ ſit non Socrates, qa mortuus ſit. q̃uis non ſit in rerũ natura, ꝙ idem in cæteris accidit. Sed ut id, ꝙ de mortuo diximus, melius teneas, aduerte, mortuũ duob. modis, utſupra ĩ poſſe: Vno ut participiũ: Alio, ut nomen. Vt participiũ quidẽ, quatenus ſignificat aliquid paſſũ fuiſſe mortem, hoc eſt vitæ ſeparationem: Vt nomen uero, quatenus ſignificat priuatũ uita, quæ duplex eſt, una ſubſtantialis, utpote aĩa ipſa: Altera accidẽtaria, quę conſiſtit in functione operationũ uitalium, cuiuſmodi ſunt nutritio, accretio, decretio, ſentire, moueri ex ſe, & ſimilia. Si ergo mortuũ accipiatur ut participium, uere affirmatur de Socrate, & Platone, aliiſq; ſimilib. ſubiectis. Vere, n. dicimus, Socratẽ paſſum fuiſſe uitæ ſeparationẽ, cum extremo ſpiritu laborauit: Vitæ quidẽ ſubſtantialis non a ſe, ſed a corpore ſuo, nec formaliter & actu, ſed diſpoſitiue (diſponebatur. n. eo tẽpore, ut uere & actu

diſso-

CAPVT SEXTVM
DE COMMVNIBVS
atque proprijs quinque vniuersalibus.



Eterminatis autem vniuersis quæ sunt proposita, genere inquam, specie, differentia, proprio & accidente: dicendum est quænam communia, & quæ propria ipsis insunt. Commune hoc itaque omnibus inest, de pluribus prædicari. Sed genus quidem de omni specie sua, & indiuiduis, quæ sunt sub vnaquaque specie prædicatur, & differentia simili modo. Species autem de indiuiduis quę collocantur sub ipsa. Proprium vero de specie, & indiuiduis speciei. Et accidens de speciebus, & indiuiduis, prædicatur. Animal enim, de equis, bobus, atque hominibus, quæ quidem sunt species, prædicatur. Et item de hoc equo, de hoc boue, atque de hoc homine, quæ indiuidua constat esse, irrationale autem, de boue, de equo, & de singulis similiter prædicatur, homo vero, qui quidem est species, de singulis solum hominibus dicitur; & proprium de specie cuius est proprium, & de indiuiduis, quæ collocantur sub ipsa, risibile enim, de homine, & de singulis hominibus prædicatur Nigrum autem, de coruorum specie, & de singulis dicitur coruis, atque de æthiopibus, simili modo, quod quidem inseparabile accidens est, vt patet, moueri quoque quod accidens est separabile, de quo atque homine, & de horum indiuiduis dici solet. Verum primo quidem de indiuiduis, ratione vero secunda de speciebus etiam quæ indiuidua continent, prædicatur.

Commune est generi ac differentiæ species continere. Continet enim & differentiæ, species, etsi non omnes eas, quas genus continet. Rationale namque, etsi non expertia rationis, vt animal: Deum tamen ac hominem, quæ sunt species, continet. Quæ præterea prædicantur de genere, vt genus est, & de speciebus quæ sunt sub ipso, etiã prædicantur. Quæ etiam de differentia vt differentia est dicuntur, de ea specie, quæ ex ipsa constat, similiter prædicantur, de animali namque quod quidem est genus, & substantia & animatum & sensitiuum, dicto dicuntur modo. Hæc eadem, & de vniuersis, quæ collocantur sub animali, vsque ad indiuidua prædicantur. De rationali quoque quod quidem est differentia, hoc ratione inquam vti, identidem prædicatur. Atque hoc non solum de rationali, sed etiam de speciebus rationalis, atque indiuiduis prædicabatur, commune insuper illud etiam esse patet: Nam si genus tollatur, vel differentia, vniuersa continuo tolluntur, quæ collocantur sub ipsis; etenim vt si non sit animal, homo non est, neque etiam equus. Sic si non sit rationale, nullum animal prorsus erit quod particeps sit rationis.

Proprium vero generis est, de pluribus quam differentia, species, proprium, atque

que

que accidens, prædicari. Nam animal quidem de homine dicitur equo, aue, atque serpente; Quadrupes autem de hisce tantummodo dicitur, quę quatuor pedes habent, homo vero de indiuiduis solum humanis: & hinnibile de solo equo, ac singulis equis, & accidens, de paucioribus simili modo. Atque sumendæ sunt eæ differentiæ, quibus diuiditur genus, non eæ ex quibus generis, substantiæ constat. Præterea, genus quidem potentia differentiam continet animal enim partim particeps, partim expers est rationis, at differentiæ non continent genera. Præterea, genus prius est hisce differentijs quibus diuidi solet, idcirco secum ipsas tollit, sed ab ipsis non tollitur. Nam si animal tollatur, rationale simul irrationaleve continuo tollitur. Differentiæ vero genus non tollunt, nam si vniuersæ quoquæ tollantur, substantia animata sensitiua, mente cogitationeque concipitur, quæ quidem animal est, vt patet. Præterea, genus quidem hoc ipso quid est differentiæ vero hoc ipso quale quid est, vt dictum est, prędicant. Præterea, genus quidem vnum in unaquaque specie est, vt est in homine animal: Differentię vero plures, vt rationale, mortale, mentis atque scientiæ susceptiuum, quibus ab expertibus rationis animalibus differt. Genus pręterea simile est materiæ, differentiæ formæ. Sunt & alia communia propriaque generis differentiævè: hæc tamen quæ sunt enumerata, sufficiant.

Genus & species hoc habent commune, de pluribus inquam, vti diximus, prædicari. Species autem vt species solum, sed non vt genus quoque sumatur, si sit idem species atque genus. Commune ex etiam ipsis, & ijs esse priora de quibus dicuntur, & insuper vtrumque totum quid esse.

Hoc autem differunt, quod genus quidem species continet, species autem continētur, & non continent genera. Genus autem ad plura quam species sese extendit. Prę terea, genera præsupponantur oportet, quæ quidem & differentijs spesificis informata, species nimirum efficiunt, quapropter & priora genera sunt natura, & secum species tollunt, & non ab illis tolluntur. Et si sit quidem species, erit & genus omnino; sin vero sit genus, non omnino & species est. Et genera quidem de quaque specie sua vniuoce prædicantur species autem de generibus non dicuntur. Præterea genera quidem ambitu specierum quæ sunt sub ipsis, speciem quamque, species autē genera differentijs suis, exuperant. Præterea, neque species generalissimum genus, neque genus specialissima species vnquam fieri potest.

Generi commune cum proprio est, species sequi. Nam si homo est animal est: Et si homo est, resibile est. Commune etiam est, prędicatio æqua, æque namque genus de speciebus, & proprium de indiuiduis, quorum est proprium, prædicatur, etenim æque bos & homo est animal, & Socrates atque Plato risibile. Commune insuper est & vniuoca prædicatio, & genus enim de speciebus suis, & proprium de hisce quorum est proprium, vniuoce prædicatur. Genus his a proprio differt. Genus enim est prius, proprium vero posterus: esse enim animal, deinde diuidi differentijs proprijs oportet. Et genus quidem de pluribus speciebus quarum est genus, proprium autem de vna specie tantum cuius est proprium, prædicatur. Præterea, proprij quidem fit mutua prædicatio, generis autem non fit. Neque enim si animal est, homo est: neque si animal est, risibile est: Sin vero homo est, risibile est, & è contra.

contra. Præterea, proprium quidem omni speciei inest cuius est proprium, & soli, ac semper: Genus autem omni quidem speciei cuius est genus, & semper inest, non tamen soli. Præterea, si propria tollantur, genera non tolluntur: Sin vero genera tollantur, species cōtinuo simul tolluntur, quibus peremptis, & propria simul pereunt.

Generi autem & accidenti commune est, de pluribus, vti dictum est, prædicari, siue accidens sit separabile, siue inseparabile. Moueri namque, de pluribus, & nigrum de coruis, æthioqibusvè, & quibusdam etiam expertibus anima prædicatur. Pluribus autem genus atque accidens differre videntur, genus enim species, vt patet, præcedit, accidens autem posterius est eisdem, etiam si accidens inseparabile sumatur; prius est enim natura id cui accidit, accidente. Et hisce quidem quibus genus communicatur, æque generis communicatio competit, hisce vero quibus accidens communicatur, non æque communicatio competit. Intensionem enim, remissionemvè communicatio accidentium suscepit: generum vero non suscepit. Et accidentia quidem in indiuiduis primo sunt; genera vero ac species indiuiduis substantis natura priora sunt. Et genera quidem de hisce quæ sunt sub ipsis, hoc ipso quid est prædicantur: accidentia autem hoc ipso quale quid est, aut quomodo sese habet res, prædicantur; Qualis enim est æthiops, si interrogatus fueris, niger dixeris: Et quomodo se habet Socrates, ambulat respon deres, aut sedet. Genus autem quonam pacto a cæteris differt, iam diximus. Fit autem, vt vnumquodque etiam cæterorum à cæteris quattuor differat. Quare cum hæc quinque quidem sint, vnumquodque vero a quattuor differat, fit vt viginti omnes ipsorum differentiæ sint, quater enim quinque, numerum dictum conficiunt. Sed non ita est, sed cum deinceps enumerent, & duo quidem vna differant differentia, propterea, quod est sumpta: tria vero duabus, & quatuor tribus, & quinque quatuor: decem istorum vniuersæ profecto differentiæ fiunt, quatuor, tres, duæ, vna. Genus enim quonam pacto a differentia, specie proprio, accidenteque differt, iam dictum est. Sunt igitur hæ quatuor differentiæ. Differentia vero, quo pacto quidem differt a genere, dictum est, cum dicebatur, quonam modo genus ab ipsa differret, restat autem, vt quonam modo differt a specie, proprio, accidenteque dicatur, at quæ tres hinc differentiæ emergunt vt patet. Species rursus quo quidem modo a differentia differt, dictum est, cum quonam pacto differt a specie differentia dicebatur, quo vero modo a genere differt, dictum est etiam, cum quonam pacto genus differt ab ipsa specie dicebatur; restat igitur, vt quonam modo differt a proprio atque accidente, dicatur, atque duæ iam & hæ differentiæ hinc oriuntur. Proprium igitur restabit, vt quonam pacto differt ab accidente dicatur. Nam quo pacto a specie, differentia, generaque differt, dictum est antea, cum illa differre ab hoc dicebantur. Cum igitur generis ad cætera quatuor differētiæ sumātur, vt diximus, differētiæ tres, speciei duæ proprij vna, quæ est ad accidens, decē oēs istorū profecto differentiæ erunt. Quarū quatuor q̄ sunt generis ad cętera, diximus. Nūc deinceps cęteras afferamus oportet.

Commune id itaque differentiæ est cum specie, æque esse communicata, singuli enim homines, æque sunt homines, atque rationis participes. Et etiam & hoc commune, semper ijs adesse, quibus communicatur. Semper enim Socrates rationalis

est,

est, semperque homo.

Proprium differentiæ quidem est, semper hoc ipso quale quid est prædicari species autem, hoc ipso quid est prædicari. Nam si homo ut quale quid sumitur, non tamen est simpliciter quale, sed ea ratione qua differentiæ generi coniunctæ ipsum cōstituerunt. Præterea, differentia quidem in pluribus sæpe speciebus videtur esse, ut quadrupes pluribus animalibus specie diversis inest; species autem individuis solis inest, quæ sub ipsa sunt collocata. Præterea, differentia prior est ipsa specie, quæ ex ipsa constat. Tollit enim rationale hominem, si tollatur; at homo si tollatur, non tollit rationale: est enim Deus. Præterea, differentia quidem cum alia componitur differentia: rationale namque atque mortale, ad constituendum hominem componuntur: species autem cum specie non componitur, ut alia quædam species oriatur. Quidam enim equus cum quodam asino, ad muli generationem concurrit; equus autem simpliciter cum asino compositus, non effecerit mulum.

Differentia & proprium commune quidem habent, æque communicata his cum quibus communicantur. Æquè enim rationalia sunt, rationalia, & æquè risibilia, risibilia. Et semper ac omni speciei adesse, nam si diminutus etiam fuit bipes, ratione tamen aptitudinis semper dicitur bipes: quoniam & risibile per aptitudinē semper dicitur tale, non quia semper ridet. Propria autem hæc; nam differentia quidem per sæpe de speciebus pluribus dicitur; rationalis enim de Deo dicitur, & de homine; proprium autem de una tantummodo specie, cuius est proprium, prædicatur. Et differentia quidem sequitur ea, quorum est differentia, non tamen conuertitur; in proprijs vero fit mutua prædicatio, propterea, quod conuertuntur.

Differentiæ cum accidente commune est, de pluribus prædicari. Et item semper ac omni adesse, modò sit inseparabile accidens, ut bipes cum semper omni homini competit, & nigrum omnibus similiter coruis inest. Differre autem hisce videntur: differentia namque continet species, & non continetur; etenim, rationale continet hominem atque Deum: at accidentia tū continent, atque ex eo quia in pluribus sunt: tum continentur, atque propterea quod subiecta non unius sunt accidentis, sed plurium susceptiua. Et differentia quidem expers est intentionis atque remissionis; accidentia autem gradus suscipiunt, ac magis talia minusvè dicuntur; propterea contrariæ quidem differentiæ misceri non possunt, accidentia vero contraria nonnunquā miscentur. Hæc sunt communia propriaque differentiæ ac cæterorum. Species autem quo pacto quidem a genere differentiaque differt, dictum est illo in loco, in quo dicebatur, quo pacto genus & differentia similiter a cæteris differunt. Quomodo vero a proprio accidenteque differt, restat deinceps considerare.

Speciei itaque cum proprio est commune mutua prædicatio: nam si homo est, risibile est: & si risibile est: homo est: atque risibile, ut aptum est ad ridendum, sumendum est, ut sæpe numero diximus. Æque præterea species adsunt hisce quibus communicantur, & propria hisce quorum propria esse dicuntur. Differre autem hisce videntur: species enim & aliorum genus esse potest, proprium vero aliorum proprium esse non potest. Et species quidem proprium antecedit, proprium autem aduenit speciei. Sit enim homo, oportet, ut & risibile sit. Præterea, species quidem sem-

per

per actu subiecto adest, proprium autem interdum & potentia inest. Socrates enim actu quidem semper est homo, non autem semper ridet, quanquam semper ad ridendum est aptus. Præterea, quorum diffinitiones sunt diuersæ, ea etiam sunt diuersa; at speciei quidem definitio est: sub genere esse, & de pluribus differentibus numero hoc ipso, quid est prædicari, & quæ sunt similia. Propry vero, soli hac semper, atque omi inesse. Speciei vero & accidenti commune est, de pluribus prædicari; perpauca autem sunt ea, in quibus conueniunt: Propterea quod plurium inter sese accidens, & id cui accidit, distant.

Propria autem vtriusque sunt hæc; species enim de hisce quorum est species, hoc ipso quid est prædicatur, accidens autem hoc ipso quale est, aut quomodo sese habet: Et quæque substantia vnius quidem speciei, plurium autem accidentium tam inseparabilium, quam separabilium particeps est: & species quidem ante accidentia mente concipitur, etiamsi inseparabilia sunt: sit enim subiectum oportet, vt illi quippia n accidat; accidentia autem posteriora sunt, & aduenticia sunt natura. Præterea speciei quidem communicatio æqua est; accidentium autem etsi inseparabilia sunt, æqua non est. Aethiops enim magis aut minus niger æthiope esse potest. At enim restat vt de proprio & accidente dicamus. Quo enim modo proprium a genere & specie & differentia differt, antea diximus.

Commune itaque proprio cum accidente inseparabili est, sine ipsis, non esse ea in quibus insunt, vt enim sine resibili non est homo, sic & sine nigro æthiops esse non potest. Et quemadmodum omni semperque proprium adest, sic & ipsum inseparabile accidens adest.

Differunt autem hisce, proprium enim vni soli speciei inest, vt resibile homini. Inseparabile autem accidens, ceu nigrum, non æthiopi solum, sed coruo etiam, & pici, & hebeno, cæterisque complurimus inest. Quapropter proprium quidem conuertitur cum eo cuius est proprium, & est ipsi æquale. Inseparabile autem accidens non conuertitur. Et propriorum quidem communicatio æqua est, accidentium autem suscipit gradus. Sunt & alia communia hisce quæ dicta sunt, atque propria; verum, & hæc ad ipsorum distinctionem conuenientiaque demonstrandam sufficiunt.

QVoniam ea, quæ hoc capite a Porphyrio docentur, copiosè & perspicuè traduntur, suntque per seipsa satis aperta, & ex ijs, quæ in superioribus capitibus explicantur, fere cognita: satis erit, summam rei breui comprehendere. Explicatis igitur in superiori parte huius tractatus quinque speciebus vniuersalis, eas modo comparat inter se, vt planius appareat, quid omnibus commune, quid singulis proprium sit. Duo tamen sunt admonenda hoc capite, vt facilius intelligantur, quæ Porphyrius docet. Primum est, ea quæ de quinque speciebus vniuersalis traduntur, intelligenda esse nō de intentionibus ipsis, sed de fundamentis, scilicet de animali, de homine rationali, & cæteris. Secundum est, Porphyrium hoc ferè toto capite, cum de differentijs, & accidentibus loquitur de generalibus tantum loqui; At contra, cum de proprio agit, non de generali, sed de specifico intelligēdum, esse. Hæc verè perpendenti contextum facilè erit intueri. Sunt tamen hoc capite nonnulla Phylosophorum proloquia, quæ porphyrius obiter perstringit: quæ nos, quoniam disputationibus Dialecticis magno vsui esse solent; breuiter annotabimus.

Primo quidem indiuiduis illud in primis occurrit annotandum axioma Dialecticorum, quod Porphyrius his verbis expressit, scilicet, accidentia quinti prædicabilis primo quidem indiuiduis, ac secundario, ratione illorum, conuenire speciebus, verbi causa, equum moueri, quia Bucephalus mouetur; hominem esse Philosophum, quia Socrates est Philosophus; Hoc tamen in accidentibus realibus solum intelligitur: non vero in his, quæ dependent ab intellectu, cuiusmodi sunt secundæ intentiones, vt subijci, prædicari, & cætera.

Species autem cum specie non componitur. Vulgare est apud Philosophos effatum illud, quod Porphyrius hic ponit, scilicet ex duabus speciebus non componi tertiam; Quod intelligendum esse ait, non quidem de speciebus ad generationem concurrentibus, sed compositionem ingredientibus, adde, completis. Nam si sint entia incompleta, cuiusmodi sunt materia, & forma, aptissimæ sunt ad compositionem speciei.

Finis commentarij Collegij Conimbricensis in Porphyrij Isagogen.

COMMENTARII IN LIB. CATEGORIARVM ARISTOTELIS.

Explanata Porphyrij Isagoge, sequitur vt librum Categoriarum Aristotelis aggrediamur, cuius vt planior sit interpretatio, operæ precium erit, nonnulla eorum explicare, quę ante Porphyrij explanationem more interpretum omnium præfati sumus.

Quodnam sit Aristotelis institutum in hoc Prædicamentorum libro.

QVAESTIO VNICA.



Voniam constat, auctorem huius libri reliquorumque oīum, qui post Isagogen Porphyrij, in curriculo Philosophiæ explicari solent, Aristo. fuisse idcirco, pretermissa confirmatione huius rei, primo de eius instituto in hoc lib. dicemus. De eo igitur partim conuenit inter interpretes, partim dissensio est. Aristotelici.n. fatentur: hanc tractationē, & de rebus, & de vocibus esse institutam. Cæterū Caetanus, Eustratius, & Auerroes & alij nōnulli existimant: præcipuū auctoris propositū esse agere de rebus, q. duobus argumentis vr̄ ostendi. Primo, quia fere omnes proprietates, quas Aristoteles, singulis prædicamentis attribuit, cōueniunt rebus & non vocibus, qualis est illa substantiarū affectio: mutatione sui recipere posse contraria, & aliæ huiusmodi. Secundo, quia hic agitur de rebus, & vocibus, quia rōne prędicantur, & subijciuntur res, aut verius prædicantur & subijciuntur, q̄ voces; vt apud Porphyrium docuimus.

Ammonius, Simplicius, Boetius, & Alexander, & alij quos Simplicius hoc loco refert, credunt Aristotelem præcipue de vocibus differere, quam sententiam videtur amplecti M. Alb. initio huius lib. & D. Tho. in præfatione libri de Interpretatione; quid tamen hæc in re statuendum sit, duabus assertionibus explicabimus.

Prima assertio est; de rebus & de vocibus hæc tractatio instituta est; quæ facile probabitur. primo. quia in hoc libro traditur decem ordines simpliciū prædicatorum & subiectorum, vt oēs fatentur, non solum autē res, sed ēt voces prædicantur & subijciuntur, vt apud Porphyrium diximus; Secūdo perspicuè videmus Aristotelē hoc libro modo de vocibus, modo de rebus differere.

Secunda assertio, præcipuū auctoris institutum in hac tractatione ēst agere de vocibus, quæ hoc modo probabitur. primo in hoc libro agitur de rebus & vocibus. Voces aūt magis pertinent ad Syllogismū simplicem, siue argumentationē, de qua Aristoteles agit in tota arte Dialecticæ, q̄ res (voces namq; sūnt partes Syllogismi simplicis, siue argumentationis. non aūt res) Ergo in hoc lib. præcipue agitur de uocibus. Secundo, si tractatio hæc de rebus præcipuè esset instituta, non esset inter sermocinales, sed inter reales numeranda, hoc.n. distinguuntur reales tractationes, a sermocinalibus q. hæ præcipuè in sermonibus, illæ in rebus præcipuè versentur, atqui tractatio hęc cū Logica sit, non inter reales sed sermocinales numeratur, non agit ergo pcipuè de rebus, sed de vocibus. Tertio id confirmatur ex Arist. ca. 4. huius libri: in quo tradit numerum Prædicamentorū, & distinctionē eorum de quibus in hoc libro differit, ab

ijs, de quibus præcipue acturus est in libris de Interpretatione, quo loco nõ ex diuisione rerũ, sed uocũ colligit prædicaméta: (eorũ,) inquit, (quæ nulla cõplexione dñr, singula aut substantiã significant, aut quantitaté, &c.) & paulo post;) Singula igitur eorũ, quæ dicta sunt, illa quidem ſm se nulla cũ affirmatione negationeve dicuntur, quorũ tñ ad se inuicem complectione aut affirmatio, aut negatio fit.) patet igitur ex Aristo. verbis, de vocibus præcipue, non de rebus institutam esse huius libri disputationem.

Ad primam aũt obiectionem rñdendum est. Inter proprietates, quas Arist. singulis prædicamentis assignat quasdã directe ad uoces pertinere: vt videri segnare hoc aliquid, q̃ Aristo. oĩbus substantijs attribuet, alias vero ac fermè oẽs, & si directe ad res spectẽt, posse tñ, proportione quadã seruata, ad voces accõmodari. Exẽpli cã ꝓprietas illa substantiarũ, q̃ in hoc argumẽto affert, sic põt vocibus attribui, propriũ est nominũ substantiæ, vt id significet, ꝙ mutatione sui põt recipere contraria: & ita de cæteris.

Ad secundã rñdendum est, agi quidẽ hoc loco de rebus & vocibus, quæ rõne prędicãtur & subiiciũtur, resq; ꝓcipue predicari & subijci; ex quo colligitur, planè in ꝓdicamentis, quæ ex predicatis, & subiectis cõponuntur, res potissimũ collocari, ceterũ de vocibus esse ꝓcipue institutam disputationẽ, ꝙ eorũ ꝓdicatio & subiectio ꝓcipue ad artẽ dialecticã ꝑtinet, ut ex dictis apertũ ẽ.

Hinc facile colligi potest; quodnã sit huius libri subiectum: Et.n. vox simplex significatiua rei, quæ per se ponitur in prædicamento. Nam in hoc loco traduntur prima differendi elementa, ex quibus conficitur oratio, de qua in libris de Interpr. agitur. Quæ quidẽ non sunt res, nec prædicamẽta ipsa, seriesve, sed voces, quę in series disponuntur: nec opus est, ut subiecti huius tractationis, quę demonstratiua non est, proprietates assignemus; satis.n.est, vt sit subiectum, si eas subiecti conditiones obseruet, quas ante Porphyrij libellũ explicauimus.

De Operis Iscriptione.

Liber inscribitur, (Categoriæ,) ꝙ vocabulũ nostri vertunt Prędicamẽta, Porro Categoria, id est, predicamentũ interdũ idẽ valet, ac primum summũq; genus, quo pacto Ammonius, Simplicius Boetius; & maxima pars interpretum putant intelligendã esse huius libri inscriptionem, quasi ita habeat (de summis generibus.) Nec immerito, Nam, vt genera summa sunt prima capita reliquorum oĩum, quæ hoc libro traduntur, sic ab eis aptum totius tractationis principium desumi põt. Nonnunquam.n. idem valet Categoria, siue prędicamẽtum, quod series eorum, quę prædicantur & subijciũtur, cuius caput est aliquod genus summũ, quo pactó accipitur prędicamenti verbũ in ſtitut. Dialecticarũ lib. 2. c. 8. cũ prędicamẽtum dr̃ esse quędam generis summi realis & eorum, quę sub eo collocantur, naturalis dispositio. Eo demq; modo accipitur ab Aristo. lib. 5. Metaph. c. 6. cum sic ait, (Illa sunt eodem genere, quorum eadem est predicamenti figura,) id est, prædicamenti, dispositio, vbi vox prędicamenti, accipitur intransitiue, quo pacto dicimus primã figuram esse figuram circuli, hoc est, figurã, quę est circulus. Itaq; sensus loci est; illa esse eadẽ genere, quorũ idem est prędicamentũ, seriesve. Atq; hac posteriori significatione vr̃ intelligenda huius libri inscriptio. Primum quia hac significatione dicere solemus, oĩa entia finita poni in aliquo prędicamento; Itemq; prędicamẽta ex omnibus finitis rebus confici: & alia huiusmodi, quę nõ recte dicuntur, nisi prædicamenti vocabulũ hoc pacto accipiatur. Deinde quia Porphyrius in ipsa Isagoge, quam in hunc lib. conscripsit, hoc eodem modo accepit prędicamenti vocabulum, cum docuit in singulis prędicamentis esse singula genera summa.


Ad quam uero Philosophię partem hęc tractatio pertineat, ex ipsius subiecto autorisq; instituto satis plane colligitur. Cũ.n. in ea tradantur prima differendi elementa, quæ sunt uoces simplices, hęc aũt ad Dialecticã spectent, planũ est, hanc tractationem ad eam partẽ Philosophię instrumẽtariã esse referendam, quæ Dialectica nominatur.

Distribuitur deniq; hic liber in tres partes, quarũ prima appellaẽ. Ante prędicamẽta, altera Prædicamenta, in qua præcipua tractationis pars continetur: tertia Post prędicamenta. Continetur autem prima pars primis quattuor capitib. secunda quinque sequentibus, tertia totidem extremis. Hæc dicenda uidebantur ante libri enarrationem nũc quid Aristoteles dicat uideamus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM

DE AEQVIVOCIS, VNIVOCIS, ET DENOMINATIVIS.



Equiuoca dicuntur ea, quorum nomen solum commune est, ratio vero substantiæ nomini accommodata, diuersa, vt animal dicitur & ipse homo, & id quod est pictum. Horum enim nomen commune tantummodo est, ratio vero substantiæ nomini accommodata, diuersa. Si quispiam enim, quęnam sit vtriusque ratio animalis, voluerit assignare, rationem vtriusque profecto propriam assignabit. Vniuoca ea dicuntue, quorum, & nomen commune est, & ratio substantię nomini accommodata eadem est, vt animal dicitur & ipse homo, & equus, nomine namque communi & homo, et equus, animalia nuncupantur, & ratio quoque substantiæ vtriusque eadem est. Si quispiam enim vtriusque rationem voluerit assignare, quęnam sit vtriusque ratio animalis, eandem rationem omnino reddet. Denominatiua ea dicuntur, quę de aliquo nominis appellationem habent solo differentia casu, vt a Grammatica, Grammaticus appellationem habet, a fortitudine fortis.

DEfinit Arist. hoc capite æquiuoca, vniuoca & denominatiua, ac primum quidem æquiuoca, vt innuat ea reijcienda in primis esse à prædicamentorum classibus, propterea quod ambigua sint, multiplicemque habeant naturam, deinde vero vniuoca, vt signet sola ea, quæ vniuoce prędicantur aut subijciuntur in prædicamentis habere locum: ad extremum denominatiua, vt intelligamus, ea denominatiua, quæ ad prædicamentorum series spectant, non per se sed ratione abstractorum ad ea pertinere. Qua in re, vt M. Alb. Ægidius & alij volunt, triplicem quoq; docuit conuenientiam rerum, quæ in prędicamentis ponuntur, quarum prima est omnium rerum in ente, quæ sane est æquiuoca & ordine naturæ prima; Altera, qua omnia, quæ ad rerum & idem prędicamentum spectant, in suo genere summo, iunguntur, quam esse vniuocam nemo dubitat: Tertia est, qua ea, quæ pertinent ad vnum prędicamentum, verbi gratia, album, grammaticum, de re alterius dicitur, vt de homine, quæ quidem est Denominatiua.

Æquiuoca.] Æquiuocatio, vt ait Aristoteles 1. Elench. cap. 10. ex rerum multitudine & vocum paucitate orta est. nam cum rerum infinitus sit numerus, nominum autem finitus, necesse est, vt eodem sæpe nomine multæ res alia atque alia ratione significentur, vt gallus auis, & Gallus natione, quo pacto acceptę res æquiuocę, uocantur: & hoc loco ab Aristot. definiuntur. Neque enim Arist. nomina æquiuoca, quę vulgo appellantur æquiuoca ęquiuocātia, sed res æquiuocas, id est, res nominibus æquiuocis signatas, quas uocant, ęquiuoca æquiuocata definit. Cum autem ait Arist. (ęquiuoca dicuntur ea.) Intellige res, id est, entia (quæ propterea loco generis in hac definitione ponuntur, vt ait Ammonius, Boetius & Caetanus) intelligenda sunt hoc loco non solum nomina, vt a uerbis distinguuntur, sed etiam ipsa verba, & participia, vt fero, lego. ferens, legens, & ut semel dicā omnia categoremata. Debent autem huiusmodi nomina esse eadē secundum accentū, quantitatem syllabarū, & cęteras affectiones ad pronunciationē pertinentes. Nam alioquin non censebuntur eadē sed diuersa noīa, ut concido quatenus significat colere, & cędere, & malum cōparatione poni, & vitij, concido enim priori significatione

producit priorem, posteriori corripit. Diximus,[ad pronunciationem pertinentes:] quia si aliæ Grammaticæ affectiones varientur, non continuo dicemus non esse idem nomen, vt si genus sit diuersum, Nec enim verbum ambulans censetur diuersum in genere masculino, fœminino, & neutro. Id quod ideo accidit, quia hæc veritas nõ spectat ad nominis pronunciationem, quod idem obseruandum est in reliquis.

Sed quæret aliquis, qua rõne vox æquiuoca dicatur nomen: cum non sit unum nomen, sed multa. Nam cum forma nominis sit ipsa eius significatio, effici, vt vox, quæ non habet vnam duntaxat significationem, quale est; cõmune vocabulum æquiuocum, non sit unum nomen, sed multa; ex quo fit, vt vere appellari non possit nomen commune rebus æquiuocis, quas significat, Cui dubitationi respondendum est, nomen æquiuocũ dici unum rõne eius, quod est subiectum, & quasi materia, cui conuenit significatio nimirum ratione vocis. Vox enim æquiuoca, etsi multas habeat significationes, multaque nomina dicenda sit: ipsa tamen est vna vox ac proinde communis omnibus rebus æquiuoce significatis.

Ratio uero substantiæ.] Ratio sumitur apud Aristotelem pro definitione ut 2. lib. Phys. cap. 3. & 5. Metaph. cap. 8. cum Aristo. ita scribit:] Quidditas cuius ratio est definitio substantia cuiusq; dicitur,] quod idẽ ait initio lib. 8. Quapropter rõnis nomine definitio intelligi potest in ijs, quæ definitionem habent, vbi nomine definitionis intelligenda est mentalis, iuxta illud Arist. 4. Metaph. rõ quam nomen significat est definitio: neq; enim nomen definiti, significat definitionem vocalem, sed mente conceptã quippe cum voces nõ sint signa vocum, sed conceptum, ut Arist. docuit 1. lib. de Interpret. In vniuersis tamen potest rõnis uerbũ accipi pro conceptu, simplici tum formali, qui quidem est nomen mentale rei significatæ, tum etiam obiectiuo, qui nihil aliud est, quam natura rei significatæ, qua ratione menti obijcitur: Nomen vero essentialis definitionis, ac obiectiui cõceptus late hoc loco accipienda sunt, ego ut comprehendunt non solum essentiam rei, sed etiã modos eius: quod propterea dicimus, quia sæpe res æquiuocæ nõ sunt diuersæ essentiæ: sunt tamen diuersi modi eiusdem essentiæ, vt actio, superficies, & ubi, tempus & quando. ut in progressu planum fiet.

Verbum autem substantiæ non est hic accipiendum pro illa substantia, quæ soli hoc nomine appellatur, sic. n. nulla accidentia essent æquiuoca, ꝙ falsum est, sed pro essentia cuiuslibet rei, quo pacto substantiæ vocabulum non rarò accipitur, ut c. de substãtia docebimus. Addita est autem hæc particula, quoniam cum rõ seu quod Græce habetur logos, non solum significet definitionẽ, sed & supputationem, quæ fit per calculos, itemq; inductionem, rõcinationem, & quis aliam orationẽ, opus fuit addere verbũ substãtiæ, ut rõnis uerbũ pro sola definitione sumeret. V sitatũ est. n. apud Philosophos, ut rõ substãtię p definitione accipiat.

Nomini accommodata.] Ratio nomini accommodata est, quæ rationi respondet. Addita est hæc particula, quia ut res dicantur æquiuoce conuenire necesse est, vt secundum illud ipsum nomen propter quod dicuntur æquiuoca habeant rationes substantiæ diuersas; quia secundum aliud nomen non dubium est, quin æquiuoca possint esse vniuoca: vt Socrates Atheniensis & Socrates Constantinopolitanus, qui æquiuoce conueniunt in nomine scilicet, uniuoce cõueniunt in uoce hominis, iuxta, quã eandẽ habent substantiæ rationem. Sed obijciet aliquis hoc modo: Dictio [solum] excludit oẽm conuenientiã ab æquiuocatis præter conuenientiã nominis, ut ipsa uerba apertè declarant. Ergo excludit conuenientiam in rõne substantiæ. quare ubi dictum est, quorũ nomen solum cõe est, superuacaneũ fuit addere, [ratio uero substãtię diuersa.] Huic obiectioni occurrendum est, particulam. [Solum.] non ita late accipi ab Arist. ut excludat omnẽ aliam conuenientiam æquiuocorũ præterquam nominis. (Satis enim cõpertum est, æquiuoca alijs plerisq; materijs posse conuenire, quã solum nomen, ut conueniunt canis domesticus, & maritimus in natura animalis uiuentis, & cæterorum superiorum generum. Sed solum vt excludat conuenientiam rationis secundum idẽ nomen; quemadmodum dicimus, relictum esse quempiam in prælio, hastam solum habentem ad scuti scilicet, & gladij differentiam: etsi nihil prohibeat, quo minus calceos habeat & vestẽ; quia tamen id non facile intelligeretur, merito addita sunt verba sequentia.

quentia. Vel si hæc solutio non ita vendicat definitionem a reprehensione, ut saltē particula solum non uideatur redundare: quandoquidem quicquid ea significat, in totū multo clarius significant uerba sequētia.

Vniuoca ea dicuntur] Vt res æquiuocæ superiori definitione definitæ fuerunt, ita hoc loco res vniuocæ hoc pacto definiūtur. [Vniuoca sunt entia, quorum nomen cōe est, & rō substantiæ nomini accōmodata eadē] quomodo homo, & bestia comparatione animalis. Etenim ut homini, sic & bestiæ animalis nomen ac definitio eadem attribuitur, que definitio ex superiori vtcunq; patet, vtraq; vero ex ijs, quæ infra dicētur, melius intelligetur.

Denominatiua ea dicuntur.] Vt planior sit sequētis definitionis explicatio sciendū est, quouis denominatiuo quatuor quædam reperiri. Nam in (candido,) verbi causa in primis cernitur uox (candidū,) quæ a recentioribus dicitur denominatum denominans, deinde id quod nomine (candidi) significatur, quod dicitur denominatiuum denominatū, tertio res, quæ denominatur (cādida) vt, nix, lac, papyrus, quę dicitur res denominata, deniq; forma, a qua res denominata est candida, ut, candor, quæ quidem forma denominationis appellatur. Definit igitur Arist. hoc loco non quidem Denominatiua denominantia, hoc est, uoces ipsas, cuiusmodi sunt hæc nomina, (candidum, grammaticus, fortis) & similia, sed res, quæ huiusmodi nominibus significantur, hoc est, denominatiua denominata, vt Grāmaticum fortem & alia huius generis, quemadmodū superioribus duabus definitionibus non definiuit, voces significātes sed res signatas. Sunt autem Denominatiua, quatenus talia sunt, media quædā inter formas denominantes, & res denominatas: & ad vtrasq; varie referuntur. Ad formas quidem denominantes, vt ad ea, a quibus oriuntur, ad res autē denominatas, vt ad ea, de quibus dicuntur. Exempli causa, (candidum,) qua ratione Denominatiuum est, oritur a candore, quæ est forma denominans, & dicitur de corpore, quod est res denominata, atque ita de cęteris. Nomine autem formarum denominātium intelligendum est id, a quo denominatio sumitur, etiam si non sit vere forma, vt aurum, a quo domus aurata, & vestis, a qua dicitur homo uestibus.

Quæ ab aliquo] Cum denominatiua in superiori parte huius definitionis dicantur ab aliquo nōīs appellationē habere (nōīe solo appellare res denominatas, quod quidem est habere a nomine appellationem aptiuam) explicatur respectus eorum ad res denominatas. Debent enim Denominatiua prædicari de rebus denominatis nomine solo, ut cernere est in grammatico. Nam etsi nomen grammatici de Donato dicatur, tamen definitio grammatici, non est definitio Donati, alicuiusve generis aut speciei, sub qua Donatus contineatur, & sic res habet in cæteris, cum uero adiungitur, [solo differentia casu,) hoc est solo fine uocabuli) exprimitur respectus eorundem ad formas denominantes. Debent enim denominatiua naturaliter oriri, tum voce, tum etiam re, a formis denominantibus; etsi Grammaticorum more, potius Denominantia oriantur nonnunquam a Denominatiuis, ut iustitia a genitiuo iusti. Verum hæc paulo inferius latius explicabuntur.

Vtrum Aristoteles in definitione Aequiuocorum complexus sit omnia æquiuoca.

QVAESTIO PRIMA.

Quod non omnia æquiuoca in definitione æquiuocorum complexus fuerit Arist. hac ratione videtur ostendi. Nā substantia, quantitas, & alia suprema genera conueniunt æquiuoce, quatenus entis nomine signantur, ut Porph. docuit & Aristo. & fere oēs fatentur. At substātia, & quātitas, & cætera suprema genera hoc modo spectata non diuersas essentię rationes habent, sed easdem: igitur non oīa æquiuoca in definitione æquiuocorum comprehenduntur. Minor propositio probatur, quia substantia quatenus est ens, dicitur esse id, quod existere in rerum natura potest, qua eadem ratione describitur quantitas, quatenus est ens & ita cętera genera.

Dicendum est tamen omnia æquiuoca in definitione æquiuocorum, comprehēdi. Quod vt perspiciatur, aīaduertendum est, multa esse æquiuocorum genera. Nā ut de nominibus in lib. 1. inst. Dialect. dictum est; sic de ijs, quæ nominibus signantur dicen-

dum est, quædam casu fortunaq; esse æquiuoca, alia consilio, & rõne. Casu æquiuoca sunt quorum nomen est cõe, & ratió substãtiæ eidem nomini congruens õino diuersa, vt Galenus natione, & gallus auis, quatenus galli noĩe signantur: Alexander, Paris, & Alexander Macedo, quatenus vterq; nũcupatur Alexãder, atq; hæc (q̃ apud Arist. lib. 1. de gener. & 4 Meteo. c. 2. proprie ęquiuoca censentur) propterea dicuntur casu æquiuoca, quia in imponendo cõi noĩe nulla habetur rõ conuenientiæ rerũ signatarũ Consilio æquiuoca duobus modis dicũtur; vno, cum propter conuenientiã quandam, & cognationẽ inter res ipsas, idẽ vocabulũ multis rebus imponitur, vt pedis nomẽ pedi animalis, & montis. Altero cũ multæ res nulla spectata inter ipsas cognatione, & cõuenientia, sed solum ob memoriã alicuius aut spem, aut alia de causa, quæ ex cõueniẽtiã earum nuncupatur, eodem noĩe appellãtur. Vt si quis patris sui nomen filio imponat, siue in memoriã patris, siue quia speret filium illi similẽ futurum. Quanquã vero vtraq; dicantur consilio æquiuoca, eo, q̃ rõne aliqua, siue ex cognatione rerũ dicta, id est, aliunde petita eorũ vocabulo nuncupẽtur: posteriora tñ re vera inter casu æquiuoca, quæ iã definiuimus, cõprehenduntur, eo quod diuersas omnino habeant essentię rationes eidem vocabulo congruentes, nec eodem nomine appellentur, ob aliquam conuenientiam, quæ in rebus ipsis cernatur.

Æquiuoca igitur cõsilio, quæ casu æquiuocis opponuntur sunt ea, quorũ nomen est cõe & ratio substantiæ eidem nomini congruens quodãmodo eadem, vt homo verus, & pictus, & aspectus oculorũ, & mentis, & alia huiusmodi, quę hodie trito sermone dicuntur analoga; quanq̃ hoc vocabulum nõ proprie omnibus cõuenit, vt paulo post docebimus. Horum aũt duo sunt genera, quædam dicuntur analoga secundum attributionem, alia secundum proportionem.

Analoga secundum attributionem relationemve sunt ea, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ, quodammodo eadẽ, p̄pter relationem, ad aliquid vnũ, quæ quidem vocantur ab Aristo. ad unũ, id est, ab vno. Huiusmodi aũt analoga in quatuor genera distribui solent, iuxta quatuor eorũ genera: Quædã enim habent eandem quodammodo rationem substantiæ p̄p relationem ad unum finẽ, quo pacto cibus, & pulsus dicuntur sani, ille quia efficit, hic, quia indicat sanitatem. Alia propter relationẽ ad unum efficiens, quo pacto medici cum præceptum, tum etiã instrumẽtum dicitur medicum, quia medicus, qui est causa efficiens sanitatis vtroq; utitur. Alia p̄pter relationem ad unam formam exemplarem, quo pacto homo pictus, & homo ex luto cõfectus dicuntur homines, quia hoĩs formam velut causam exemplarem variè imitãtur: itemq; homo robustus & sæuus dicuntur leones, quia leonis conditionem alió atque alio modo videntur æmulari. Alia propter relationem ad unum subiectũ, & quasi materiã, quo pacto quantitas, & qualitas dicũtur entia quia nimirum entis per se existentis, hoc est, substantię, quæ subiectũ est, & velut materia accidentiũ, sunt affectiones.

Illud tamen in his quatuór generibus ad monendum est, id unum, propter quod alia dicuntur, alia interdum signari eodem nomine, quo alia signantur, vt patet in exemplis adductis, atq; in talibus semper illud vnum appellari, prinicpale signatum nominis, unde dicere solemus hanc uocem sanũ præcipue signare aliquid (sanum,) & nomẽ (entis,) ens per se subsistens, & ita de cæteris. Interdum tamẽ id unum, propter quod alterum tale dicitur, non comprehenditur eodem nomine, exempli causa, (cibus & cõsilium,) dicuntur æquiuoce salutaria, propter uarios respectus ad aliud sanũ, tanquã ad finẽ, & tñ aliud ut sanum est, non dicitur salutare, item serra, qua utitur faber & fabri ẽt perceptum dicuntur fabrilla, uarijs respectibus a fabro uidelicet tanquã ab efficiente causa, & tñ faber non dicitur fabrilis. Figura quoq; leonis depicti dicitur leonina, & incessus ẽt leoninus, nempe a leone, tanquam ab exemplari forma, cum tamẽ ipse leo propter quem talia nominãtur leoninus non dicatur. Denique quantitas, & qualitas, & reliqua suprema accidentium genera dicuntur accidentia a substantia, cui tãquam subiecto accidunt, cum interim ipsa substantia minime dicatur accidens.

Analoga secundum proportionem, hoc est, secundum comparationem relationum ea sunt, quorum nomen est commune, & rõ substantię quodammodo eadem, propter quandam similitudinem relationum respectuumvẽ, quæ inter ipsas cernitur, quia nimi-

nimirum vt se habet,[hoc,]ad certum aliquid,ita quodãmodo se habet,[illud,eiusdem nominis ad aliquid aliud, idq; siue proprie,vt principium temporis, & principium fluminis; siue improprie & figurate,ut pes hominis & montis:nam vt se habet principium anni ad annum, sic quodam modo se habet fons unde Monda nascitur ad Mondam, quorum utrumq; proprie dicitur principium, & vt pes hominis affectus est ad hominem, sic quodammodo infima pars montis, quæ non proprie sed figurate dicitur pes, effecta est ad mõtem, Quia vero solum hoc genus consistit in proportione,quæ Græce dicitur analogia, non immerito Aristote.multis in locis sola æquiuoca huius generis uocat analoga; vt primò post.cap.16.& 1. Ethic. cap. 6. & 5.Metaph.cap. 6. quanquam usus recentiorum obtinuit,ut omnia,quæ casu æquiuoca non sunt,analoga dicantur,

His positis dicẽdum est; omnia enumerata æquiuocorum genera in definitione ęquiuocorũ comprehendi; etenim oïa conueniunt nomine, & ratione discrepant, vt inductione patet. Verũ hoc interest, quod casu æquiuoca habent rationes omnino diuersas secundum idem nomen: reliqua uero non habent rationes omnino diuersas, sed quodam modo easdem, quãquam simpliciter habent diuersas,vt exẽplis licet intueri.Si.n.casu æquiuoca diffinias,vt significata huius vocis[gallus,reperies definitiones,nullo pacto easdẽ,quia nec indicabunt attributionẽ vnius ad aliud, nec proportionẽ aliq̃ inter ipsa, at si reliqua definias, ut hoïem verũ & pictũ, qui hoc noïe,homo,signant, inuenies definitiones quodammodo easdẽ, q̃ indicabunt attributionẽ unius ad aliud, aut aliquam inter ipsas proportionẽ.

Ad argumentũ uero initio propositũ concessa maiori,neganda est minor,& ad probationem dicẽdũ est,substantiã,quantitatem, & reliqua accidentiũ suprema genera,quatenus entis noïe signant, hñe diuersas essentiæ rõnes,hoc est, diuersos conceptus entis noïe proxime significatas: nec descriptio illa,q̃ affert, est una q̃dammõ, cũ tã analoga sit,q̃ ipsum ens,cuius est rõ.Itaq; substãtię & accidẽtia,quatenus entis uocabulo signãtur nõ habent unã eandemq; oĩno definitionem, nec unũ conceptũ p se primo entis uocabulo signatũ, in quo conuenire dicantur,

Num in Definitione Vniuocorum comprehendantur omnia vniuocorum genera.

QVAESTIO SECVNDA.

IN hac quæstione explicanda est in primis uniuocorum definitio. Deinde dicemus comprehendanturne oïa in definitione vniuocorum ab Arist. tradita.Qđ ad primũ attinet, uniuoca q̃ uniuocata dñr,hoc est,nominibus uniuocis signata duab. diuisionib. distribui pñt:quædã enim sunt uniuoce participata,alia uniuoce participãtia: rursusq; alia essẽtialia,alia accidẽtaria. Vniuoce participata sunt,q̃ eodẽ noïe, eademque rõne sunt pluribus cõia, vt animal homini & equo, quo pacto apud Porphy. diximus omnia animalia esse uniuoca in suis particularibus & in hoc lib.cap. 5. Secundæ substantiæ ac doctrinę substantiarum dicuntur uniuoce prædicari de primis substantijs.Vniuoce participantia sunt, quę eodem nomine, & eadem ratione conueniunt, quo pacto homo, & equus uniuoce conueniunt in animali.

Vniuoca essentialia sunt ea, quæ essentiali prædicatione prædicantur, aut subijciuntur, vt animal respectu hominis, & bestiæ, & vicissim homo & bestia respectu animalis. Accidentaria uero sunt ea,quæ accidentaria prędicatione prędicantur, aut subijciuntur, vt album, respectu niuis,& cygni, & hæc respectu illius. Quod attinet ad secundum dicendum in definitione uniuocorum Aristotelica tam uniuoca participata, quam participantia comprehendi,nulla tñ accidentalia, qua ratione talia sunt, sed sola essentialia: quo nomine tam participata, quam participantia comprehenduntur, vt Boetius existimat; ex eo patet, quoniam vtraque habent idem nomen,& eandem rationem nomini accommodatam, uerbi gratia : dicimus animal esse uniuocum respectu hominis & equi : vicissim hominem & equum esse uniuoca respectu animalis,quia & nomen animalis & ratio eidem nomini congruens sunt his omnibus cõia. Quod vero accidentia non comprehendatur, qua ratione accidentaria sunt, probatur, quia etsi conueniunt in nomine,non tamen conueniunt in ratione,ita.f.ut ratio,seu defini

tio

tio participati sit definitio participantis, quo pacto intelligenda est definitio vniuocorum: hinc enim fit, vt doceat Aristo. hoc lib. cap. 5. & 2. Top. cap. 2. accidentia nomine, & ratione non prædicari de subiectis, sed nomine solo: non quod definitiones accidentium non possint dici de subiectis; dicuntur enim reuera si modo accidentia definiantur concrete: sed quia non possunt prędicari de subiectis vt definitiones subiectorum. Diximus tamen non comprehendi in definitione uniuoca accidentaria, qua ratione talia sunt: quia omnia vniuoca accidentaria sunt alia ratione essentialia; vt coloratum, quod est uniuocum accidentarium respectu corui, & cygni, & essentiale respectu albi, & nigri.

Verum contra hæc licet obijcere. Primo ex solis uniuocis participantibus attulit Aristot. exemplum: Ergo sola participantia in definitione tradita comprehenduntur. Secundo, idem probatur in hunc modum, nomen & ratio, in quibus res vniuocæ conueniunt non proprie, dicuntur communia participatis, & participantibus, sed propria, & peculiaria participatis, quia latius patent, quam singulę participantes: non uidetur ergo uniuoca participata in definitione Aristotel. comprehendi, sed sola participantia. Tertio animal est vniuocum essentiale respectu hominis & eo, & tamen eius definitio non est definitio hominis & equi, quia cum neutra reciprocatur: Ergo si propterea album respectu niuis cygni reijcitur a definitione vniuocorum, quod eius definitio nō sit niuis & cygni; pari ratione animal comparatione hominis, & equi reijciendum est. Quare si hac de causa excluduntur accidentaria vniuoca, essentialia etiam excludenda erunt.

Hæc tamen nihil obstant; nam ad primum argumentum respondendum est, nihil referre quod Aristo. non attulerit exemplum nisi ex participantibus quia non necesse est, vt in explanandis definitionibus afferantur exempla, ex omnibus generibus rerum, quę nomine definiti comprehenduntur, alioqui dicendum esset in definitione æquiuocorum non comprehendi ulla casu æquiuoca, quia nullum exemplum ex eo genere propositum est ab Aristotele.

Ad secundum vero dicendum est: nomen & rationem, in quibus res vniuocæ conueniunt proprie dici communia participatis & participantibus. Nam id quod est proprium alicuius rei, potest dici commune illi, non quidem cum alijs rebus, sed cum ijs, a quibus ipsa participatur, quæ sane non sunt aliæ res, verbi causa: etsi nomen & ratio animalis, sunt propria animalis, nihil tamen obstat, quo minus dicantur illa communia, non quidem cum alia re, quæ non sit animal, (sic enim iam non esset animalis propria) sed cum particularibus animalibus, quæ animalis naturam participant. Itaque commune in definitione uniuocorum non solum intelligendum esse id, quod conuenit alicui, & alijs sed etiam quod cōuenit alicui, & ijs, a quibus illud ipsum, cui conuenit, participatur.

Ad postremum argumentum dicendum est; rationis nomine in definitione, vniuocorum posito, intelligendum esse rationem, quæ sit etiam definitio participantium, non solum quatenus signantur nomine participati, sed etiam secundum particulares ipsorum naturas: ita tamen vt sit integra respectu participati, inchoata vero respectu participantium: definitio autem animalis etsi non est integra definitio hominis & equi, nisi quatenus sunt animalia, est tamen definitio inchoata vtriusque, secundum proprias ipsorum naturas. At definitio albi, etsi est integra definitio niuis & cygni, quatenus sunt alba: neutrius tamen est definitio siue integra, siue inchoata, si peculiaris natura vtriusque spectetur, vt satis apertum est.

Vtrum omnia Denominatiua comprehendantur in definitione Denominatiuorum.

QVÆSTIO TERTIA.

MVLTA denominatiua videntur esse, quæ non comprehendantur in definitione denominatiuorum. In primis enim omnia, quæ accidentaria prædicatione dicuntur de rebus alterius prædicamenti, prædicantur denominatiue; at non omnia hæc deriuantur ab aliquo denominante; igitur non omnia denominatiua comprehenduntur in definitione denominatiuorum.

Minor

Minor probatur: nam hoc uerbum, malus, prædicatur denominatiue, nec tamẽ deduci tur, a malitia, sed a vitiositate (neque enim omnis malus est malitia affectus) sed vel malitia, vel aliquo alio vitio, quod in alijs plerisque cernere est. Præterea uerbum, (grammatica,) adiectiue acceptum pro muliere dicitur denominatiue de muliere: quia neque æquiuoce vniuoce; sed hoc vocabulum non differt casu a Denominante, quod est grammatica pro arte: igitur non omnia Denominatiua comprehenduntur in definitione Denominatiuorum.

Hæc quæstio facile explicabitur, si non nulla annotauerimus. Primo repetendum est ex dictis in vnoquoque denominatiuo duplicem respectum cerni, vnum ad formã denominantem, alterum ad rem denominatam. Deinde admonendum est, respectu denominantis tria solere dici denominatiuorum genera: quædam voce tantum, vt [malus a malitia:] alia re tantum, vt [album] a candore, malum a vitiositate, probus a virtute] alia voce & re simul, vt [candidum a candore, [grammaticus a grammatica, & fortis a fortitudine.]

Respectu autem rei denominatæ duo genera faciunt recentiores: quædam sunt denominatiua essentialia, vt animale respectu hominis, & sensitiuum comparatione animalis: alia accidentaria, vt grammaticum & candidum respectu eorundem.

His positis dicendum est, sola denominatiua voce & re, quæ item sunt accidentaria definiri hoc loco ab Arist. Quod vt pateat, admonendum est, vt aliquid sit denominatiuum voce & re, necesse esse, vt non solum voce sed etiam re conueniant, cum forma denominante: ne tamen sit omnino idem cũ forma denominãte, sed ab ea quasi oriatur, opus esse, vt & in fine vocis, & in modo rei signatæ differat ab illa, vt autem accidentaria prædicatione dicatur de re denominata, duo necessario sibi vendicare: vnum vt dicatur nomine, alterum vt nõ dicatur ratione: vnde fit vt ad denominatiua sex conditiones requirantur, idest, conuenientia in principio vocis & conuenientia in re signata, discrimen in fine vocabuli & in modo rei signatæ, pari nomine & non ratione. Quas conditiones plane intelliges in candido respectu candoris, a quo deducitur, & cygni quem denominat; in primis enim candidum conuenit cum candore initio vocabuli; deinde res signata per vtramque dictionem eadem est; quando quidem verba concreta & abstracta eandem formã signant, vnde Arist. c. 5. huius libri ait, albũ nihil aliud signare, quam ipsum quale, id est, ipsam qualitatem, hoc est, solam albedinem: planum quoque est candidum differre a candore & in fine vocabuli, & in modo signandi, etenim candoris nomen signat cãdoris naturam, quasi per se cohærentẽ, seu quod dici solet, prædicamentum substantiæ candidum autem, quod a candore quasi nascitur, signat eundem candorem, vt efficientem subiectum, seu prædicamentum adiacẽtis, ut Dialectici loquuntur. Denique candidum dicitur, nomine de cygno, cum de eo prædicetur, ratione autem non item, quia ratio candidi non est ratio cygni, neque alicuius rei superioris, sub qua cygnus contineatur.

Has uero sex conditiones, si diligenter attendas, inuenies in definitione denominatiuorũ; nam cum Arist. ait, [quæ ab aliquo] idest, forma denominante, [solo differentia] casu, hoc est, solo in fine uocabuli, signãtur quatuor priores conditiones, nam si denominatiua non differunt a denominantibus, nisi in fine uocabuli, planum est ea & initio nominis, & in re signata conuenire: in ipsa differentia autem in fine uocis quæ est, tertia conditio intelligenda est, hoc loco differentia modi rei signatæ, quæ est quarta conditio, necnon apud dialecticum consideratur accidentaria in fine uocabuli, quam uidelicet non comitetur aliqua differentia in modo signandi & ex consequente in modo rei signatæ. Cum uero in definitione dicitur, [nominis appellationem habẽt, signantur duæ extremæ conditiones, quas denominatiua sibi uendicant respectu eorũ quæ denominantur: nam denominatiua habere appellationem, nihil aliud est hoc loco, quam habere hanc conditionem, ut appellare possint res denominatas: seu quod idem est, prædicari nomine de illis, quod quidem est habere appellationem actiuam. Quod autem additur, nominis, ideo adiungitur vt intelligamus denominatiua solo nomine prædicari, & non ratione, de rebus denominatis, ubi duæ cõditiones prædictæ continentur. Quod autem hæc posterior de

finitio-

finitionis pars ita sit accipienda ex 2. c. lib. 2. Topic. facile intelliges. Hac enim ratione distinguitur eo loco prædicatio eorũ, quæ denominatiua dicuntur ab ijs, quæ vniuoce, quod hæc nomine & ratione dicantur; illa nomine solo, id quod latius cap. 5. huius libri citato, denominatiuorum nomina. Itaque omnes illæ sex denominatiuorum cõditiones iuueniuntur in hac definitione, etsi non omnes aperte. Est igitur; ut semel dicamus, totus definit. onis sensus denominatina denomi nata sunt, quæ ab aliquo, idest, a forma denominante solo differentiæ, idest, in fine uocis & in rei signa tæ modo nominis habent appellationem, id est, solo nomine, non antem ratione de rebus denominatis prædicantur. Vnde patet ab hac definitione sic exposita excludi denominatiua voce tantum, re tantum, & ea, quæ essentialia denominatiua appellantur, solaque Denominatiua, & re, quæ item sunt accidentaria definiri hoc loco ab Arist. quod ostendere nitebamur. Vnde collige, nec casus obliquos a suis rectus, nec aduerbia a nominibus Denominatiua dici: nec enim quælibet deriuatio ab aliquo efficit denominatiuum sed ea in qua inueniuntur conditiones supradictæ.

Restat vt argumentis initio propositis occurramus. Ad primum dicendum est, non mirum esse, si pleraq; denominatiua ad prædicamentorum ordines pertinentia non comprehendantur in hac definitione: cum non omnia sint denominatiua voce, & re simul, quamquam possint in alijs denominatiuorum generibus comprehendi. Ad secundum, sunt qui respondeant, grammaticam pro muliere non comprehendi in hac definitione, quia non est aliquid, voce denominatiuum ab arte Grammatica. Qui enim fieri potest, vt aliquid dicatur uoce denominatiuum ab eo, a quo nullo pacto secundũ nomen differt? Alij respondent, ut aliquid ab aliquo denominatiuum voce dicatur, satis esse, quod attinet ad finem uocis, si idem nomine in aliquo genere sumptum differat a forma denominante in fine vocis. Quo fit ut concedant, grammaticam pro muliere deduci a grammatica pro arte, quia grammaticus, & grammaticum in fine vocis differunt ab arte. Quæ sententia ex eo videtur vera, quoniam nec apud Grammaticos quidem uarietas generis efficit diuersa nomina, sed unum atque idem. Quare si hæc sententia magis placet, dicito Grammaticam pro muliere comprehendi in tradita definitione, eamque casu differre ab arte grammatica, mutato genere, quod fieri potest immutato nomine.

CAPVT SECVNDVM

DE COMPLEXIS,

Et non Complexis.



Orum, quæ dicuntur, alia cum complexione, alia sine complexione dicuntur. Illa talia sunt, homo currit, homo vincit. Hęc istiusmodi sunt, homo, bos, currit, vincit. Eorum quę sunt, alia de subiecto quidem dicuntur, in nullo vero sunt prorsus subiecto; vt homo de quodam homine dicitur vt de subiecto, in nullo autem est subiecto. Alia in subiecto quidem sunt, de nullo vero subiecto dicuntur. Atque id in subiecto esse dico, quod in aliquo quidem est, & non vti pars: vt sit autem seorsum ab eo, in quo inest, fieri nequit; vt quędam Grammatica est quidẽ in anima, vt in subiecto, de nullo vero subiecto dicitur; & hoc album in corpore est, vt in subiecto: omnis enim color est in corpore, de subiecto vero nullo dicitur. Alia de subiecto dicuntur, & in subiecto etiam sunt, veluti scientia in anima quidem est,

vt in subiecto, de Grammatica autem dicitur, vt de subiecto. Alia neque in subiectō sunt, neque de subiecto vllo dicuntur: vt quidam homo, & quidam equus; nihil enim talium, aut in subiecto, est aut dicitur de subiecto. Atq. indiuidua simpliciter, & ea, quæ vna numero sunt, de nullo quidem subiecto dicuntur, in subiecto autem nonnulla ipsorum nihil probibet esse; quędam enim Grammatica ex ijs est plane, quæ in subiectō quidem sunt, a nullo vero subiecto dicuntur.

Substantia — asystatos — *Accidens*

De subiecto & non in subiecto — In subiecto Non de subiecto

Et in subiecto / Et de subiecto

Vniuersale — Non in subiecto Neq; de subiecto — *Singulare*

In subiecto scientia. — Non in subiecto. indiuidua.

asystatos

Vniuersale — *Singulare*

PRoponit Aristoteles hoc capite duas diuisiones, quarum prior ascribenda est vocibus, posterior rebus: prior proponitur ut excludantur voces complexæ a prædicamētis, posterior ut tradatur generalis quædam cognitio rerum, quæ in ijsdem ponuntur.

Eorum quæ dicuntur.] Nomine eorum quæ dicuntur, non solum voces, sed etiam res intelligi possunt, res quia signantur vocibus, voces quia proferuntur. Hic tamē uoces solum, aut saltem præcipue intelligendæ sunt, quia cap. 4. huius lib. subdiuiditur posterius membrum huius diuisionis in ea, quę signant substantiam, & cætera, quæ sane non sunt res, sed voces.

Alia cum complexione.] Complexio, & simplicitas vocum, qui hoc loco spectantur ex complexione, & simplicitate conceptuū intelligenda est. Nam quibus respōdet multorum conceptuum coniunctio, nempe oratio aliqua mentis, illæ complexæ censeri debent, etsi secundum vocem nullam habeant complexionem, verbi causa: non solū hæc oratio, [homo albus,] est uox complexa, quia illi respondet in mente oratio quædam, sed etiam hæc vox, [album) erit complexa, si imponatur ad signandum totum, id quod (homo albus) signat. Quibus autē nulla respondet multorum conceptuum compositio, illæ simplices atque incomplexæ iudicandæ sunt, etiam si secundum vocem, ex multis coniungantur verbis, exempli causa: non solum non [homo] est incomplexa, quia vnum tantum conceptum simplicem gignit in mente, sed etiam tota hæc oratio [corpus animatum] quatenus uno tantum conceptu simplici significat quandam speciē prædicamēti substantiæ, itemque aliæ, qui, bus pro simplicibus vocabulis utimur, ut Alexander magnus, summus pontifex, & aliæ

aliæ omnes, quę simplicibus conceptibus aliquid repręsentant.

Currit, vincit.] Ammonius existimat oĩa uerba esse complexa, eo quod signent actionem, aut passionem, & aliquam personam agentem, & patientem; sed tamen verba primæ ac secundæ personæ, vt [curro vincis, & ea tertiæ, quæ secum afferunt determinatũ suppositum, [vt pluit, tonat, grandinat,] apertius esse complexa, ac proinde Arist. attulisse exempla incomplexarum vocum in verbis tertiæ personæ, quæ certum suppositum non designant, cuiusmodi sunt, currit, vincit, quia primo aspectu incomplexa uideantur, hoc enim satis esse videtur ad exẽplorum vsum, quoniam exemplorum non est omnino requirenda veritas. Potius tamen dicendum est, nullũ esse uerbum, quod ex vi suæ signationis complexum sit: verba enim non signant suppositum agens, aut patiens, sed potius connotãt, quemadmodum (album) non signat corpus, sed connotat. Hoc tamen interest, quod verba primæ, ac secundæ personæ & illa tertiæ, quæ certum suppositum agens aut patiens designant, sunt quodã modo complexa, quia quisquis ea audit, statim concipit mente perfectum sententiam affirmantem aliquid, aut negantem, quod tamen non nascitur ex ipsa vocis formali signatione, sed quia ille supplet apud se certum illud designatum suppositũ, quod ab huiusmodi verbis connotatur, quod certe auditis verbis tertiæ personæ facere non potest.

Eorum quæ sunt.] In hac altera diuisione, nomine eorum quæ sunt, intelliguntur entia realia finita, & complexa, quæ quidẽ sola per se, ac directo ponuntur in prædicamentis. Qualia vero sunt hæc entia, siue res cap. 4. docebimus. Diuiduntur autẽ huiusmodi res per quasdam ipsarum proprietates: quatuor enim hoc loco numerantur, vna substantiarum, quæ est non esse in subiecto inhæsionis; altera accidentium, quæ est esse in subiecto inhæsionis, tertia vniuersalium, quam vocat Arist. dici de subiecto, hoc est, prædicari nomine, & ratione de re, quæ minus late pate.t. Quarta singulariũ, quam appellat non dici de subiecto, vt subiectum in proxima proprietate explicatũ est: Porro duæ priores affectiones conueniunt rebus, quatenus res sunt. Posteriores quatenus disponuntur in prædicamenta, hoc est, quatenus sunt vniuersalia quædam aut singularia Vt ergo vna tantum diuisione confuse, ac rudi Minerua intelligamus, & res quę disponuntur in prędicamenta, & qua ratione disponantur, iccirco Arist. ita commiscuit priores affectione cum posterioribus, vt in singulis membris diuidentibus, quæ quatuor sunt, inueniantur duæ, vna ptinens ad res, quatenus res; altera pertinẽs ad easdem, qua ratione disponuntur in prædicameuta. Primum itaque membrum diuidens innuit substantias vniuersales secundum accidentiam singularia; tertium accidentia vniuersalia; quartum substantias singulares.

Atque id in subiecto esse dico.] Ex quatuor affectionibus quarum mẽtio facta est, unam tantum, nempe esse in subiecto definit Aristo. neque enim necessariam putauit explicationem reliquorum. Id igitur in subiecto esse dixit, quod in aliquo idem est, & non uti pars, vt sit autem seorsim ab eo, in quo inest, fieri nequit, vt Grammatica est in anima, vt in subiecto, & candor in cygno sed quia hæc definitio, non parum negotij exhibet, examinanda, & explicãda est quæstione sequenti.

Num definitio eius quod est in subiecto sit recte tradita.

QVAESTIO PRIMA.

Authore Arist. 4. Phys. c. 3. octo modis aliquid in aliquo esse dicitur, ad quos reliqui omnes reuocari possunt. Primo ut pars integrans, aut physica in toto composito, vt brachium in corpore, & materia; & forma in quouis composito naturali. Secundo contra vt totum in partibus integrantibus, aut physicis, & simul sumptis, quo pacto totum corpus est in omnibus simul membris ex quibus integratur, & totus homo in animo simul & corpore, ex quibus essentia eius componitur. Tertio vt species in suo genere, vt homo in animali, quod vsitatius dicere solemus ĩ aliquo genere. Quarto cõtra vt genus, & oratio pars essentialis, quæ de specie dicitur, in ipsa specie, vt animal & rationis particeps in homine. Quinto vt in forma in subiecto, siue ea sit substãtialis, siue

siue accidentaria, vt animus in corpore, & candor in cygno, quorum prior constituit cum suo subiecto rem unam per se, & vnius essentiæ, Posterior autem minime. Sexto vt effectus in causa efficiente, quo pacto regimen Reip dicitur esse in rege, & totius mũdi administratio in Deo. Septimo, vt res quæ appetit finẽ in suo fine, veluti cor auari in pecunijs & cor iusti in cœlesti beatitudine. Octauo, vt quod in vase aut loco: veluti aqua in vrceo & scholasticus in gymnasio, quem modum ibidem affirmat esse omnium maxime proprium. Ex omnibus autem his modis sola posterior pars quinti, nempe, quo forma accidentaria est in subiecto definitur hoc loco ab Aristo. ex quo fit consequens, vt si definitio est recte tradita, cæteri omnes per aliquam partem definitionis reijciendi sint.

Hoc posito, multa insurgunt argumenta contra definitionem. Primum est huiusmodi: Totum est secundo modo in suis partibus physicis integrantibus, atque ita est in illis vt non sit pars illarum, nec extra illas cohæreat: Ergo secundus modus per nullam particulam reijcitur,

Secundum: anima equi est in corpore equino, quod est materia equi, atque ita vt non sit pars talis corporis, nec possit extra illud existere, eodemque modo res habet in cæteris formis substantialibus sola hominis forma excepta; Ergo nec prior pars quinti modi per vllam parriculam excluditur.

Tertium: Omnia creata sunt sexto modo in Deo, nempe vt in causa efficiente, quia omnia ab eo conseruantur, atque ita in eo esse dicuntur, vt nec sint partes eius, nec valeant, uel ad momentum temporis permanere, si Deus ea desinat conseruare. Ergo non omnes modi existendi in aliquo pertinentes ad sextum modum reijciuntur per aliquam particulam.

Quartum: Res omnes sunt in bono, ut in fine (omnia enim bonum appetunt naturali appetitu propensioneve a Deo indita) atque ita sunt in eo vt nec sint partes eius, nec absque appetitu naturali cohærere possint: Ergo non omnes modi excluduntur, quibus aliquid septimo modo in aliquo esse dicitur.

Quintum; Omnes res naturales, quæ sub cælo existunt, sunt octauo modo in loco ita, vt nec sint partes loci, neque extra illum existere valeant, id quod est perspicuum in cœlis inferioribus quatenus sunt in superioribus a quibus continentur: Ergo nec octauus modus existendi in aliquo per aliquam particulam definitionis reijcitur.

Tota fere difficultas huius quæstionis in explicatione primæ partis cernitur. Nam cum ea videatur complecti omnes modos existendi in aliquo difficile est, omnes præter extremam partem quinti per duas reliquas definitionis particula excludere. Omissa ergo Caietani opinione, & aliorum, illa uidetur magis accommodata huius definitionis expositio, vt prior eius pars accipiatur, vt proprie verba sonant, vtpote pro omnibus modis proprie existendi in aliquo quales non sunt omnes ij qui ab Arist. enumerati sunt, ut patebit. Deinde per secundam & tertiam excludantur ex hoc genere omnes, qui non comprehenduntur sub definitio. Quæ expositio iccirco placebit: uerba cum absolute proferuntur in definitionibus iuxta propriam significationem accipienda sunt. Iuxta hanc igitur explanationem, per primam partem definitionis excluduntur non solum omnia, quæ non sunt in aliquo, vt Deus antequam mũdum procrearet: sed etiam quæ improprie dicuntur esse in aliquo: ex quorum genere tres modi ex octo enumeratis hac parte reijciendi sunt secundus, sextus & septimus: cum ea, quæ his modis sunt in aliquo non proprie in illo esse dicantur. Nam si totum quid dicitur esse in omnibus suis partibus realibus simul acceptis, est idem esse & natura, vt multi volunt, atque partes simul sumptæ: certe in proprie dicitur esse in partibus quoniam nulla res dicitur proprie esse in se ipsa: si vero est diuersum quid a partibus simul sumptis vt alij asserunt, adhuc tamen improprie dicitur esse in illius, cum non alia ratione in illis esse dicatur, nisi quoniam non est præter illas, vt Aristo. eodem loco ait; efficitur ergo vt hic modus sit improprius, alioqui qualibet res dicitur proprie esse in seipsa.

Quod autem effectus improprie dicatur esse in sua causa, ex eo patet: quia non dicitur esse in illa, nisi quatenus est in eius potestate seu virtute, hoc est, quia potest ab ea fieri, & in posterum conseruari, non au-

tem

tem quia iam fiat aut conseruetur. Vnde non dicimus aliquid esse in nostra potestate, quod iam fecimus, aut conseruamus, nisi quo ad id quod faciendum superest, aut quo ad subsequentem rei confirmationem: Quocirca D.Thomas exponens locum illum sic ait; Per hunc modum dicere possum aliquid esse in me, quia est in potestate mea vt faciem illud.

Quod autem esse in fine sit etiam improprius modus existendi in aliquo, ex eo manifestum est, quia deo res, quæ aliquid appetit, dicitur esse in bono, quod appetit, quia per translationem dicitur mouere, seu trahere ad se appetitum (vt ait Arist.) & ex consequente, retinere illud apud se, Metaphora nimirum sumpta a rebus, quæ vim inferunt & secum rapiunt aliquid. Ita per primam definitionis partem reijciuntur secundus modus, sextus & septimus, qui sunt improprij, & si qui alij improprij reperiantur: per secundam verò reijciuntur primus, tertius, quartus, & prior pars quinti, vt perspicuum est; Non solum enim pars integralis est pars sui totius, sed etiam species est pars subiecta generis, & genus pars essentialis specierum, ac denique forma est pars totius compositi naturalis. Denique per tertiam excluditur modus octauus, & alij omnes, qui ad illum reuocantur, vt esse in tempore, & esse in capite esse circa corpus, esse in digito, & cæteris huiusmodi. Hæc enim non sunt partes eorum, in quibus dicuntur esse, sed tamen separata ab illis naturalitor possunt in rerum natura existere, vt pileus qui est in capite, & vestis in corpore, & annulus in digito, & sic de cæteris. Dixi naturaliter, quia Aristot. non loquitur in hac definitione de existentia, quam res habere possunt supernaturali Dei virtute, sed tantum per causas naturales. Illo enim modo, quem ipse non videtur cognouisse, non dubium est qnin accidentia possunt existere extra subiectum, vt in sacra Eucharistia. Itaquè omnia & sola accidentia comprehendũtur in hac definitione, quia ita sunt in aliquo, vt nec sint partes eorũ, in quibus sunt, nec separata ab illis possunt existere naturaliter. Quod si contra hanc expositionem obijciatur, Aristot. in 4. Physic. accepisse esse in aliquo pro omnibus modis, siue proprie existendi in aliquo, siue improprie, vt patet ex diuisione, quare eodem modo esse hoc loco accipiendum, dicendum est, aliam esse rationem in diuisionibus enumerationibusque aliam in definitionibus. Dũ enim aliquid dicitur aut eius acceptiones enumerantur, consuetum est & proprias, & improprias recensere significationes, at cum accipitur in definitionibus proprie, vsurpandum est nõ improprie.

Ad primum igitur argumentum dicendum est, totum non esse proprie in suis partibus idest physicis, siue integrantibus, ut dictum est. Ad secundum dicendum est, modum existeudi formæ substantialis in materia excludi per secundam particulam, quia forma substantialis licet non sit in materia, vt pars eius, tamen est in ea, vt in altera parte entis per se, quod ex vtraque constituitur. Sic enim intelligenda est secunda particula definitionis, vt illud non vti pars dicatur esse in aliquo: quod nec est pars eius in quo est, nec alicuius entis per se ex vtroque constituti.

Ad tertium & quartum dicendum est, eos modos existendi in aliquo esse improprios, vt diximus. Ad quintum dicito, etsi res naturales, quæ sub cœlo sunt, non possint separari ab omni loco, nec inferiores cœli a superioribus: tamen si separentur, non propterea continuo suam existentiam amitteret, quemadmodum accidentia, si separentur a suis subiectis substantiæ siquidem habent naturam existendi per se: accidentia vero non nisi in alio, vnde rectissime Ammonius corpus, inquit, qua corpus est, & loco & tempore, quo ipsum subsistat, non indiget: habet tamen hæc consequentia: quemadmodum is, qui in luce ambulat, vmbram habet consectantem, qua nihil ad substantiam iuuatur. At accidenti conferunt corpora, qnando sine ijs haud quaquam consistere possunt.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.



Vm quippiam de quopiam prędicatur vt de subiecto, ea quæ de prædicato dicuntur, dicentur etiam de subiecto. Vt homo de quodam homine prędicatur, animal autem de homine prędicatur; ergo animal de quodam etiam homine prędicatur. Quidam enim homo & homo est, & etiam animal.

Eorum, quę sunt diuersa genere, & non ita se habent, vt alterum sub altero collocetur, diuersę sunt species & differentię; vt animalis atque scientię; animalis namque differentię sunt, gressibile & bipes & volatile degensque in acquis; Scientiæ vero nulla est ex his differentia. Non enim hoc scientia a scientia differt, quod sit bipes. Eorum tamen generum, quorum alterum sub altero collocatur, easdem esse differentias nihil obstat; supera enim de suis inferis prædicantur, quare omnes differentiæ prædicati erunt subiecti.

DOcuit cap. superiori quænam res & quo pacto spectatæ in prædicamentis ponerentur; nunc antequam prædicamentorum distinctionem tradat, proponit duo documenta, quibus vtrumque intelligere possimus, quonam modo eædem res in prædicamenta disponantur, atque in ordinem redigantur. Itaque primum documentum vtile est ad cognoscendam prædicamentorum profunditatem, secundum ad intelligendam latitudinem. Profunditas est progressus a summo genere ad ndiuidua vsque, vt si dicas, substantia, corpus, animatum corpus &c. deorsum versus. Latitudo vero est discessus quidam in latera, qui fit per differentias, quibus genera in species diuiduntur, veluti si substantiam in corpus & spiritum per differentias diuides, & sic cætera deinceps.

Cum quippiam de quopiam.] Prius documentum est huiusmodi: [Cum quippiam de quopiam prædicatur, vt de subiecto, ea quæ de prædicato dicuntur, dicentur etiam de subiecto.] Quod documentum sic a quibusdam exponitur, cum aliquid de aliquo essentiali prædicatione dicitur; omnia essentialia attributa prædicati erunt essentialia attributa subiecti. Alij vero ita exponunt: Cum alterum de altero essentiali prędicatione dicitur, quicquid vniuerse de prædicato dicitur, dicetur etiam de subiecto, eo nempe modo (quod ad prædicationem essentialem & accidentalem attinet) quo dicitur de prædicato. Si enim essentiali prædicatione dicitur de prędicato, essentiali etiam dicetur subiecto; Si accidentaria de prædicato, accidentarie etiam de subiecto; atque in posteriori sensu videtur Arist. documentum accepisse; primum quia hic sensus latius patet; deinde quia in hoc sensu videtur ille documentum hoc supposuisse capitulo quinto huius libri cum probat omnia alia præter primas substantias de primis substantijs prædicari vt de subiectis, aut in eis, vt in subiectis inesse, seu quod idem est, prædicari de primis substantijs essentiali aut accidentaria prædicatione.

Ex hoc documento eliciunt recentiores quandam argumentandi formulam, quam vocant, de primo ad vltimum, & per primam Regulam. Ante prædicamentalem, vt si dicas, omnis homo est animal, omne animal est sensus capax: igitur oĩs homo est sensus capax. Aut etiam hoc modo; si sensus capax est, homo est, si homo est, animal est; Igitur si sensus capax est, animal est. Inseruit autem hoc docomentum profunditati prædicamentorum cognoscendæ, quia ex eo constat, quicquid est superius superiore, esse superius inferiore, & quicquid est inferius inferiore: esse inferius superiore. Huic etiam documento addunt interpretes quoddam aliud pro ijs, q̃ sunt in subiecto, hoc modo, cum alterum

de altero accidentaria prædicatione enunciatur, quicquid essentialiter dicitur de p̄dicato, dicetur etiam de subiecto accidentaliter. Intellige nisi alias diceretur essentialiter. Non enim simpliciter valet, species accidentaliter dicitur de genere, & vniuersale essentialiter de specie: Ergo accidentaliter dicitur de genere, nam generi alias essentialiter competebat vniuersale.

Eorum quæ sunt.] Melius hunc locum ita vertemus, cum genera sunt diuersa, & non subalternatim posita, eorum differentiæ diuersæ sunt speciei, cum autem genera subalternatim posita sunt, nihil prohibet easdem esse differentias, vbi Arist. tradit alterum documentum, in quo, vt patet, duæ partes continentur. Quod documentum vt planum fiat, admonendum est, vno è tribus modis quælibet duo genera posse dici diuersa, primo si sub nullo eodem genere ponantur, quo pacto diuersa genera sunt substātia, & qualitas, animal, & sciētia, atque hæc propriè, ac simpliciter sunt diuersa, dicunturque non solum diuersa genera, sed etiam diuersa genere, quia in nullo genere conueniunt, & proinde primo diuersa, altero si ambo quidem sub vno, & eodem genere contineantur, sed tamen neutrum sub altero collocetur, vt animal, & planta sub corpore animato: tertio si alterum subijciatur alteri, quo pacto se habent corpus & substantia, animal & corpus: sunt ergo qui nomine generum subalternatim positorum ea solum intelligant in hoc documento, quæ tertio modo sunt diuersa: verum hæc sententia non placet, quia isto modo necesse est, vt in priori parte documenti comprehendantur omnia genera primo, & secundo modo diuersa, in posteriori aūt ea duntaxat, quæ sunt diuersa tertio modo ex quo efficitur vt documenti prior pars sit falsa. Nam cum Aristo. in priori parte afferat, genera quæ non sunt subalternatim posita, habere diuersas differentias: in posteriori autem dicat, nihil obstare, quo minus ea, quæ subalternatim posita sunt, habeant easdē aperte significat, genera, quę in priori parte documenti continentur, non posse habere easdem, alioquin nullū constitueret discrimen inter genera, quæ in priori & in posteriori documenti parte continentur. Nunc autem videmus genera secundo modo diuersa, quæ iuxta hanc sententiam in priori parte comprehenduntur, posse habere easdem, differentias constituentes, siquidem animal & planta constituuntur ijs differentijs, quibus corpus animatum constituitur, quæ enim constituunt superiora, constituunt inferiora, vt ipse author docet extremis verbis huius capitis.

Dicendum est ergo nomine generum sub alternatim positorum intelligenda esse tam ea, quæ primo modo, quamque secundo modo, diuersa sunt, atque in priori parte documenti comprehendi sola genera, primo modo diuersa, qualia sunt, animal & scientia, quæ in exemplum afferuntur, in posteriori autem reliqua. Hinc enim patet verissimam esse vtramque documenti partē, siue spectes differentias vidgentes, siue constituētes. Genera enim, ponuntur in diuersis prædicamentis nullas habent easdem: ex his autem, quæ in eodem prædicamento collocantur, etsi quædā sunt, quę nullas habent easdem, plurima tamen sunt, quæ aut diuidentibus aut cōstituentibus vtrisq; conueniūt: nam ea, quorum neutrum sub altero collocatur, si ita sunt affecta, vt vtrumq; aut alterū sub genere summo immediate ponatur, nec constituentes easdem habēt, nec diuidētes, vt corpus & spiritus idemq; spiritus & animal. Si vero ita disposita sint, vt utrūq; mediate ponatur, sub aliquo genere summo, nullas quidē easdem diuidentes habēt, sed tñ aliqua aut aliquibus constituentibus cōmunicare possunt vt aīal & planta, itemque corpus interitus capax, & interitus expers. Quę autem ita affecta sunt, vt alterum sub altero collocetur differētijs & diuidētibus & constituentibus, communicant. Si vtrasq; habent, eo tamen pacto vt quotquot diuidunt inferiora, diuidant superiora, & quotquot constituunt superiora, constituant inferiora, non tamen è contrario dictum est, [si utrasque habent,] quoniam si alterū fuerit summum, nullam constituentem communicabit inferiori, cum nullā habeat. Hoc documento, vt cernis, explicatur habitudo, vt ita dicam, lateralis nō solum inter genera & species, quæ ad idem prędicamentū pertinent, sed etiam inter ea, quę spectant ad diuersa. Quod autē ad uerba attinet, licet Gręcus contextus potius hoc pacto videatur conuertendus, (Eorum quę sunt diuersa genera,) idest, quæ genere differunt vt Argiropylus, & Peryonius transtulerunt, eo

quod

quod Heterogenà melius dicantur genere diuersa, quam genera diuersa. Potius tamẽ dicimus, cum genera diuersa sunt, quia arbitramur Aristo. hoc loco, Heterogenon in hoc sensu accepisse, id quod olim fecit Boetius, nunc autem vir doctus Nicolaus Grophyus Peryonij correptor. Nã cum ea, quę sunt diuersa genere, si proprie loquendum in nullo genere conueniant, atque ita toto differant prędicamento, cur quæso Aristo. (si intellexisset, in primis verbis documenti ea, quæ sunt diuersa genere) statim addidisset, & nõ subalternatim posita? Diximus etiam, [non subalternatim posita,) non autem vt Argyropylus vertit, quorum alterum sub altero non collocatur, quoniam nisi subaudias, (nec vtrumque sub vno eodem,) erit prior pars traditi documenti falsa, vt docuimus. Quare cum vtraque particula in verbis, (non subalternatim posita,) contineatur, satius est si verbo subalternatim cum Boetio utamur, quam illis, quorũ alterum sub altero non collocatur.

Diuersę sunt species.) Hoc est, natura & essentia, quod ideo adiecit Arist. quia genera, quę in diuersis prędicamentis ponuntur, possunt habere differentias nomine easdem, non autem natura & essentia, cuiusmodi sunt, corporeum quod constituit corpus speciem substantiæ, & corporeum, quod cõstituit corpus speciem quantitatis: item rationale, quod diuidit animal, & rationale, quod diuidit scientiam.

CAPVT QVARTVM

De Decem Prædicamentis.



Numquodque eorum, quę nulla cum complexione dicuntur, aut substantiam, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, quando, aut situm, aut habere, aut agere, aut pati significat. Atque substantia quidem est, vt simpliciter dicamus, homo, equus. Quantum autem, vt bicubitum, tricubitum. Quale, vt album, grammaticum. Ad aliquid, vt duplum, dimidium, maius: Vbi, vt in Licio, in foro. Quando, vt heri, nudius tertius. Situm esse, vt recubare, sedere. Habere, vt indutum, armatum esse. Agere, vt secare, vrere. Pati, vt secari, vri. Atqui per se quidem horum singula si dicantur, nullæ sunt affirmationes prorsus aut negationes. At si complexe dicantur, affirmatio fiat aut negatio. Omnis enim affirmatio, aut negatio, aut vera, aut falsa esse videtur. At nullum eorum, quæ incomplexe dicuntur, aut verum est, aut falsum: vt homo, album, currit, vincit.

DIstribuit nunc tandem vocum simplicẽ in decem quasi classes, de quibus singulatim cap. sequenti disserere incipiet; innuit quo loco hic liber inter libros Dialecticæ explicari debeat. Distributio hæc est: vocum omnino simplicium, quędam significãt substantiam, quędam quantitatem, &c. Desumpsit autem Arist. has voces simplices ex priori diuisione capitis secundi; res autem signatas ex posteriori.

Nulla complexione. Addit, nulla, ut excludat omnem complexionem siue perfectæ orationis, siue imperfectę, quod recte annotauit Albertus.

Singula igitur.) Innuit hunc librum explicandum esse, ante libros de Interpretatione, quoniam voces, de quibus in hac tractatione disseritur, non sunt affirmationes aut negationes, sed ex huiusmodi vocibus quasi primis partibus conficiunt oẽs affirmationes aut negationes. Vnde cum ordo naturæ doctrinæq; postulet, vt prius de partibus ex quibus res cõficitur, quam de tota cõpositione disseratur, fit, vt hic liber antecedat lib. de Interpretatione, in quibus de structura affirmationis & negationis præcipue agitur. nõ esse añt voces simplices, quas hic liber pertractat affirmationes, nec negatio-

gationes, hoc modo ostenditur. Oīs affirmatio aut negatio vera vī esse aut falsi; nulla vox simplex est uera aut falsa, nulla igit uox simplex est affirmatio aut negatio. Fieri aūt ex huiusmodi vocibus affirmationes aut negationes, vt perspicuū relinquit.

Vtrum Diuisio uocum simplicium in uoces signantes res eas, quæ ponuntur in Prædicamentis sit bona nec ne.

QVAESTIO PRIMA.

VIdebitur fortasse distributio vocum simplicium in voces signantes res eas, quæ ponuntur in prædicamentis non recte tradita in hoc capite. primo quia omnes differentiæ specierum effectrice, itemq; partes, quæ ipsa componunt aliquod ens per se vt rationale, materia, forma caput, unitas punctum, instans signantur vocibus simplicibus; atqui hæc in nullo prædicamēto ponūtur; Ergo diuisio illa est vitiosa. Secundo, quia Deus signatur voce simplici, vt patet; & tamen in nullo prædicamento ponitur: Ergo mala est diuisio. probatur minor, quoniam si poneretur in aliquo, certe poneretur in prædicamento substantiæ, quod fieri non posse infra ostendimus.

Vt tamen huic quæstioni occurramus, explicandum est, quonam pacto intelligendum sit diuisum huius diuisionis. Diuisum igitur huius diuisionis est vox signans rem, quæ in prædicamento aliquo per se locum habet, in quo octo conditiones requiruntur: tres ex parte vocis quinque ex parte rei signatæ.

Prima conditio est, vt vox sit simplex, vt pote cui ex formali signatione respondeat in mente unicus cōceptus, vt homo, animal. Vnde patet excludi ab hac diuisione omnes uoces complexas. His tamen Aristoteles persæpe vtitur non, quod eas in prædicamentis collocari arbitretur, sed dictionum simplicium penuria coactus.

Secunda conditio est, vt vox sit vna non unitate solius soni, sed etiam signationis: non diximus vt sit vniuoca, ne excluderemus a prædicamentis nomina rerum singularium, quæ quidem uon sunt vniuoca, cum non habeant rationem multis communem. Hinc patet excludi ab hac diuisione omnes voces æquiuocas, quatenus equiuocæ sunt, eo quod nulla earum, quod ad signationem attinet, sit simpliciter vna, sed plures, vt dictum est.

Tertia conditio est, vt modus signādi vocis accommodatus sit rei, quæ signatur, nēpe vt uocabula substantiarum sint concreta, accidentium vero abstracta. Etenim concreta nomina rerum, ex modo signandi accipiuntur pro rebus, quæ per se existunt, vt vox homo, pro hoīe & candidū pro niue ac cygno. Hic autem modus existendi est proprius substantiarum, vt c.2. innuit Arist. & planius docebit c. 5. At vero vocabula abstracta ex suo modo signandi fere non accipiuntur pro rebus, quæ per se existunt saltē proprie, sed pro ijs, quæ in aliquo sunt. Verbi gratia; (cādor) nō accipitur pro (cygno) aut [niue,] quæ proprie per se existunt, sed pro candore ipso, qui non est per se, sed in corpore, [& humanitas,) non accipitur pro (homine,) qui proprie per se existit, sed p (natura hominis,) quæ non proprie dicitur per se existere, sed in homine. Modus autē existendi in aliquo, peculiaris est accidentibus, quorū proprium est esse in subiecto, vt docuit Arist. c. 2. Dictum est nomina abstracta fere non accipi pro rebus, quę per se existunt, quia pauca sunt, quæ ita accipiantur, (intelligentia) pro Angelis (& sapientia.) pro Deo Opt. Max. Ex hac conditione possunt excludi a diuisione huius quæstionis, omnia uocabula abstracta substantiarū, & concreta accidentium. Hæc enim ad primariam prædicamentorum constitutionem non pertinent. Nec obstat quod Aristotel. vtatur hoc loco concretis accidentium hominibus, quia vsurpat concreta pro abstractis, vt sæpe alibi.

Quarta conditio est, vt id, quod signatur voce simplici sit ens. Vt aūt intelligas, quo pacto ens accipiendū sit, aduerte nomen entis, duobus modis accipi posse; Vno, vt idem valet, quod existere, Altero, vt signat idem quod habens essentiam, hoc est, potens existere, siue id necessario existat per essentiam suā, quo pacto Deus solus est ens, siue contingenter, & per existentiā additam suæ essētię, quo pacto reliqua dñr entia. Ens priori modo acceptū est participiū uerbi, (sum) qd' idē ualet, atq; existo, appellaturq (ens existen-

existentiæ, posteriori vero modo acceptum est nomen,& dicitur[ens essentiæ. Cum ergo dicimus hoc loco id, quod signatur voce quæ distribuitur in hoc cap. oportere esse ens, intelligendum est nomine entis [ens] posteriori non priori modo sumptum, seu, vt dici solet,[ens essentiæ,] non existentiæ. Deniq; accipiendum est,vt distinguitur ab existentia, & a quocunque alio modo entis. Vnde patet excludi ab hac diuisione, primum quidem omnes negationes cuius modi sunt, [non homo cæcitas,] & similia; quia negationes vt negationes sunt, nullo modo sunt entia,sed non entia: Deinde vero ipsam existētiā,quia nō est[ens essentia, vt patet ex dictis. Quo fit vt merito Diuus Tho.de potentia, quæst.5.artic.4. Metaph. lect.2. & alibi sæpe dicat, existentiam non poni per se in prædicamentis, sed ad prædicamenta modo aliquo reuocari, nimirum ad prædicamentum eius entis, cuius est existentia, vt late explicant Capreolus 8.dist.1.sententiarum, quæst.2. Caietanus cap. 5. lib.i de ente & essentia, & Paulus Sonsinas 4 Metaph.quæst.12. Id quod etiā fere ab omnibus, qui rem hanc diligentius persequuntur,dici solet.

Quinta conditio est,vt id quod signatur sit ens per se Ens autem per se est id, quod simpliciter est vnum quid, vniusve naturę,vt[homo,cādor materia forma, punctus, instans.] Horum enim vnumquodque est simpliciter vnum quid.Vnde patet,excludi ab hac diuisione, omni entia per accidens. Nam ens per accidens opponitur enti per se:cum non sit aliud, quam quod est simpliciter multa, & quodammodo vnum,hoc est multa non constituentia vnam essentiam, [vt nauis,exercitus Respub.] Etenim nauis simpliciter multæ tabulæ, coniunctæ ad nauigandum. Exercitus autem simpliciter multi homines certo quodam ordine dispositi ad bellum inferendum,& sic res habet in cæteris.

Sexta conditio est, vt id quod signatur sit ens reale. Hac conditione excluduntur ab hac diuisione omnia entia rationis & commentitia. Quid autem intersit inter entia realia,rationis, & commentitia, apud Porphyrium diximus.

Septima conditio est, vt id, quod signatur sit res finita. Nomine rei finitæ eam intellige, cuius essentiæ perfectio certis finibus & quasi limitibus continetur, seu quo perfectius aliquid cogitari potest, cuiusmodi sunt omnia infra Deum; vt homo angelus &c. Etiam si possint aliqui esse infinita duratione,vt cœlum;siue intensione, vt cādor. Atque hinc patet solutio secundi argumenti. Hac enim conditione relinquitur Deus Opt. Max. extra hanc diuisionem, vt qui infinitate perfectionis suæ, in nullo genere rerum comprehendi possit, vt alibi ostenditur.

Octaua conditio est, vt id ꝙ signatur sit ens completum, ꝙ duo complectitur genera.S i.n.sit res singularis,ens completū erit, quod non pertinet ad cōstitutionem vllius entis per se,vt Socrates,hic candor. Hæc.n. nullum ens per se,vniusue naturæ aut essentiæ constituunt. Si vero sit res cōmunis,ens completum erit id, quod prædicatur in q̄stione [quid est] de ente singulari cōpleto, vt[homo & animal]de Socrate,&[cādor ac color]de hoc candore. Vtrumq; vero genus completorum entium intelligendum est in hac extrema conditione, quia si completa prioris generis ponuntur per se in prædicamētis,cum illa sint indiuidua, ex quibus solis prædicamentum non cōstituitur, necesse est, vt etiam posterioris generis cōpleta ponantur, quæ sunt genera & species. Vnde intelliges excludi ab hac diuisione omnes partes entium per se tam integrantes, quam essentiales physico more componentes, omnes iam differentias vniuersales & induiduantes, [punctum,instans] & mutatum esse,quæ partes formales lineæ,temporis & motus esse dicuntur. Hinc colligitur solutio primi argumenti initio propositi.

Patet igitur quonam pacto intelligendum sit quod diuiditur hoc capite. Diuiditur enim vox vna simplex accommodata ad rei naturam, signans id,quod est ens per se,reale,finitum & completum.

Sintne decem tantum Prædicamenta, quæ Aristoteles hoc capite recensuit.

QVAESTIO SECVNDA.

QVod plura sint prædicamenta quam decem, sic licet primo ostendere. Aristot. 1. Top.lib.cap.7.existimat omnia,

omnia, quæ quoquo modo esse aut fingi possunt, poni in categorijs, sed entia commentitia, rerum differentiæ, & vt semel dicam, entia incompleta non ponuntur in aliqua Categoria, quas Aristot. numerauit, vt ex præcedenti quæst. colligi potest: Ergo præter eas aliæ Categoriæ constituendæ sunt. Secūdo entia rationis sic sunt inter se affecta vt alia sint genera, alia species, alia indiuidua; efficiunt igitur, Categoriam, quæ nulla erit ex decem numeratis.

Dicendum est tamen cum Aristo. decem tantum esse prædicamenta, quod ratione quadam dialectica confirmari solet: quam vt melius intelligas, aduerte, distinctionem prædicamentorum sumendam esse ex ordine ad primum subiectum, quod est prima substantia alio tamen modo apud Metaphysicum, alio apud dialecticum. Nam apud metaphysicum sumenda est ex varijs modis essendi, in prima substantia: apud dialecticū vero ex varijs modis predicandi de eadem. Hinc fit vt argumentum, quo numerus prædicamentorum Logice confirmatur, non soleat duci ex ratione essendi, sed prædicandi; ducitur autem hoc pacto: tot sunt prædicamenta, quot sunt modi prædicandi de primis substantijs, decem autem sunt modi prædicandi de primis substantijs; Ergo decem sunt prædicamenta: Maior propositio patet ex dictis. Minor & inductione & ratiocinatione probatur. Inductione quidem hoc pacto. Eorum, quæ ponuntur in prædicamentis alia prædicantur de primis substantijs in quæstione quid est, quæ quidem sunt substantiæ; alia in quæstione quātum est, quæ sunt quantitates; alia in quæstione quale est: pressè ac proprie accepta, quæ sunt qualitates; alia in quæstione ad quid refertur, quæ sunt relationes; alia in quæstione quid agit, quæ sunt actiones: alia in quæstione quid patitur, quæ sunt passiones, alia in quæstione vbi est, quæ sunt loca, alia in quæstione quo positum est, quæ sunt varij situs positionesve, alia in quæstione, qua tempus quæritur, vt qua ætate fuit, quæ quidem sunt varia tempora, alia in quæstione habitus, vt quo pacto Socrates sit indutus, ornatus aut armatus, quæ sunt varij habitus, nec sese offert alius prædicationis modus. Decem sunt igitur modi prædicandi de primis substantijs vtpote Substantiæ, Quantitatis, Qualitatis, Relationis, Actionis, Passionis, Loci, Situs, Temporis & Habitus. Ratiocinatione hoc fere modo probatur a D. Thoma 5. lib. Metaphys. lect 9. & expressius 3. phy. lect 5. Quicquid prædicatur de prima substantia vno è tribus modis de ea dicitur, aut enim pertinet ad eius essentiam: aut nō pertinet quidem, sed tamen inhæret ei, aut nec pertinet ad eius essentiam, neq; inhæret ei, sed solum extrinsecus denominat. Si pertinet ad essentiam primæ substantiæ, est substantia, si non pertinet ad essentiam eius, sed tamen inhæret ei, aut conuenit ei absolute, aut cō parate: Si absolute, aut sequitur materiam aut formam, si materiam, est quantitas, si formam qualitas; si vero comparate est relatio. quod si nec pertinet ad essentiam eius, neque inhæret ei, sed solum extrinsecus denominat, aut denominat illam ratione principij actiui a quo acta procedit, aut rōne termini, hoc est, potentiæ, vt ita dicam, receptiuę, quæ actu recipitur, aut neutrius rōne: Si ratione principij actiui est actio, quo pacto acquisitio caloris, qui ab igne producitur, denominat ignem agentem, quia in igne est vis agendi, a qua actu procedit calor: si rōne termini, seu potentiæ receptiuę est passio. quo pacto eadem caloris acquisitio præbet ligno, a quo recipitur, nomen & rationem patientis, quia in ipso est vis, seu potestas, qua actu calor accipitur. Si vero id, quod extrinsecus denominat nec rōne principij, nec ratione termini denominat substantiam primam, aut denominat illam vt mensura aut aliter; Sicut mensura, aut vt mensura magnitudinis, aut durationis: Si vt mensura magnitudinis est locus, si modo nulla ordinis partium in loco ratio habeat. Quod si huiusmodi ordinis habeatur rō, erit situs, sicut mensura durationis est tempus. Deniq; si non denominat vt mensura est habitus, quo pacto homines a pileo dicuntur pileati, a veste vestiti, ab armis armati, & sic a cæt. Hæc fere est probatio D. Thomæ, sumpta a varijs modis prædicandi, quę tamen, si recte attendis, modos etiam essendi quodammodo attingit.

Si quis aūt in hac argumentatione quærat, quo pacto sit illud, quantitatē sequi materiam, & qualitatē sequi formam, vtrūve, quia sola quātitas inhærat in materia, & sola qualitas in forma, an vero, quia quātitas profluat a materia, qualitas a forma: neu-

tra

tra pars danda erit. Neutra enim de causa hæc distinctio vsurpatur: cũ apertissimũ sit, multas esse qualitates, quæ in materia inhę reant, vt sunt calor & frigus, nec ipsa quan titas, a materia profluat, sed ab essentia sub stantiæ corporeæ; Dicendum est igitur hũc loquendi morem, idcirco vsurpari a philosophis, quia quantitas solis rebus materia constantibus conuenit, qualitas vero & formis existentibus extra materiam) vt pore angelis & animæ humanæ) ex his rebus om nibus, quæ forma constant, quales sunt, homo, lapis & cæteræ res naturales.

Si quis etiã quærat, qua ratione dicatur passio extrinsecus denominare substantiam quæ patitur, cum oĩs passio videatur inesse in re quæ patitur, id quod affirmet Aris.& oẽs philosophi. Respondendnm est, alijs ex positionibus hoc loco prætermissis passionem, qua passio est, non includere in sua ratione, quod inhæreat in patiente, sed quod tñ recipiatur ab eo reali coniunctione, siue per veram inhęrẽtiam, siue per modum inhærentię: Nam cum quis mouetur loco, patitur ille quidem & aliquid recipit quasi formam reali coniunctione, sed tñ nouus lo cus quem recipit in eo non inhæret vera in hærentia, sed quasi inhæret. Quia igitur passio, qua ratione passio est, non includit in sua ratione verã inhęrentiam in re, quæ patitur, idcirco ea numeratur a D. Thoma, in his, quę extrinsecus denominant, quasi cui non repugnat secundum cõem rationẽ passionis non inhærere vera inhęrentia, in re, quę patitur. Quod aũt Aristo.& cęteri philosophi affirmant, oẽm passionem inesse in re, quę patitur, non aliter intelligẽdum est, quam vt modo exposuimus, aut uera sci licet inhærentia, aut coniunctione aliqua reali. Restat vt argumentis initio propositis rñdeamus. Ad primum dicendum est, Aris. sic intelligendum esse, oĩa, quę quoquo mo do esse aut fingi possunt, modo aliquo poni in prędicamentis, aut per se, aut reductitie excepto tamen Deo, qui ꝑ infinitam perfectionem essentiæ suæ, nec per se, nec reductitie in prædicamentis poni debet. Itaque eo vno excepto, cætera oĩa aut ꝑ se, aut reductitie ponuntur in prædicamentis, per se quidem ea quibus competunt 8. illæ con ditiones supra positæ: Reductitiæ autem re liqua omnia, quibus aliqua dicitur esse conditio. Quapropter vt omnia generatim percurramus, æquiuoca reuocantur ad prædicamenta per vniuoca, & per alia, non æquiuoca, quæ complectuntur: complexa per simplicia ex quibus constant: concreta accidentium per abstracta: & abstracta substantiarum per concreta; priuationes & quæuis aliæ negationes, per ea quorum sunt ne gationes: existentię per essentias, quarum sunt existentię: entia per accidẽs, per entia per se; entia conficta, per entia vera: Ex quibus finguntur composita: entia incompleta per ea, quę sunt completa: denique entia rationis, per entia realia, in quibus fundantur. Ex his patet solutio ad secundum.

CAPVT QVINTVM
DE SVBSTANTIA.



Vbstãtia autem, quæ propriÿssimeq; & primo maxime substãtia di citur, ea nimirum est, quæ neque de subiecto vllo dicitur, neque in vllo est prorsus subiecto: vt aliquis homo, vel aliquis equus. Secũ dę vero substantiæ dicũtur, & eæ species, in quibus eæ, quæ primo dicuntur substantię insunt: & harũ specierũ etiã genera; ceu in hoĩe qdã est vt specie, quidã hõ: genus aũt huiusce speciei aĩal est. Secundę igitur hę di cuntur substantiæ, vt homo ac animal. Patet aũt ex dictis, nomen eorũ quæ de subiecto dicuntur, rationemq; de subiecto necessario prædicari, vt homo de aliquo homine dicitur vt de subiecto; atq; nomẽ de hoc prædicatur, vt patet; hoĩem.n. de quo

dam hoĩe prædicabis, & rõ ẽt hoĩs, de quodam homine prædicabitur. Quidã enim homo & homo est, & etiam animal: quare de subiecto tam nomen, quam ratio prædicabitur. Eorum vero quæ in subiecto sunt, in plurimis quidem neque nomen, neq; rõ prędicabitur de subiecto: in aliquibus aũt nomen quidẽ nihil probibet de subiecto prædicari interdum, rationem vero est impossibile; vt album cum in subiecto sit corpore, prædicatur de subiecto: dicitur enim corpus albũ; ratio vero albi de corpore, nunquam prędicabitur. Alia uero omnia, aut de subiectis dicuntur primis substantijs, aut in subiectis eis sunt. Hoc aũt manifestum singula depromenti fuerit, vt animal de homine prędicatur: ergo & de quodã homine prędicabitur: nam si de nullo quorundam hominum, neq; oĩno de homine. Rursus calor in corpore est, ergo & in quodam corpore; nam si non in aliquo singulorum corporum est, nec omnino in corpore; quare alia omnia, aut de subiectis primis dicuntur substantijs, aut in subiectis eis sunt. Non existentibus igitur primis substantijs, aliquid aliorum esse impossibile est. Omnia enim alia, aut prędicantur de eis, aut in subiectis eis insunt. Quæ non existentibus primis substantijs, aliquid aliorum esse est impossibile. Secundarum vero substantiarum, magis substantia est species, quam genus; propinquior enim primæ est substantiæ. Si quis enim prima substantia quid sit, edat, euidentius conuenientiusque reddiderit, si speciem, quam genus reddat; vt hominem quendam manifestius assignabit, hominem potius quam animal assignans. Illud enim proprium magis cuiusdam hominis, hoc autem communius. Et cum quandam arborem assignauerit, manifestius assignabit, arborem assignando, quam plantam. Præterea primæ substantiæ, ideo quod alijs omnibus subijciuntur, & omnia alia de ipsis, vel prædicantur, vel in ipsis sunt, ea gratia primæ substantiæ maxime dicuntur. Vt autem primæ substantiæ ad omnia se habent cætera, ita se species ad genus habet; subijcitur enim species generi; genera enim de speciebus prædicantur: species autem cum generibus non conuertuntur. Quare & ex his species genere substantia magis est. Ipsarum vero specierum quæcunque genera non sunt, altera magis altera substantia nulla est. Nihilo enim accommodatius assignabis de quodam homine, hominem assignando quam de quodam equo equum. Similiter autem & in primis substantijs nulla altera magis altera substantia. Nihilo enim magis quidam homo substantia est, quam bos quidam. Merito igitur primas substantias, solæ aliorũ species generaque secundæ substantiæ dicuntur. Sola enim hęc eorũ, quæ prædicantur, primam substantiam indicant; quendam enim hominem si quis edisserat quid sit, speciem quam genus accommodatius demonstrabit, & manifestius quid sit faciet, hominem quam animal attribuendo. Aliorum vero omnium quicquid attribuat quis, tribuet extranee; velut album, aut currit, aut aliud quodcunque huiusmodi depromẽdo, eo quod alijs omnibus subijciuntur, & omnia alia de illis vel prædicantur, vel in ipsis sunt, proprijssime dicuntur substantiæ. Sicut autem primę substantiæ ad omnia se habent cætera, ita genera, & species primarum substantiarum ad reliqua oĩa se habent de his enim reliqua omnia prædicantur; quendã enim hominem dices Grammaticum, esse ergo & hominem, & animal Grammaticũ dices esse; similiter & in alijs. Cõe a omni substantiæ est, in subiecto non esse. Prima namque substantia, nec in subiecto est, nec de subiecto aliquo dicitur. Secundarum vero sub-

ubstantiarum constat quidem etiam sic, in subiecto nullam esse: homo enim de subiecto quidem homine quodam dicitur, in subiecto vero nullo est, neque enim in quodam homine homo est, Similiter autem & animal de subiecto quidem dicitur quodam homine, non etiam, animal in quodam homine. Præterea eorum, quæ in subiecto sunt, nomen quidem de subiecto prędicari interdum nihil prohibet: rationem vero est impossibile. Secundarum vero substantiarum de subiecto & ratio & nomen prædicatur; rationem enim hominis de quodam homine prædicabis, & animalis similiter: quare non erit eorum substantia, quæ sunt in subiecto. Nam est autem proprium substantiæ hoc: quippe & differentia eorum est, quę in subiecto non sunt bipes enim, & gressibile de subiecto quidem homine quodam dicitur, in subiecto vero est nullo: neque enim in homine bipes est, neque gressibile. Ratio quoque differentiæ de illo prædicatur, de quocunque ipsa differentia dicitur: vel ei si gressibile de homine prędicatur, & ratio gressibilis de homine prædicabitur, est enim homo gressibilis. Neque vero nos substantiarum partes conturbent, quę ita in toto sunt, quasi in subiecto sint, ne forte eas non esse substantias fateri cogamur. Non enim sic in subiecto quippiam esse; quemadmodum partem esse dicitur. Inest autem substantijs differentijsque omnes vniuoce vt prædicentur. Omnia enim, quæ ab his prædicata sumuntur, aut de indiuiduis, aut de speciebus prędicantur. A prima namque substantia, prædicatio nulla est: de nullo enim subiecto dicitur. Secundarum vero substantiarum species quidem de indiuiduo prædicatur, genus autem & de specie prędicatur, & de indiuiduo. Similiter autem & differentię & de speciebus & indiuiduis prædicantur. Iam vero & rationem primæ substantię specierum generumque suscipiunt & species generis, quæcunque enim de prædicato dicuntur, eadem & subiecto dicentur. Similiter autem rationem differentiarum suscipiunt species & indiuidua. Vniuoca autem sunt, quorum & nomen commune est & ratio eadem, quare omnia, quæ a substantijs, differentijsque sunt, vniuoce prędicantur. Omnis autem substantia hoc aliquid significare videtur, in primis igitur substantijs indubitabile id, vtrumque est, hoc aliquid ipsas significare. Indiuiduum enim vnumque numero est, quod significatur. In secundis vero substantijs, similiter quidem propter appellationis figuram hoc aliquid significare videtur, cum quis aut hominem, aut animal dixerit, non tamen est verum, sed quale quid potius significat, non est enim vnum ipsum subiectum, vt ipsa substantia prima, sed de pluribus ipse homo & animal dicitur, verum quale quid absolute significat, perinde ac album, nihil enim aliud album, quam quale significat. At species & genus circa substantiam quale ipsum definiunt, qualem enim quandam substantiam sane significant. Genere tamen amplior definitio, quam specie fieri solet, qui namque animal dicit, is plura complectitur, quam ijs qui hominem dicit. Competit pręterea substantijs, & nihil ipsis contrarium esse. Primę namque substantiæ, vt alicui homini, aut alicui animali, quidnam contrarium fuerit? nihil enim prorsus his aduersatur. At neque ipsi homini, vel animali contrarium quicquam esse videtur. Non tamen hoc substātię proprium est: & alijs enim competit; vt quantitati: bicubito enim aut tribucito nihil contrarium esse videtur, neque ipsis decem, neque talium cuique quicquam aduersatur. Nisi quispiam multum pauco, aut magnum paruo dixerit esse contrarium;

rium,attamen nihil eorum,quæ definita sunt quantitatis,cuiquam prorsus aduersari videtur. At vero substantia non suscipere gradus videtur, vt sit magis minus vè talis. Atque non dico substantiam substantia non magis substantiam esse, hoc iam diximus ita esse,sed quanquam substantiam, idipsum quod est, non dici magis ac minus esse, veluti si substantia eadem homo sit, non est magis ac minus aut seipso aut alio homo: non enim alius alio magis homo est, perinde atque album aliud alio magis ac minus est album, corpus enim album magis album nunc quam prius,& calidum magis nunc calidum ac minus: dicitur esse.substantia vero non magis dicitur,neque minus,neque homo magis nunc homo quam prius dicitur eße,neque cęterorum quicquam omnino,quæ substantię subeunt rationem. Quare patet, substantiam gradus suscipere non posse,vt magis sit vnquam id quod est,atque minus. Maximè vero substantiæ proprium hoc esse videtur,idem inquam,vnumque numero permanens contrariorum esse susceptiuum:quale nihil in ijs,quæ substantię non subeunt rationem,proferre possis, quod vnum numero cum sit, recipere in se simul contraria possit, vt color vnus idemque numero, albus idem ac niger:negotium vè idem numero,bonum malumque vt dicatur,ac in cæteris similiter, quæcunque substantia non sunt. Substantia autem vna eademque numero contrariorum est susceptiua,veluti quidam homo vnus ac idem interdum fit albus,interdum niger,& calidus atque frigidius, & vitiosus: ad alia vero nulla ipsum accõmodari videtur. Nisi fortasse quispiam instaret, orationem, opinionemque dicens contrariorum esse susceptiuas.Eadem enim oratio vera falsaque esse videtur, nam si vera est hęc oratio,quempiam inquam sedere,si ille surgat,eadem hæc oratio falsa erit. Idem & in opinione fieri videtur, nam si quispiam vere opinatur quempiam sedere, si surgat ille falso nimirũ opinabitur,qui de illo eandẽ habet opinionẽ. Enim verò si quispiã, & eis illud accommodatum duxerit esse in modo.tamen habebit vtrique differentiam,substantiæ enim ipse sui mutatione,contrariorum sunt susceptrices,sit fit,enim ex calido quippiam frigidum,mutatur sanè: alteratur enim vt patet: & similiter si nigrum ex albo fit,& studiosũ è vitioso,& in cæteris simili modo, vnumquid que mutationem suscipiens,contrariorum est susceptiuum,In oratione vero atque opinione non ita fit,sed ipsæ quidem immobiles penitus manent: si res autem moueatur, ibi tum euadunt circa eas contraria,oratio namque eadem manet,quempiam inquã sedere. Re autem mota, interdum vero interdum falsa fit, eadem circa opinionem etiam fiunt. Quare saltem hoc quidẽ modo substantię proprium erit, ipsam sui mutatione susceptricem contrariorum esse. Quod si quispiã & hoc acceptet, opinionẽ vt putet, orationem vè susceptiuas contrariorum esse, sciat idipsum verũ non esse. Oratio namque opinio vè, non quia suscipiunt aliquid, ideo susceptiua contrariorũ eße dicuntur: Sed quia circa quippiam aliud accidit aliquid.Ex eo namq; vera vel falsa oratio,ac opinio dicitur esse,q. res ipsa est aut nõ est: nõ q. ipsæ cõtrariorũ sũt susceptiuę. Simpliciter,n.a nulla re prorsus aut oratio,aut opinio mouetur,quare non erũt susceptiua pfecto cõtrariorũ,si passio in ipsis nulla efficiatur. At substãtia hoc susceptiua cõtrariorũ dicitur eße, q contraria suscipit. Atq; vnũquodq; taliũ ipsa suscipiẽs,susceptrix cõtrariorũ dicitur eße. Quare subę pprium erit,ipsũ vnũ, idẽq numero pmanẽtẽ,mutatione sui susceptricẽ esse cõtrariorũ. Sed de suba qdẽ hactenus

ABsoluta prima lib. parte aggreditur Aristot. secundam, præcipuamque, in qua singulatim de Prædicamentis præcipuis differit. Exorditur autem a substantia, quia substantia est primum genus rerum, cuius respectu, (vt ipse 4 Metaph. lib. ait) cætera omnia quæ qualemcumq; essendi rationem participant dicuntur essentia, itemque, quia reliquo omnia huic quasi fundamento incumbunt: quo proinde sublato, illa consistere non possunt, vt hoc eodem ca. docet. Complectitur autem hoc caput duas partes præcipuas. In priori explicantur ea, quæ per se in hoc prædicamento ponuntur, moxque inter se comparantur. In posteriori traduntur quædam eorundem proprietates.

Substantiæ autem quæ) quasi præmissa diuisione substantiæ in primam & secundam, definit priori loco primam, eo, quod hæc vt ipse ait, propriè in primis & maximè substantia dicatur. Vt autem intelligas cur Aristo. ijs verbis primam substantiam signauerit, animaduerte, substantie vocabulum quatuor modis accipi solere; Vno pro cuiuslibet rei essentia, quam signationem explicat Aristo. 5. Metaphy. cap. 8. cum ait Substantiæ nomine inter alias signari quidditatem, cuiuslibet rei etiam non substantiæ, vt exponit Alexander. Alter pro substantia, qua ratione ab accidentibus distinguitur, etsi nõ sit substantia cõpleta, quo pacto Aristo. hoc ipso cap. & alibi sæpè, vt ca. 7. huius lib. & 1. Phys. 3. & 6. & alijs locis compluribus vocat substantias entia omnia realia, quæ non sunt in subiecto, etsi completa non sint, vt caput, manum, materiam, & formam. Tertio, pro substantia completa, quæ per se ponitur in hoc prædicamento: siue sit singularis, quæ vocat prima siue accidentalis, quæ dicitur secunda, quo pacto substantiæ vocabulum in primam & secundam diuiditur ab Aristot. & fermè in toto cap. vsurpatur. Quarto, pro sola indiuidua substantia, quæ per se in hoc prædicamento ponitur, vt pro Socrate & Platone: quo pacto accipitur ab Arist. 7. Metaph. cap. 1. vbi ait genera, & species substantiarum non esse substantias & hoc loco vocatur prima substantia. Admonendum est etiam primam substantiæ significationem late admodum patere: secũdam vero esse propriam: tertiam magis propriam, extremam maxime propriam. Nam substantia proprie est ens per se existens, seu non in alio. Ex his autem quæ non sunt in alio, magis propriè dicuntur per se existere ea, quæ sunt completa, quam quæ sunt incompleta. Ex completis denique multo verius adhuc dicentur existere per se, quæ sunt indiuidua, quandoquidem indiuidua non existunt per inferiora quemadmodum ea quæ sunt accidentalia, sed immediate per se ipsa.

Quæ cum ita sunt, perspicuum relinquitur, merito Aristo. appellasse primam substantiam proprijssime substantiam, eo quod hæc sola inter substantias creaturarum verissime dici possit habere esse se, & non in alio. Reliqua duo uerba primo ac maxime idem videntur valere ac proprijssime, nec alia de causa adiecta esse, nisi vt magis commendaretur primarum substantiarum dignitas & præstantia, aut certe explicationis causa.

Quæ neque de subiecto] Prima substantia, inquit, est quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est. In qua definitione loco generis non est intelligenda substantia, quæ in primam & secundam diuiditur: Sic enim superuacanea esset pars illa definitionis, [nec in subiecto est] cum omni propriè dictæ conueniat, nõ esse in subiecto, sed intelligendum est, ens, quod c. 2. posteriori diuisione distributum fuit in ea, quæ dicuntur de subiecto &c. Vtpote ens per se reale, finitum & completum, vt supra dictum est; quod alij vno verbo prædicamentale vocant. Quo fit, vt per hanc definitionis partem excludantur omnia entia, quæ talia non sunt atque ita omnes doctrinæ substantiales & omnes partes Physicæ aut integrantes substantiarum, quia nihil horum est ens completum. cum vero additur neque de subiecto vllo dicitur, hoc est, de nulla parte subiecta prædicatur essentialiter, excluduntur omnia entia completa vniuersalia, quæ sub ente pro genere posito comprehenduntur, vtpote accidentia vniuersalia & secundæ substantiæ. Cum autem adiungitur [nec in subiecto vllo est,] excluduntur accidentia singularia.

Secundæ vero substantiæ] In hac definitione secundarum substantiarum collocandum est pro genere illud idem, quod in superiori definitione ponendum esse diximus

mus, vt sic exponatur tota definitio: Secundæ substantiæ sunt entia prædicamentalia, quæ sunt species aut genera, in quibus primæ substantiæ insunt, hoc est, quibus primæ substantiæ essentiali prædicatione subijciuntur, vt homo atque animal; per entia prædicamentalia, quia subintelligenda esse diximus, excluduntur ea omnia, quæ per genus superioris definitionis reiecta sunt. Per secundam vero definitionis partem reijciuntur omnia singularia entia, quæ in prima parte continentur, nempe singularia accidentia & singulares substantiæ quas primas appellauimus. Per tertiam denique excluduntur accidentia vniuersalia, quia ijs non subijciuntur primæ substantiæ essentiali prædicatione, si vis hanc definitionem ad numerum singularem traducere dicito; Secundam substantiam esse ens prædicamentale, quod est species, aut genus, in quo inest prima substantia.

Manifestum autem] Vt planius intelligantur, simulque aperiatur via ad comparandas primas substantias cum secundis, & vtraque inter se, docet hoc loco, quid intersit interdici de subiecto & esse in subiecto. Quod vt intelligas aduerte, id prædicari nomine de aliquo; cuius nomen illi attribuitur, siue tale nomen significet aliquid essentiale rei, cui attribuitur, siue accidentarium, quo pacto prædicatur de homine, non solum animal rationis particeps & cætera pertinentia ad eius essentiam sed etiam album, grammaticum & cætera accidentia: id autem prædicari ratione cuius ratio obiectiua siue essentia nomine signata pertinet ad rationem obiectiuam, siue essentiam subiecti, quo pacto genera & differentiæ prædicantur de speciebus, & indiuiduis. Discrimen ergo, quod Aristo. tradit inter ea, quæ dicuntur de subiecto, & ea, quæ sunt in subiecto, est, quod ea, quæ de subiecto dicuntur, prædicantur nomine & ratione de substantijs, at vero id, quod est in aliquo vt in subiecto, ita se habent, vt si abstracte sumatur, nec nomine nec ratione de eo dicatur. hoc est, de substantia. Atque hoc est, quod ait, in plurimis quidem nec nomen nec ratio prædicabitur de subiecto. Si vero sumatur concrete, vt si dicas candidum, grammaticum, potest illa quidem prędicari nomine, verũ ratione nequaquam. Dicimus enim cygnum esse candidum, & Aristarchum grammaticum; cæterum ratio & essentia candidi aut grammatici non pertinet ad essentiam cygni & Aristarchi, etsi accidentaria prædicatione, de illis prædicantur. Hoc autem significat Arist. cum ait, in aliquibus [autem nihil prohibet de subiecto prædicari interdum ratione vero est impossibile.] Dixit antẽ, [nihil prohibet] quia quædam accidentia non habent concreta nomina, quæquidem sint vsurpata, vt linea & alia huiusmodi. Cæterum nihil obstat, quo minus concretis nominibus prædicentur, si illa fingantur, vt si dicas, lineatum, virtuosum, quod tamen vsus non fert. Videtur etiam Aristote. addedisse hæc verba, propter quædam accidentia, quæ non possent denominare substantiam, qualia sunt inhærens, disponens, (ut de dispositionibus dicitur) & alia huiusmodi. Hæc enim etsi habeant nomina concreta vsurpata, nunquam tamen dicuntur nomina proprio de subiecto, quod est substantia.

Alia vero omnia.] Iam comparat primas substantias cum secundis, docetque primas esse maxime substantias, id quod hac ratione probat. Cætera omnia, quæ in prædicamentis ponuntur, aut dicuntur de primis substantijs, ut de subiectis, aut in eis, ut in subiectis inhærent; (hoc a nobis infra probabitur.) Ergo primę substantię sunt maxime substantię. Conclusio hęc non ponitur in hac parte contextus, sed tamen in sequentibus plane supponitur ex hoc antecedente. Consequentia perspicua est, quia si primę substantię cęteris omnibus tam substantijs, quam accidentibus subijciuntur, non dubium est quin maxime substent, si autem maxime substant perspicuum est, eas esse maxime substantias. Admonẽdum est tamen primas substantias non ideo esse maxime substantias, quia maxime substant sed quia sunt maxime substantiæ, idcirco maxime substare. Nam substantiæ ratio nõ consistit in substando alijs, sed in per se existendo, ex signo ergo & effectu potius, quã ex propria ratione substantiæ colligit hoc loco Aristo. primas substantias esse maxime substantias, quæ postea planius intelliges. Si quis uero obijciat scientias, & uirtutes esse in anima, ut in subiecto: animam uero non esse primam substantiam: Ergo non omnia accidentia inhærere in primis substantijs:

stantijs: neganda est consequentia, quia quod inhæret parti, dicitur etiam inhærere toti. Quod si adhuc vrgeat, dicens non semper animam esse in homine, & proinde tum saltem, cum illa a corpore separata est, accidétia, quæ in ipsa existunt non esse in prima substantia. Dicito etiam eiusmodi accidentia apta esse, vt sint in prima substantia, quatenus scilicet sunt in parte, quæ apta est, esse in toto: hic autem non esse sermonem de actu solo: sed de actu & aptitudine.

Hoc autem manifestum singula depromenti fuerit] Probat vtramq; partem Aris. priorem hoc pacto: animal prædicatur de homine, vt de subiecto; Ergo & de aliquo ex singulis hominibus, vt de Socrate, aut Platone eodem modo prędicatur. Nam si de nullo ex singulis hominibus dicitur vt de subiecto: Ergo nec de homine dicetur, vt de subiecto. Id quod de cęteris generibus substantiarum eadem ratione vult esse concludendum. Supponit enim tanquam perspicuum, vt Ammon. annotauit, species infimas dici de primis substantijs, vt de Socrate, aut platone, vt de subiectis. Posteriorem hoc modo. Color est in corpore, vt in subiecto inhæsionis: Ergo & in aliquo ex singulis corporibus. Nam si in nullo ex singulis corporibus hoc modo sit, nec in corpore erit, vt in subiecto inhæsionis, id quod de cæteris accidentibus realibus, quæ in secundis substantijs inhærent, eadem ratione colligendum esse innuit.

At dicat aliquis, a prędicato superiori ad inferius, aut Dialectici dicunt, affirmando non licet argumentari: perperam igitur colligit Aristote. animal dici de aliquo ex singulis hominibus, quia dicitur de homine, qui singulis hominibus, superior est, aut colorem esse in aliquo ex singulis corporibus, quia est in corpore, quod superius est. Item ab inferiori ad superius negando non licet argumentari, vt etiam Dialectici affirmant; Ergo non recte colligit Aristot. animal si non dicitur de singulis hominibus, non etiam dici de homine; aut colorem non esse in corpore, vt in subiecto, si in nullo est ex singulis, corporibus. Ad hoc argumentum dicendum est, vitiosam esse argumentationem a prędicato superiori ad inferius affirmando, quando proceditur a prędicato superiori non distributo ad aliquo singulare certum, vt si dicas, album dici de homine: Ergo & de hoc homine, esse autem firmum, cum proceditur a superiori prædicato distributo. ut Aristot. fecit. Sic enim argumentatus fuit; animal prædicatur de homine, vt de subiecto, hoc est, essétialiter aut vniuersaliter (vt tertio c. exposuimus.) Ergo de aliquo ex singulis hominibus, imo etiam firmam esse, cum proceditur a prædicato superiori non distributo ad aliquod singulare sub disiunctione, vt si dicas, album dicitur de homine; Ergo de hoc singulari homine, aut de illo, & sic de cęteris. Eodem modo dicendum est, vitiosam esse argumentationem cum negando proceditur ab inferiori determinato ad superius, vt si dicas: color non est in Socrate: Ergo non est in homine; esse autem firmã, si ab omnibus inferioribus sufficienter numeratis ad superius negãdo progrediamur vt Arist. fecit sic enim est argumentatus: si animal de nullo ex singulis hominibus prædicãtur, nec ẽt de hic; & si in nullo ex singulis corporibus est color nec erit in corpore.

Non existẽtibus igitur) Colligit ex proximè dictis hoc corolariũ, sublatis oĩbus primis substantijs. nullam secundã substantiã, nullumq; accidens posse remanere, quo loco duo sunt admonenda, alterũ est, illud esse intelligendũ, qñ primæ substantiæ ita auferuntur, vt neq; earum partes supersint. Alterum est, Aris. loqui de substantijs & accidẽtib. quatenus in rebus existunt, quis in mente manere possunt, id est, mẽti obiecta.

Secundarum substantiarum.) Comparat secundas substantias inter se, docetque primum species esse magis substantias quã genera, quorum sunt species: id quod duabus suadet rationibus. Prior ratio est, quia species proprius accedunt ad primas substantias quam genera, cum planius, & aptius declarent naturam primarum. Nititur hæc ratio huic communi pronunciato, quod proprius accedit ad id, quod est maxime tale, id magis tale est, vt color cuius natura magis accedit ad naturam candoris, is disgregat visum maxime, quandoquidem inter colores candor id maxime efficit.

Ipsarum specierum.) Comparat species infimas huius prædicamenti inter se, dicitque eas esse æque substantias, quia omnes æque declarant naturam primarũ substantiarum: hinc enim patet omnes æque accedere ad primas substantias.

Simi-

Similiter autem. Comparat demum ipsas primas substantias inter se, docetque omnes quidem æque substantias: quod solum exemplis patefacit. Ratio huius conclusionis est, quia omnes æquè existunt per se, id quod ex eo patet, quia nulla earū eget subiecto vllo siue inhæsionis, siue prædicationis vt ex definitione primæ substantiæ perspicuum est.

Merito igitur Ex his, quæ dixit in comparatione substantiarum docet obiter duabus rationibus, cur ex cæteris rebus omnibus, quæ de primis substantijs dicuntur, sola genera & species substantiarum, secundas substantias nominauerit. Prior ratio est quia hæc declarant naturam primarum substantiarum, accidentia non item. Loquitur hic Aristoteles de solis prædicatis completis, cuiusmodi non sunt differentiæ, ideo docet alia omnia a generibus & speciebus extranea esse nominis primarum substantiarum.

Posterior ratio est, quia, quemadmodum primæ substantiæ cæteris omnibus, si proportione quadam genera & species earum substant reliquis omnibus, nimirum accidentibus: quod sane non dixeris de accidentibus, vbi de accidentibus realibus loquitur Aristotel. proinde dicit ea, quæ inferioribus conueniunt superioribus etiam conuenire. Sed contra ea, quæ dicta sunt in comparatione substantiarum sic obijciet aliquia: Nulla est prima substantia, quæ subijciatur omnibus accidentibus; & omnibus prędicatis substantialibus, vt inductione patet: igitur non ex eo colligendum fuit primas substantias esse maxime substātias, quia omnibus subijciuntur. Secundo homo pluribus subijcitur, quam Socrates igitur homo est magis substantia quam Socrates, id quod de alijs similibus secundis substantijs eodem modo concludi potest, quod tamen negat Aristo. Antecedens ex eo probatur quia homo subijcitur omnib. secundis substantijs quibus subijcitur Socrates, præterquam sibi ipsi, & præterea subijcitur omnibus accidentibus non modo Socratis, sed etiam reliquorum hominum quibus Socrates non subijcitur. Accidentia enim, quæ conueniunt inferioribus conueniunt superioribus, vt Aristo. modo docuit, & apud Porphyr. cap. de communitatibus annotauimus. Tertio inter primas substantias, quædam subijciuntur pluribus quam aliæ: & inter species infimas substantiarum, quædam subijcitur pluribus, quędam paucioribus, nec igitur omnes primæ substantiæ inter se comparatæ, nec omnes species infimæ substantiarum, sunt ęque substantiæ vt Aristo. dixit. Antecedens hinc patet, quia indiuidua simplicia, & species infimæ, sub quibus ea continentur, paucioribus accidentibus, subijciuntur, quam mixta vitæ expertia, & hæc, quam viuentia, vt perspicuum est, non modo paucioribus accidentibus sed etiam paucioribus prædicatis substantialibus. Si enim à summo genere huius prædicamenti diuidendo descendas, pauciora intermedia inuenies, ante hoc cęlum, quam ante hunc lapidem, & pauciora ante hunc lapidem, quā ante hūc hominem, & ita in alijs.

Ad primam obiectionem, concesso antecedente neganda est consequentia: nō ideo primæ substantiæ, dicuntur ab Aristotele. maxime substantiæ, quia quęlibet earum subijciuntur omnibus omnino accidentibus, & omnibus omnino prædicatis substantialibus, sed quia omnes collectiuè sumptæ subijciuntur omnibus omnino, tum accidentibus, tum prædicatis substantialibus, vt ex ipso contextu apertum videtur. Si quis tamen quærat, cur quælibet earum, nulla habita ratione cæterarum primarum dicatur maxime substantia, respondendum est, ideo quamlibet primam substantiam dici maxime substantiam, quia omnibus, quibus subijcitur per se ipsam subijcitur, hoc est, nō per aliquid inferius, quod certe omnibus primis substantijs conuenit, quanquam nulla earum, omnibus omnino secundis, aut omnibus omnino accidentibus subijciatur.

Ad secundam obiectionem aperte respondebis, si dicas, hominem non subijci pluribus per seipsum, quam Socratem, quanquam pluribus subijciatur per inferiora.

Ad tertium dicito, primas substantias inter se comparatas, non ideo dici æque substantias, quia quod substantijs, & accidentibus subijciuntur, & tot subijciuntur reliquæ omnes, sed quia quemadmodum hæc per se ipsam subijcitur, cæteris omnibus substantijs & accidentibus, quibus ipsa subijcitur, pręterquam primis substantijs, ijsque

ijsque accidentibus, quę primis substantijs primo, & immediate conueniunt, sic cęterę omnes. Ex quo illud intelliges, genera substantiarum quæ per se ipsas substant cæteris omnibus, præterquam primis substantijs, & speciebns infimis substautiarum, ijsque accidentibus, quæ omnibus huiusmodi substantijs primo & immediate conueniunt, inter se comparatas, esse æque substãtias, & vt semel dicam, omnes quæcunque distant a primis, siue vno gradu, siue duobus siue pluribus esse æque substantias. Quod si vnum genus minus distat ab vna substantia, quã ab alia, vt substantia genus summum à Michaele Archangelo, quam à Socrate, & animal à Socrate quam à Bucephalo non est incommodum, si alia, & alia ratione, seu quod idem est, comparatione diuersorum sit magis, & minus substantia.

Commune autem omnibus] Hactenus explicauit substantias, quæ in hoc prædicamento per se ac directe ponuntur, hasque inter se contulit: nunc in hac secunda parte cap. sex earum attributa seu proprietates tradit. Primum ergo attributum est, nõ esse in subiecto, quod sane omnibus substãtijs completis, non autem solis conuenit idque ipse hoc modo ostendit. Nec primæ substantiæ, nec secundæ sunt in subiecto; Ergo omnibus completis substantijs commune est non esse in subiecto. Quod primę substantię non sint in subiecto, ex definitiõne primæ substantię collige. Quod autem nec secundę sint, hac ratione suadet. Si secundę substantię in aliquo essent subiecto, illud sane esset prima substantia, siquidem primę substantię sunt, prima subiecta & inhęsionis & prędicationis, vt patet ex ijs, quæ paulo superius dicta sunt: hoc autem fieri non potest: Ergo nec illud. Minorem propositionem probat, primum, quia secundæ substantiæ dicuntur de primis, vt de subiectis, quæ autem de aliquo dicuntur vt de subiecto, in eodem ut in subiecto inesse non possunt. Deinde, quia quę sunt in aliquo, vt in subiecto non possunt de eo ratione prædicari, sed nomine solo, cum tamen secundę substantię, & nomine, & ratione de primis dicantur.

Non est autem proprium] Ostendit hoc attributum, non esse proprium substantiarum (hoc est, non solum substantijs conuenire) eo quod conueniat differentijs substantiarum, quæ nec sunt primæ, nec secundę substantię. Quod autem conueniat differentijs, ijsdem rationibus probat, quibus ostendit conuenire secundis. Illud tamen animaduerte, Aristo. hoc loco accipere substantię vocabulum, pro ijs tantum substantijs, quæ per se in prædicamentis ponuntur, vt hactenus fecit. Ideo enim non numerat differentias substantiarum inter substantias. Illud etiã animaduerte, gradiens hoc est, quod ingredi potest, & bipes vsurpari in contextu pro veris differentijs hominis, inopia verarum differentiarũ, quod sępius fit apud Aristotelem: Ex dictis patet hoc attributum respectu substantiarum, quæ in hoc prędicamento ponuntur, proprium esse secundo modo.

Nec nos vero] Forte aliquis minus attente rem considerans colligeret ex dictis, partes substantię non esse substantias hac ratione: nulla substantia est in subiecto (vt patet ex tradita substantiarum proprietate) at partes substantiæ sunt in subiecto (sunt. n. in suis totis) igitur partes substantiarum non sunt substantiæ, quod est incõmodum. Ne quis igitur hanc absurdam cõclusionem ex dictis perperam intellectis sibi persuaderet, aut certe ea, quę dicta sunt, caperet, occurrit Aristotele negatione minoris, quasi ita dicat: Quanquam partes substantiarum sunt in totis, non sunt tamen in eis, quasi in subiectis, siquidem ea sola dicta sunt esse in subiecto, quæ in aliquo sunt, non tanquam partes, vt patet cap. 2. In hac obiectione & solutione intellige Aristotelem loqui, aut de solis partibus integrantibus, cuiusmodi sunt caput, manus, ac de essentialibus Physicis, hoc est, de materia & forma, aut etiam de differẽtijs substantiarum essentialibus.

Inest autem substantijs differentijsq;] Tradit alterum substantiarum attributum, quod etiam substantiarum differentijs conuenire affirmat vtpote, vt vniuoce prędicentur, subaudi de ijs, de quibus prędicantur, hoc est, de indiuiduis & speciebus, nec enim de omnibus omnino rebus prędicantur. quod non vniuoce prędicentur de quibuscunque rebus dicuntur, si probat Aristot. Omnes prędicationes, quę ab ijs, substantijs dicũtur, aut enunciant speciem de suo indiuiduo, aut genus & differentiã,

de

de sua specie aut indiuiduo. Hæc autem omnes prædicationes sunt vniuocę: igitur omnes prędicationes, quę a substantijs differentijs dicuntur, sunt vniuocę: maiorem probat, quia a prima substantia, inquit, nulla est prędicatio, cum nulla prima substantia dicatur de subiecto, vt patet ex eius definitione. minorem vero sic confirmat: Quęcunque prædicantur nomine, & ratione, prædicantur vniuoce, species autem omnes de suis indiuiduis, & item genus & differentię de suis speciebus, & indiuiduis nomine, & ratiōne prædicantur: Ergo vniuocè dicuntur.

Vt probationem maioris intelligas, animaduerte Aristot. hoc loco Prædicationis nomine solam directam intelligere, non autem identicam. Hęc enim cum artis sit expers, merito ab Aristo. reijcitur, nec vero quamcunque directam intelligere, sed eam duntaxat, in qua res, quæ prædicatur, latius patet, quam res, quę subijcitur, siquidem id, quod vniuoce de alio dicitur, debet latius patere, quam illud. prædicatione igitur accepta pro directa, & artificiosa, de subiecto minus late patente probat. Aristot. omnes prędicationes directas substantijs, vt earum differentijs, enunciare speciem se indiuiduo, aut genus, & differentiā de specie, & indiuiduo: nam si quę alia prędicatio à substantijs huiusmodi generis duceretur, ea esset prędicatio primæ substantiæ de aliquo, quam ipse ostendit dari non posse, cum prima substantia de nulla re hoc prædicationis genere dicatur. Si quis roget num hoc attributum sit proprium substantiarum, quæ per se in hoc prędicamento ponuntur: dicendum est, nullo modo esse proprium, quia nec solis conuenit, cum differentijs substantiarum conueniat, nec omnibus, cum non accommodetur primis substantijs, vt dictum est. Quod si toti generi substantiarum tam completarum, quam incompletarum tribueretur, dicendum foret esse proprium primo modo. Nam etsi non conuenit omnibus, vt diximus, solis tamen attribuitur, siquidem accidentia, quę in cęteris prædicamentis, siue per se, siue reductiuè ponuntur, non prædicantur vniuoce de omnibus, de quibus secundum naturam artificiose, & vt de rebus minus late patentibus dicuntur. Nec enim possunt de substantijs vniuocè prędicari, cum de illis non dicantur nomine, & ratione, vt in hoc lib. huiusmodi prędicatio accipitur.

Omnis autem substantia] Tradit tertium substantiarum attributum, vtpote signare hoc aliquid, quod docet primo quidem aspectu videri conuenire omnib substantijs, cæterum re diligentius expensa, etsi reuera conueniat primis substantijs, nō hoc aliquid, sed quale quid signant. Hæc igitur, vt intelligas, animaduerte hoc attributum, vt verba quidem sonant, non accōmodari ipsis substantijs, sed earum nominibus, aut apertissimum est. Proinde cum omnis substantia dicatur signare hoc aliquid substantiam pro nomine substantiam significante accipi, facile tamen accommodari ipsis substantijs, si loco verbi (signare) intelligitur verbum, (esse:) etenim substantia ex hoc aliquid, sicut eius nomen signat hoc aliquid. Illud deinde animaduerte, nihil aliud esse signare hoc aliquid. Illud deinde animaduerte, nihil aliud esse signare aliquid omnino per se existens, hoc est, qđ ita existit, vt nec existat in aliquo vt in subiecto, cui inhæreat, nec vt pars in toto, qđ constituat; quo sane modo, si loquantur de nominibus rerum, quæ ponuntur in prædicamentis omnia, & sola nomina primarum substantiarum signant hoc aliquid. Demum animaduerte signare quale quid, siue quale vno quidem modo idem esse, ac signare qualitatem proprijssime dictam, quo pacto qualitatis verbum accipitur, ca. 8. huius lib. cum Arist. ait, qualitatem dico, qua res dicuntur quales: altero idem esse, ac signare quicquid signatur in quęstione quale est, siue in quæstione quale quid est; quo pacto qualitatis nomē passim apud Porphyrium accipitur. Tertio idem esse, ac signare quamcumque rem vniuersalèm, quo pacto hęc locutio apud Aristo. 7. Metaph. c. 13. & alibi sępius, cum ait: Vniuersalia non hoc aliquid, sed quale quid signare, atque hoc extremo modo accipitur hoc loco signare quale quid. Dicuntur autē vniuersalia qualia quædā, seu qualitates, quia qualia sunt in vno prędicabili, talia sunt in alio in quo posita est tota ratio rei vniuersalis, qua vniuersalis, quo fit vt ingenio sè Arist. hanc prędicationem vsurpans appellet vniuersalia, nunc qualia, nunc talia, quia qualia sunt in vno, talia sunt in alio.

Itaque

Itaque vt hec omnia paucis colligamus, signare hoc aliquid, est signare aliquid per se omnino existens, cuiusmodi est omnis prima substãtia. Signare autem quale quid siue quale, siue tale, quæ idem valent, est signare aliquid indefinitum, & indeterminatum ad multa, siue aliquid vniuersale, vt Simplicius recte annotauit.

In primis igitur.] Ostendit primo nomina primarum substantiarum reuera prędicare hoc aliquid, quia id quod prędicant est unum numero, intellige, (per se,) & nõ (per accidens,) siue ratione alterius, vt excludat nomina secundarum substantiarum, quę quidem prædicant id, quod est vnum numero saltem per accidens: nam secundæ substantiæ, vt existunt in singulularibus per accidens sunt singulares. Quod vero nomina secundarum substantiarum prædicare videantur hoc aliquid, ex eo suadet quod vtraque substantia similem habeat figuram appellationis, hoc est, quia sæpè appellamus primas substantias, nominibus secundarum, vt si dicas, uoca hominem, & noui hominem, hoc est, Socratem aut aliũ quempiam de quo loquaris: hac ergo ratione homo, & reliqua nomina substantiarum secundarum hoc aliquid prædicare videntur.

Non tamen est verum] Duo simul hic probat, & quod omnia secundarum substantiarum reuera non signet hoc aliquid & quod significent quale quid. Primum ea ratione probat, quia id quod signat non est vnum quid, subaudi numero cuius verbi paulo ante meminit. Alterum ex eo probat, quia secundæ substantiæ prædicantur de pluribus, utpote eadem ratione, si quis obijciat hoc loco nomine secundarum substantiarum sæpe accidi pro primis, vt proxime dictum: Ergo signare hoc aliquid. Occurrendum est, id quidem verum esse, si sermo sit de omni signatione, siue sit immediata, siue mediata, ac remota; ac hoc loco intelligendam esse solam proximam, & immediatam.

Verum non quale.] Quoniam dixerat nomine secundarum substantiarum prædicare quale quid, ne aliquis re parum expensa existimaret, ea proinde ad prædicamentum qualitatis pertinere, dicit nomina secundarum substantiarum alio modo signare quale id, ac nomina prædicamenti qualitatis, vt album. Hæc enim solum quale, seu solam qualitatem formaliter signant, vt album, solam albedinem; illa vero non absolute qualitatem, sed qualitatẽ circa substantiam determinant, seu quód idem, substantiam qualem, & vniuersalem signant. Ex dictis signare hoc aliquid esse proprium primo modo, respectu totius huius prędicamenti: conuenit enim solis substantijs, non tamen omnibus: signare vero quale quid substantiale, nullo modo esse proprium, quia non conuenit omnibus, cũ non conueniant primis, nec solis, cum conueniat differentijs, licet si ad sola secundas substantias referatur, dicatur proprium secundo modo, quia conuenit omnibus nõ tamen solis.

Competit præterea] Addit iam Aristo. quarum substantiarum attributum, vtpote non habere substantias contrariornm, quod quidem inductione probat, omnibus substantijs conuenire; loquitur enim de contrarijs per se, ac proprie dictis. Nam si de contrarijs per accidens, & improprie dictis quæstio esset, multa possunt contraria substantijs præferri, vt igni aqua, & aeri terra, quæ ratione qualitatum, quibus afficiuntur, contraria per accidẽs esse dicãtur.

Non tamen hoc.] Docet hoc attributum solis substantijs non conuenire, quia conuenit etiam quantitatibus. Si non omnibus (fortasse enim non conuenit multo, & pauco, magno, & paruo, quæ videntur quantitates) certe definitis, ac determinatis, hoc est, ijs, quę habent finitam mensuram extensionis, vt bicubito, tricubito, denario, numero & cęteris huiusmodi: ex ijs patet hoc attributum esse proprium secundo modo respectu substantiarum; quia conuenit omnibus, sed non solis: Quæ autem Arist. hic videtur cõcedere, nempe, magnum & paruũ, multum, & paucum, & esse quantitates, & esse contraria, non asseueranter dicuntur; cum ea sequenti negentur: ideo tamen hic quasi admittuntur, quia etsi ponantur vera adhuc tamen dantur quantitates, quibus nihil est contrarium.

At vero substantia.] Tradit quintũ attributum substantiarum, quod quidem est, substantias non suscipere magis & minus; seu quod ad Logicam attinet, non prædicari cum aduerbijs magis & minus. Sed quoniam superius dictum est, quasdam

substantias esse magis substantias, quam alias docet Arist.id, quod hoc loco ait, substantias nimirum, non suscipere magis & minus esse intelligendum de substantijs secundum suam existentiam acceptis. Socrates enim non dicitur magis aut minus homo, quam ipse sit in alio tempore, aut quam aliquis alius, quod idem in cæteris substantijs cernere licet, Ex quo patet id, quod supra dictum est: alias substantias esse magis substantias, quam alias, secundum aliquam aliam rationem substantiæ esse accipiendum, nempe, aut secundum conditionem substandi, aut per se existendi. Est autem hoc attributum proprium secundo modo, proprium substantiarum: quia conuenit omnibus, non tamen solis; cum conueniat bicubito & alijs quamplurimis accidentibus.

Maximè autem] Tradit sextum, extremumque arbitrium substantiarum, vtpote quod substantia, vna numero permanens susceptiua sit contrariorum, quod idcirco hactenus distulit, quia substantiarum maxime proprium est. Exemplis autem ostendit hoc attributum substantijs accommodari.

Nisi fortasse] Obijcit sibi Arist.quod nō sola substantia videatur contraria recipere: nam verum & falsum sunt contraria: eadem autem oratio & opinio possunt recipere veritatem & falsitatem; ex quo videtur effici orationem & opinionem posse recipere contraria; siquidem non solum substantias, sed etiam res alias esse contrariorum capaces. Hanc obiectionem duobus modis diluit; vno quidem fiduciaria solutione, quæ tunc adhibetur, cum fidenter admissis sumptionibus ostendibus eas non colligere institutum: altero per instantiam, ut Græci uocant, qua tunc igitur respondens, cum opponenti negat aliquam sumptionem. Priori igitur solutione admittit Aristot.uerum & falsum esse contraria, orationem item & opinionem suscipere uerum & falsum, & proinde contraria, alia tamen ratione, ac substantia recipit. Substantia enim contraria recipit mutatione sui: oratio autem, & opinio suscipiunt quidem veritatem, & falsitatem, non tamē mutatione sui, sed rei signatæ. Circa orationem enim nulla actio uersatur, aut circa opinionem, existimationemvè, cum ipsa ex vero sit falsa, aut è contrario: sed circa rem prædicatam, quæ secus accidit in substantia cum abijcit vnum contrariorum, & alterum suscipit. Est itaque substantiæ proprium, vt vna numero cum sit, mutatione sui contrariorum sit capax.

Quod si quispiam] Hac altera solutione negat Aristotel.simpliciter, & sine distinctione orationem, aut opinionem accipere posse contraria. Re enim vera, non recipiunt oratio, aut opinio contraria, cum ex veris fiant falsæ, aut ex falsis veræ, quandoquidem si diligentius res expendatur nulla res dicitur recipere vnum contrarium, & abijcere alterum, nisi aliqua mutatio circa ipsam versetur: Oratio autem, & opinio non fiunt veræ, nec falsæ, quia mutentur, sed quia res ipsæ mutantur. Quibus verbis vult Aristot. vt resistatur prædictæ obiectioni, negatione primæ propositionis: Nec enim oratio, & opinio dicendæ sunt percipere veritatem aut falsitatem; cum circa ipsas nulla mutatio fiat: cum ex veris falsæ fiunt, aut ex falsis vere.

Vtrum substantia rectè diuidatur in primam & secundam.

QVAESTIO PRIMA.

QVod vitiosa sit diuisio substantiæ in primam & secundam his argumentis suaderi potest. Primo substantiæ vocabulum quatuor modis accipitur, vt initio capit. diximus, uno pro essentia cuiusque rei, altero pro substantia vt ab accidentibus distinguitur; tertio pro substantia finita & completa; quarto pro prima substantia. Substantia autem siue primo, siue secundo modo intelligatur, non rectè diuiditur in primam, & secundam, quia vtrouis modo sumpta latius patet, quam membra diuidentia. Quarto vero modo accepta est, vnum ex membris diuidentibus; & ideo non potest esse diuisum. Restat ergo vt dicendum sit, diuidi hac diuisione tertium substantiæ prædicatum. Atqui substantia tertio modo sumpta non est aliquid vnum (esset enim aliquod genus aut species,

cies, aut indiuiduum prædicamenti substantiæ,) atque ita non posset diuidi in primam & secundam substantiam, ne in seipsam diuideretur; Ergo nec tertium substantiæ signatum recte diuiditur in primam & secundam substantiam. Secundo si bona esset diuisio substantiæ in primam & secundam, non prædicaretur secunda de prima, quandoquidem nullum bonum diuisionis membrum de alio membro dicitur, cum opposita esse debeant & secundæ substantiæ dicantur de primis, ut homo & animal de Socrate & Platone; non recte igitur diuisa est ab Aristo. substantia in primam & secundam.

Dicendum est tametsi recte diuisam esse substantiam, in primam & secundam, accepto substantiæ vocabulo tertio modo, id quod hac ratione perspicuum fit. Omnis substantia, quæ per se in prædicamento ponitur, aut est uniuersalis aut singularis. Si singularis, est prima, si vniuersalis secunda: recte igitur diuisa est substantia in primam & secundam. Atq; huic sententiæ subscribunt omnes Philosophi, qui substantiam in primam, & secundam diuidunt, verum qua ratione substantia hac diuisione distribuatur non satis constat.

Illud tamen in primis dici potest, substantiam diuidi in primam & secundam, analogica diuisione, secundum rationem per se existendi, quasi in eam, quæ omnino per se existit, & in eam, quæ non omnino per se existit, sed quadam ex parte. Dicitur autem prima substantia omnino per se existere, quia nec existit in subiecto inhæsionis, nec in subiecto prædicationis: secunda autem quadam ex parte, quia non existit in subiecto inhæsionis etsi existit in subiecto, prædicationis, utpote in prima substantia de qua dicitur, ut de subiecto, ex quo plana fit ratio analogiæ in diuidendo.

Potest autem hæc sententia probari ex primæ ac secundæ substantiæ definitionibus. Prima enim substantia definitur ens, quod nec de subiecto dicitur, nec in subiecto est. Quæ oratio satis aperte explicat conditionem per se existendi: seu non existẽdi in subiecto aliquo siue inhæsionis, siue prædicationis. Secundæ autem definiuntur esse genera & species primarum. In qua definitione notatur respectus ad primas substantias, idq; merito, quia secundæ substantiæ per primas existunt, atque adeo cum spectantur quo ad existendi conditionem, per ordinem ad primas in quibus existunt definiri debent.

At obijciet aliquis contra hanc expositionem, hoc modo. Substantia genus summum definiri solet ens per se existens (ens inquam, per se reale, finitum, & completum vt acceptum fuit cap. 10.) Ergo substantia non diuiditur in primam & secundam, secundum rationem per se existendi. Probatur consequentia in primis, quia hoc pacto idem diuideretur in seipsum, quippe cum substantia genus summum sit una ex ijs substantijs; deinde quia definitio substãtię generis summi debet ex æquo conuenire omnibus substantijs, quæ per se in prędicamento ponuntur; substantia autem iuxta hanc sententiam ita diuiditur in primam & secundam, vt primo ac simpliciter dicatur de prima, secundo autem loco & secundũ quid de secunda.

Ad hanc obiectionem dicendum est, diuidi substantiam, quæ est genus summum in primam & secundam, atq; aliter accipi per se existens in definitione substantię generis summi, aliter in ratione substantiæ, prout in primam & secundam diuiditur. Priori namque modo accipitur, solum pro non esse in subiecto inhæsionis, quę quidẽ conditio ex æquo conuenit omnibus substantijs. At posteriori modo accipitur pro non esse in subiecto siue inhæsionis, siue prædicationis; quod est simpliciter per se existere, siue inhęsionis duntaxat, quod est, quadam ex parte per se existere, siue secundum quid, quo modo patet substantiam diuidi in primam & secundam tanquam analogum.

Potest etiam facile dici, diuisionem Aristotelicam sic esse intelligendam, substantiarum prædicamentalium, quædam sunt substantiæ singulares, quædam sunt uniuersales. Primo, quia hoc pacto agitur de substantijs de cæteris rebus in hoc libro nempe ut sunt uniuersales & singulares. Deinde, quia hic sensus diuisionis plane ex ipsas definitionibus primæ ac secundæ substantiæ colligitur. Nam in definitione primæ substantiæ ponitur quasi genus definiti ens prædicamentale; quod idem in plurali numero ponitur in definitione se-

cundarum, adduntur q; in definitione primæ substantiæ, duæ proprietates, vna substantiarum, quæ est non esse in subiecto, altera singularium, quæ est non dici de subiecto. In definitione autem secundarum adduntur verba illa, species & genera; quæ quidem satis aperte declarant secundas substantias dici de subiecto, quæ est proprietates vniuersales: item que illa, in quibus insunt primæ: quæ innuunt proprietatem substantiarum vniuersalium: vniuersalia non esse in subiecto, quandoquidem ea, quę ad essentiam primarum substantiarum pertinent, non sunt in subiecto, vt patet. Si quis autem petat, cur iuxta hanc sententiam substantiæ singulares, apud Aristo. dicantur primæ, vniuersales autem secundæ, multæ rationes reddi possunt: vna quidem, quia illæ primo substant, hæ secundaria ratione, vt fere interpretes Latini dicunt. Altera, quæ verior videtur, quia illæ primo, & simpliciter existunt per se, hæ uero quadam ex partæ. Si quis etiam roget, quænam sit ista diuisio, dicito esse complexi cuiusdam accidentariam, in complexa accidentaria. Nam diuisum est totum hoc substantiæ prædicamentalis. Prius uero membrum substantiæ singularis, posterius substantiæ uniuersalis, ut patet ex dictis: potest autem huiusmodi diuisio reuocari ad diuisionem accidentis, in accidentia, ratione illarum conditionum, prædicamentale, singulare, uniuersale. itaque patetur recte diuisam esse substantiam in primam & secundam, & qua ratione substantia in hęc membra diuidatur.

Ad primum igitur argumentum initio propositum dicendum est, substantiam diuidi in primam & secundam, iuxta tertiam substantiæ prædicationem. Nam etsi substantia illo pacto sumpta, non est unum genus aut species, aut indiuiduum huius prædicamenti, est tamen quodammodo vnum siue analogica diuisione distributum, quatenus per se existens: siue diuisione quadam accidentis in accidentia, ut dictum est.

Ad secundum dicendum est, secundas substantias non dici de primis, ut sunt mébra diuidentia huius diuisionis, hoc est, secundum nomen primæ ac secundæ substantiæ. Nec enim dixeris, primas substantias esse secundas, sed res, quæ dicuntur secundæ substantiæ dici de rebus quæ appellantur primæ, ut homo & animal de Socrate.

Sitnè substantiæ proprium quarto modo vt, cum vna eademque numero sit, vim habeat accipiendi contraria.

QVAESTIO SECVNDA.

NOn videtur hoc attributum esse proprium quarto modo respectu substantiæ, In primis quia nulla secunda substantia est vna numero, sed specie, & genere: Ergo nulli secundæ substantiæ conuenit hoc attributum. Secundo, item cęli non sunt contrariorum capaces, vt Aristot. docet 1. Cœlo, cap. 3. nec vero Angeli, vt idem videtur asserere 12. Metaphys. cap. 9. vbi creditur docere, nullam substantiam separatam esse capacem alicuius accidentis in ipsa inhęrentis; Igitur non solum non conuenit secundis substantijs hoc attributum, sed nec omnibus quidem primis. Tertio probatur nec solis substantijs conuenire, primum, quia eadem numero superficies nūc est alba, nunc nigra, cum tamen omnis superficies sit quantas. Deinde quia idem numero intellectus, qui ad prædicamentum qualitatis pertinet, nunc suscipit errorem, nunc sententiam. Præterea qui animus humanus non solum degens in corpore, sed etiam a corpore separatus contrarijs qualitatibus affici potest, vt odio & amore, cum interim sit substantia incompleta & proinde nec prima nec secunda substanria.

Ad hanc quæstionem respondent Ammonius, Simplicius, & alij quidam interpretes, attributum de quo nunc sermo est, nec vlli secundæ substantiæ conuenire, nec item omnibus primis, sicque fatentur illud non esse proprium quarto modo respectu substantiarum, sed solum primo. Quod

si illis

si illis obijcias dixisse Aristo. esse maxime proprium substantiæ; Ergo esse proprium quarto modo, respondetur, Aristot. non ideo ita locutum fuisse, quia sit proprium, quarto modo, sed quia est magis proprium, quam superiora. Nam omnia attributa hactenus numerata excepto tertio, ita conueniunt substantijs, vt alijs etiam, præterquam substantijs conueniant, hoc autem solis substantijs conuenit, cum tamen magis proprium censeri debeat, id quod conuenit solis, etsi non omnibus, quam quod non solis conuenit etsi de omnibus dicatur. Tertium vero attributum hac ratione dici posse minus proprium, quia non rebus sed vocibus accommodatur.

Hæc tamen sententia non placet, primum quia nihil simpliciter dicitur maxime proprium, nisi quod est proprium quarto modo. Deinde quoniam Aristo. cap. sequenti cum ait, maxime proprium esse quantitatis, vt æqualis & inæqualis dicatur, intelligit proprium quarto modo, vt in explicandis duobus sequentibus prædicamentis relationis nimirum & qualitatis; attributa, quæ extremo loco ponuntur sunt propria quarto modo, quod non minus faciendum fuit in hoc prædicamento. Dicendum est ergo hoc attributum esse proprium quarto modo respectu substantiarum, quæ hoc loco tractantur, vt Boetius, M. Alb. Scotus, Caietan. & alij graues authores dicunt, proindeq; omnibus ac solis & perpetuo conuenire; quanquam Boetius & Alb. non putant Arist. agere hoc loco de substantijs materiæ expertibus. Est nihilominus hoc attributum accipiendum, non vt actum sed vt aptitudinem significet, vt Arist. verba plane ostendunt. Neque enim dixit esse substantiæ maxime proprium, vt contraria suscipiat, sed vt contrariorum susceptiua sit, hoc est, vt vim habeat accipiendi contraria. Quapropter ad primum argumentum dicendum est, secundas substantias, qua ratione sunt in primis contrariæ esse indiuiduorum & singularium numero, atque hoc pacto posse vicissim contrarijs subijci, non tamen immediate sed mediate & per primas. Sed obijcis hanc solutionem videri bonam, eo quod eadem ratione concludi potest secundas substantias esse hoc aliquid, vt enim sunt in primis substantijs, sunt singulares, ac proinde hoc attributum non esse magis substantiarum proprium, quam tertium; occurrendum est tamen, non esse parem rationem, quanquam enim secundæ substantiæ, vt sunt in primis sint singulares, quæ tamen adhuc sunt partes primarũ, idcirco non sunt hoc aliquid. Itaq; vt substantia completa sit hoc aliquid, non satis est, si sit quouis modo singularis, sed necesse est, vt sit per se singularis, & non ratione alterius, vt in explicando tertio attributo, diximus.

Ad secundum dicendum est, cęlos & angelos posse recipere contraria, non quidem quæ ad interitum disponant (quo pacto Aristo. loco citato negat cœlos esse contrariorum capaces) sed alia quædam contraria late accepta, quæ contrariorum nomine hoc loco intelliguntur. Cœli namque secundum alias ac alias partes, modo sunt in Oriente, modo in Occidente, nunc in alijs ac alijs oppositis locis in quibus nulla res simul secundum eandem partem esse potest. Angeli vero (siue Arist. negauerit eos posse recipere accidentia uere in ipsis inhærentia, siue non negauerit) etsi nullum accidens absolutum in se inhærens reciperent, hoc tamen acquirere possunt, ut modo sint cœlo, modo in terra, modo in aere, aut aliqua alia re. Nec dubium est, quin loca distantia contraria late accepto uocabulo, appellari possint; cum distantia, quæ in definitione contrariorum ponit, ex distantia locorum nominata sit, vt docet Arist. c. sequenti. Quod vero nomen contrariorum late accipiatur hoc loco ab Aristo. ex eo patet, quod verum, & falsum contraria esse admisit in soluenda obiectione, contra hoc attributum facta: cum tamen non sint proprie contraria.

Ad tertium, & quartum dicendum est, posse quidem accidentia recipere contraria, verum non vt subiecta accidentium (quo pacto Aristo. in hoc attributo intelligendus est) sed ut media quædam, quorum interuentu substantię contraria suscipiunt. Atque hoc posteriori modo recipit superficies colores, & intellectus contrarios habitus, & actus.

At dicet aliquis, si Arist. voluit, vt prędicta argumenta illo modo soluerentur, quid opus fuit alias solutiones quærere, ad diluendam obiectionem de oratione, & opinione, quam ipse sibi opposuit? vno enim ver-

bo dicere potuisset, orationem, & opinionem esse capaces contrariorum, tamen vt subiecta, sed vt media, quibus subiecta suscipiunt veritatem, & falsitatem, vt est aer, in quo inhæret oratio vocalis, & papyrus in qua inest oratio scripta, & homo ipse in quo residet opinio.

Cui obiectioni respondet Caietanus. nõ sine causa. Aristo. quæsiuisse aliam solutionem ad soluendam obiectionem de oratione, & opinione. Nam quædam contraria sunt, quæ denominant primo substantiam, nec denominant accidentia, nisi quatenus talia accidentia insunt in substantia, quæ denominatur, vt calidum, & frigidum, album & nigrum, dulce & amarum, atque de ijs merito non fuisse Aristo. sollicitum, quia statim sese poterat offerre solutio nunc tradita. Quædam vero contraria sunt quæ primo denominat accidentia ipsa substantiam vero aut non denominant, aut certe verum & falsum. nec enim ideo oratio, & opinio dicuntur veræ, aut falsæ: quia subiecta earum veræ, aut falsa sunt, sed potius subiecta ab eis dicuntur vera; aut falsa, vt homo verus ab opinione vera: atque de ijs merito Aristote. fuisse sollicitum, quia poterat quisque existimare, ista non aliter, quam substantias suscipere contraria.

Ad secundum dicendum, cum dicitur esse proprium substantiarum posse suscipere contraria, non omnino excludit partes, ex quibus substantiæ reipsa compositæ sunt quasi nulli eorum aliquo modo id conueniat. Sic enim dicimus, proprium esse hominis, quod sit disciplinæ capax, & tamen non tantum homo sed etiam animus ipse suo modo est capax disciplinæ. Sic ergo cum dicitur, esse proprium substantiæ, suscipere contraria, non excluditur omnino animus, siue in corpore degens, siue a corpore separatus.

Itaq; quod hoc attributum animo etiam humano accommodari possit, non efficit quo minus illud sit proprium substantiæ per se pertinentis ad hoc prædicamẽtum, præsertim cum nõ prorsus eodem modo conueniat vtrique animo enim conuenit, vt parti subiecti completi, substantiæ vero, quæ per se in hoc prædicamento ponitur, vt subiecto completo.



SE-

- *Subſtā tia*
  - *Spiritus, ideſt intelligentia.*
    - *Seraph.* 1.
    - *Sherub.* 2.
    - *Tronus* 3.
    - *Dominat.* 4.
    - *Poteſtat.* 5.
    - *Principat.* 6.
    - *Virtus* 7.
    - *Archan.* 8.
    - *Angelus* 9.
    - *hic aut ille*
  - *Corpus*
    - *corruptionis capax.*
      - *animatū*
        - *plāta*
          - *arbor*
            - *prius*
            - *prunus*
            - *malus:*
          - *frutex*
            - *arundo.*
            - *geniſta.*
            - *cytiſus.*
            - *beta.*
          - *herba*
            - *triſſago.*
            - *naſturciū.*
        - *aīal*
          - *homo*
            - *Socrates etc.*
          - *beſtia*
            - *volucris.*
            - *gradiens.*
            - *aquatilis.*
            - *reptilis.*
      - *ianimatū*
        - *elemētū.*
          - *ignis*
          - *aer*
          - *aqua*
          - *terra*
        - *minerale.*
          - *lapis*
            - *ſilex.*
            - *marmor.*
          - *metallū*
            - *aurum.*
            - *argētum.*
          - *mediū inter hęc*
            - *gluten.*
            - *gummi.*
            - *ſolphur.*
    - *corruptionis expers.*
      - *Cęlū Emphyreū.* 1.
      - *Primum mobile* 2.
      - *Cęlū Cryſtallinū* 3.
      - *Firmamentum* 4.
      - *Cęlum Saturnini* 5.
      - *Cęlum Iouis* 6.
      - *Cęlum Martiris* 7.
      - *Cęlum Solis* 8.
      - *Cęlum Veneris* 9.
      - *Cęlū Mercurij* 10.
      - *Cęlum Lunæ* 11.

CAPVT SEXTVM

DE QVANTITATE.



Vantum autem partim est continuum, partim discretum: & partim ex habentibus positionem partibus, partim è non habentibus constat. Atque discretum quidem est, vt numerus atque oratio: continuum autem, vt linea, superficies & corpus: & insuper præter hęc, tempus & locus. Partium enim numeri nullus terminus communis est, quo ipsæ copulantur, seu quinque & quinque si sint denarij partes, nullo communi termino copulantur, sed sunt seiunctæ. Similiter tria & quinque communi termino nullo copulantur. Neque omnino fit vt numeri partium terminus communis vllus sumatur, sed semper partes seiunctæ sunt: quare discretum numerus est. Similiter & oratio discretum esse videtur: nam quantum ipsam esse, ex eo patet, quia longa breuique syllaba mensuratur. Eam vero orationem dico, quæ fit cum voce: etenim nullo partes ipsius communi termino copulantur; neque enim terminus communis nullus est, ad quem syllabæ coalescunt, sed quæque se sunt seiunctæ. Linea vero continuum est, sumi namque communis terminus, quo partes lineæ copulentur, punctum potest, itidem & superficiei linea. Plani namque partes communi quodam termino copulantur. Similiter & in corpore sumere assignareque lineam, superficiem ve communem terminum potes, quo corporis partes copulantur. Porro autem & tempus & locus generis huius sunt; tempus enim præsens, cum exacto futuroque copulatur. Rursus & locus continuus est; corporis enim partes, quæ quidem aliquo communiter minus copulantur locum occupant; igitur & loci partes, quas quæque partes corporis occupat, eodem sanè termino copulantur, quo copulantur & partes corporis. Quare locus etiam continuus erit, quippe cum partes ipsius vno communi termino copulentur. Præterea partim vti diximus, ex habentibus positionem partibus, partim è non habentibus constat; non lineæ quidem partes positionem habens, quæque enim ipsarum alicubi situm habet, atque qua in parte plani quæq; sita est, quaque cum parte copulatur, sumere, assignareque potes. Similiter, & plani partes positionem quandam nimirum, simili namque modo quæque partium vbi iacet, quaque cum parte copulata est, assignabitur. Partes etiam solidi locique, positionem identidem habent. At in numero nemo demonstrare partes ipsius, positionem, quam habeant, aut vbi sint sitæ, aut quę quibus cum copulentur, potest. Nec item in tempore, nulla enim pars temporis permanet, quod autem non permanet, id quonam pacto positionem habebit? Sed ordinem habere potius dices, propterea quod hæc pars sit prior temporis, hæc posterior. Et in numero simili modo: ex eo plane, quia prius vnum quam duo, & duo quam tria, & tria quam quatuor numerantur. Atque hoc quidem pacto ordinem quendam habent positionem autem ipsarum non vtique sumas. Oratio quoque similiter sese habere videtur; nulla enim ipsis pars permanet: sed iam quæ dicta est, prehendi amplius non potest; Quare partium ipsius positio

sane

sane non erit, cum nulla prorsus permaneat. Quæ cum ita sint, patet partim ex habentibus positionem partibus, partim è non habentibus positionem constare. At qui hęc sola quæ dicta sunt, proprie quanta dicuntur: cætera vero vniuersa per accidens. Ad hęc enim aspicientes, & cætera quanta dicimus: velut album, ex eo multum dicitur, quia multa superficies est: & actio longa, motusve, quia tempus non longum, non enim per se vnumquodque horum dicitur. Etenim si quispiam quantanam sit actio assignauerit, tempore sane ipsam definiet, biennem dicendo aut triennem esse, aut alio simili modo. Et album etiam quantum sit, si assignauerit, superficie nimirum definiet; quanta enim est superficies, tantum dicet & album esse. Quare ea sola quæ dicta sunt, proprie & per se quanta dicuntur; cæterorum vero nibil per se, sed per accidens dicitur quantum. Præterea quantitati nihil est contrarium, indefinitis enim quantis, nullam omnino contrarietatem esse patet; ceu bicubito, ceu tricubito, aut superficiei, aut alicui tali: nihil enim est illorum omnino contrariorum. Nisi quispiam pauco multum, aut paruo magnum dixerit contrarium esse. At horum nihil est quantum, sed potius est ad aliquid. Nihil enim per se magnum vel paruum dicitur, sed ad aliud sane refertur; ceu mons quidem paruus dicitur, milium autem magnum, propterea quod hic maius, ille minor hisce quæ generis eiusdem sunt; existat. Ad aliud igitur est ipsorum. Primus relatio; nam si paruum quicquam magnumve per se diceretur, nunquam mons quidem paruus, milium vero magnum vtique dicatur. Rursus in pago quidem multos homines, Athenis autem paucos dicimus esse, qui tamen longe sunt illis plures: & in domo quidem multos, in theatro vero paucos, qui quidem & ipsi multo sunt illis plures. Præterea bicubitum quidem, atque tricubitum, & talium vnumquodque quantum significat: magnum autem & paruum, quantum non significat, sed magis ad aliquid. Secundus alterius enim contemplatione magnum paruumque intelligitur. Quare patet, hęc ex his esse, quæ ad aliquid sunt. Præterea siue quanta esse quispiam esse ponat, siue non ponat, nihil est ipsis contrarium, quod enim per seipsum sumi non potest; sed ad aliud semper refertur, ei quoniam pacto contrarium quicquam fuerit? Præterea si magnum ac paruum contraria sunt, fiet vt idem contraria simul suscipiat, & eadem sub ipsis contraria vt sint. Fit enim interdum, vt magnum & paruum sit idem. Est enim ad hoc quidem paruum, ad aliud vero magnum; quare fit, vt idem eodem tempore magnum sit atque paruum. Quod si hæc contraria sint, idem profecto contraria simul suscipiet, at nihil videtur simul suscipere contraria posse; substantia namque susceptrix quidem contrariorum esse videtur, non tamen valet, simul atque ægrotat quisquam: neque simul album est quicquam atque nigrum, neque cæterorum quicquam, quod quidem contraria suscipiat simul. Fit etiam, vt ipsa subijpsis contraria sint. Nam si magnum contrarium paruo est, cum idem corpus & magnum sit & paruum eodem tempore: maxime sequens videtur, vt idem quoque ipsum contrarium fateamur. Sed vt quicquam sit, ipsum sibi contrarium fieri nequit; ergo nec magnum paruo contrarium esse potest, neque pauco multum. Quare etsi quispiam hæc non ad aliquid, sed quanta esse dicet, contrarium tamen nullum prorsus habebunt. Maxime autem quantitatis contrarietas versari circa locum videtur.

Superum

Superum enim infero contrarium ponunt, locum qui est in medio inferum esse dicentes, propterea quod medij ad fines ipsius mundi distantia maxima est. Ceterorum quoque definitionem contrariorum ab hisce afferre ac assignare videntur. quæ namque plurimum inter sese sub eodem genere distant, ea contraria esse dicuntur. Porrò autem, quanta magis ac minus esse non competit, vt bicubito; non est enim aliud alio bicubitum magis; neque in numero, vt tria magis quam quinque, tria vel quinque contrave dicantur. Neque tempus aliud alio magis tempus dicitur, neque in eorum vllo omnino quæ dicta sunt, magis minusve dicitur. Quanto itaque non magis ac minus esse competit, Proprium autem quantitatis est maxime, æqualitas & inæqualitas, vt hoc ęquale vel inæquale vnumquoque eorum, quæ rationem quantitatis subeunt, dicatur: vt corpus æquale ac inæquale, & numerus & tempus ęquale inæqualeve similiter dicitur; & de cæteris, quę iam dicta sunt, simili modo. Reliqua vero quæ non sunt quanta, non omnino æqualia ac inæqualia videbuntur, veluti dispositio æqualis inæqualisve non omnino dicitur, sed similis potius, atque dissimilis: & album itidem æquale inæqualeve, non omnino, sed simile dici atque dissimile solet. Quare quantitati maxime proprium erit, æquale ac inęquale vt dicatur.

ET naturæ & doctrinæ ordinem sequitur Arist. cum prius de quantitate quā de qualitate agit; naturæ quidem, quia maior est quantitatis quam qualitatis cū substantia coniunctio. Omnis substantia, quæ quantitatis est capax, prius natura prædita est quantitate, quam qualitate, quippe cū non nisi interuentu alicuius quantitatis qualitatibus saltum corporalibus afficiatur; Doctrinæ vero ordinem sequitur, tum quia superiori capite nonnulla de quantitate dixerat, quæ proximam videbantur quantitatis explicationem postulare; tum etiam, quia cum de omnibus pene attributis quantitatis c. superiori mentio sit facta, facilior iam nobis esse potest quantitatis quam qualitatis tractatio. Ordo autem doctrinæ a facilioribus quoad fieri potest ad difficiliora progredi solet. Porro huius capitis duæ sunt præcipuę partes. In priori traduntur species quantitatis: in posteriori eius attributa seu proprietates.

Quantum autem) proponit initio duas diuisiones, quibus colligit species huius prædicamenti. Prior est generis per differentias proximas, posterior per differentiam remotam, & per negationem eius, cō prehendentem omnes differentias oppositas, prioris sensus hic est. Quantitatum alia est discreta, alia continua. Accipitur enim verbum, quanti, pro quantitate, vt sæpe alibi vsurpantur concreta pro abstractis. Ex hac diuisione colligimus, duas species proxime subiectas generi summo: quæ quia proprijs vocabulis hactenus nominatæ non sunt, complexione vocabulorum generis & differentiarum quantitas discreta & quantitas continua appellari solent. Non definiuit autem Arist. quantitatem in communi: tum, quia eius institutū non est perscrutari in hoc libro rerum naturas, sed disponere res omnes in decem prędicamenta; tum etiam, quia ex ijs, quæ hoc capite dicentur, quantum huic loco satis est, facile id intelligi poterit, atque ijs de causis prętermissa est etiam in c. superiori definitio substantiæ generis summi.

Atque discretum.] Tradit duas species quantitatis discretæ & quinque continuæ: ubi iam licet intelligere, quantum pro quantitate acceptum fuisse; nec enim species hoc loco enumeratæ sunt quanta, sed quantitates.

Partium enim numeri.) probat numerum esse discretam quantitatem, seu separatam, vt eam appellat D. August. Quod autem sit quantitas discreta apertissimum esse indicat. Ratio videtur ex definitione quantitas discretę quasi ita dicat; Quantitas discreta est, cuius partes nullo communi, termino copulantur, numerus vero est huiusmodi: est igitur quantitas discreta

Minorem:

Minorem propositionem, quæ sola ponitur in contextu, probat Arist. in numero denario, ostendens nec duos quinarios, nec ternarium & septenarium vllo communi termino coniungi. Vsus est Aristo. hisce duobus exemplis, partium vt complecteretur omnium genera, quæ in quantitate cernũtur. Duo enim sunt genera partium, in quauis quantitate, vnum earum, quæ aliquoties sumptæ exæquant totum, vt unitas respectu numerorum omnium, quinarius respectu denarij & passus respectu stadij. Alterum illarum, quæ aliquoties sumptæ, nõ exequant totum, sed & deficiunt & superant, ut binarius respectu quinarij & septenarij, & ternarius atque septenarius respectu denarij. Priores dicuntur vulgo aliquotæ, posteriores non aliquotæ. Melius demetientes, & non demetientes. Ideo autem partes denarij non copulantur ullo termino communi, quia communis debet esse in primis quippiam indiuisibile: deinde æque pertinere ad partes quæ copulatur, nempe, vt principium vnius & finis alterius. Si igitur denarium diuidas in duos quinarios; vltima vnitas prioris quinarij, quæ est eius finis, etsi est indiuisibile quippiam, non est tamẽ principium quinarij posterioris; alioqui ex his partibus non denarius, sed nouenarius efficeretur, vt modo ostendimus: nec, si denarium in ternarium diuiduas & septenariũ, vltima vnitas ternarij est principium septenarij: sic enim, vt modo ostendimus, fieret ex illis nouenarius & non denarius. Quod si dicas, priorem quinarium cum posteriori, aut ternarium, cum septenario alia quadam interiecta vnitate copulari, iam effeceris undecim: quod idem obseruandum est in reliquis, quo fit vt nulla ratione in partes termino aliquo communi copulentur. Diuiditur porro numerus in parem & imparem, & vtrumque genus in infinitas species illud in binarium, quaternarium &cæt. hoc in ternarium, quinarium, &cæ. quanquam multis placet diuidi statim numerum in ternarium, binarium, & cæteras species numeri &c. sine alio medio genere.

Similiter & oratio.) probat orationem esse quantitatem & discretam quantitatẽ: & interim admonet, se non loqui de oratione, quæ in mente perficitur, aut scripta; vtraq; enim est qualitas, aut potius ex qualitatibus composita: illa ex multis nocionibus siue conceptibus, hæc ex multis literarum figuris, quæ ad prædicamentum. Qualitatis pertinent, sed de ea, quæ in voce consistit. Quod igitur oratio sit quantitas, ex quadam descriptione quantitatis tacite significatæ sic probat Arist. Quantitas est id, quod suis partibus metimur; at orationem metimur suis syllabis, est igitur oratio Quantitas. Hanc tamen definitionem ad finem capitis explicabimus. Quod vero sit discreta quantitas, eodem argumento ostendit, quo probauerat numerum esse quantitatem. Solet diuidi oratio in omnes species pedum, vt in dactylum, spondæum, Iambum & in cæteras, sed vtrum ea sit vera quantitas huc pertinens, ad finem capitis videbimus.

Linea uero) Ostendit statim lineam, superficiem & corpus esse quantitates continuas seu cohærentes, ut eas uocat D. Aug. Quod autem sunt quantitates, id apertius esse indicat, quam vt probandum putet. Probatio ducitur ex definitione quantitatis continuæ, est enim continua quantitas, cuius partes communi aliquo termino copulantur: partes autem lineæ copulantur puncto, partes superficiei linea, partes corporis superficie: sunt igitur quantitates cõtinuæ. Hæc vt intelligas, aduerte, quantitatem continuam diuidi proxime in continuã permanẽtem, quæ dicitur magnitudo & in continuam successiuam, quæ nomine caret. Permanentem uero distribui adæquate in lineam, superficiem, & corpus, tanquam genus in species, (nec enim locus inter species quantitatis ponẽdus est, vt docebimus) denique successiuam in tempus & motum: Nam & motus etiam inter species quantitatis numerari debet, vt postea perspicuum fiet, & in genere quantitatis discretæ poni non potest. Quod ergo ad speciem quantitatis continuæ ad permanẽtis attinet, illud animaduertẽdum est, earum omnium principium & originem esse punctum. Est autẽ punctus quippiam omnino indiuisibile habens situm in magnitudine. Omnino indiuisibile id dicitur, quod in nullas partes integrantes diuidi potest, atque hoc quidem habet punctus commune cum vnitate, cum instanti, cum termino communi partium motus, & cum quauis alia re, quæ caret partibus integrantibus ex quo fit vt hac ratione

differat

differat non modo ab alijs plerisque rebus sed etiam a quauis quantitate, siquidē omnis quantitas diuiditur in partes integrantes. Quod vero additur, (habens situm in magnitudine, distinguit punctum ab vnitate instanti & cæteris omnino indiuisibilibus quæ nullum certum situm in magnitudine obtinent: dicunt ergo Mathematici (id quod etiam Aristotele 1. libro de anima capitulo 4. Platonicis ascribit) ex fluxu puncti confici lineam, ex fluxu lineæ superficiem, & ex fluxu superficiei corpus. Nam si punctus, A. fluat ad punctum B, suique itineris vestigium relinquat, certe efficiet lōgitudinem quandam infinitorum punctorū participem, sed tamen & latitudinis & crassitudinis expertem, quam longitudinem vocamus lineam; si vero linea A.B. fluat dextram aut ad sinistram partem, ad puncta C. D. suique fluens vestigium relinquat, efficiet sane quandam latitudinem infinitarum linearum, ac proinde infinitorum punctorū in lineis existentium participem, sed tamen expertem crassitudinis, quam latitudinem vocamus superficiem: denique si tota superficies sursum eleuetur, aut seorsim deprimatur, verbi causa, si eleuetur vsque ad puncta E. F. G. suique motus vestigiū derelinquat, efficiet vtique crassitudinem quandam, nō modo infinitarum superficierum participē, sed etiam infinitarum linearū, quæ in quauis superficie cernuntur, & infinitorum pūctorum, quæ in qualibet linea spectantur, quam crassitudinem vocamus corpus. Quæ confictiones, etsi fictitiæ sunt & non veræ, vt physici ostendunt rem tamen ipsam ob oculos ponunt. His ita constitutis perspicuum est punctum, lineam, & superficiē duo officia habere posse in ea magnitudine, in qua existunt; vnum terminandi, alterum copulandi. Nam extrema illa puncta A & B terminant duntaxat lineam A. B. nihilque copulant. Quæ autem inter illa duo puncta extrema existunt, terminant simul & copulant proximas lineæ partes, vt punctus medius terminat & copulat vtramque dimidietatem: Similiter extremæ illæ quattuor lineæ, quæ claudunt descriptam superficiē terminant & non copulantur, quæ vero interiectæ sunt, inter primam lineam & extremam, terminant & copulant: eodemque modo extremæ sex superficies, quæ claudūt descriptum a nobis corpus terminant illud & non copulant cum aliquo alio corpore, sed tamen illæ, quæ inter infimam & supremam superficiem relinquuntur, terminant partes corporis, & eas inter sese copulant.

Ex ijs intelliges definitionem lineæ, superficiei, & corporis, quas affert Arist. 5. Metaph. lib. cap. 13. Linea seu longitudo, vt ipse vocat, est magnitudo ad vnum continuata, hoc est, ad solum punctum. Superficies seu latitudo, vt appellat, est magnitudo ad duo continuata, hoc est, ad lineam & punctum, quod in linea continetur. Corpus id est altitudo profunditasve vt vocat, est magnitudo ad tria continuata, hoc est, ad superficiem, ad lineam, quæ in superficie continetur, & ad punctum, quod in linea comprehenditur. Quia tamen superficies continuatur per se ad lineam, ad punctum uero per aliud, nempe, per lineam; & similiter corpus per se ad superficiem & superficiem ad lineam & ad punctum. planius & simplicius, definies ista hoc modo: linea est magnitudo continuata ad punctum, seu quod idē valet, cuius partes copulantur puncto superficies est magnitudo continuata ad lineam: corpus est magnitudo continuata ad superficiem.

Porro autem & tempus] Docet ex eadē quantitatis continuæ definitione, tempus esse quantitatem continuam. Partes enim temporis, nempe præteritum pręsens, & futurum copulantur instanti, quod & momentum & punctum temporis & signum appellatur, quo loco illud est animaduertendū, eo modo se habere tempus ad instans seu momentum, quo linea se habet ad punctū: ex quo fit, vt quemadmodum linea fingitur effici ex fluxu puncti, sic tempus fingi possit ex fluxu instantis, & fingitur apud Aristotelem 4. Phys. lib. c. 11. itemque vt partes lineę terminantur & copulantur puncto, sic partes temporis, momento; ut physici ibidem docent: vnde colligitur hęc temporis definitio. Tempus est quantitas successiua cuius partes copulantur instanti.

Verum cum nihil temporis habeamus pręsens, nisi instans: (quicquid enim temporis antecessit, iam non est; quicquid sequitur, nondum est) ipsumque instans non sit tempus, sed terminus communis temporis: videtur Arist. reprendendus, quod dixerit hoc loco dari tempus pręsens. Dicendum est tamen: darj reuera tempus pręsens, suo

tamen

tamen modo. Nam vt entia successiua existant, non opus est, vt simul existant omnes eorum partes; esset enim permanentia: sed satis est, si aliquis terminus communis, quo eorum partes copulentur, existat: exempli causa dicimus, nunc existere horam septimam ante meridianam; quæ iam incepit decurrere ex quo sonuit sexta: itemque hunc diem, qui est: itemque hunc mensem & hunc annum: eo quo nunc existat momentum, quod copulat horum omnium temporum partes, præteritum videlicet, & futurum. Ratio huius rei est: quia, quod iam incepit, & non desijt, ad huc existere dicitur, etsi non sit totum simul, non dicimus tamē existere nunc horam sextam, quæ iam audita est, nec diem hesternum, aut mensem, annumve elapsum: quoniam nullum existit nunc momentum, quo eorum partes copulantur: quod eodem modo dicendum est nunc de hora octaua, de die crastino, de mense ac anno futuro; quin etiam si nunc primum inciperet aut finiret hora, aut dies, aut mensis, aut annus; nullum tempus horum diceretur existere, quia in entibus successiuis, id quod incipit nondum est quod vero definit, iam non est.

Rursus & locus) probat locum esse quantitatem continuam in hunc fere modum, partes corporis occupantis locum, copulantur termino communi; Ergo & partes loci eodem termino communi copulantur. Verum dubitāt hoc loco interpretes, quod Aristot. loci vocabulo intelligat, anne superficiem concauam corporis continentis, siue ambientis rem, quæ est in loco, qualis est concaua superficies vasis continentis aquam, quam superficiem Aristo. 4. Physic. lib. cap. 4. verum locum esse existimat: an potius spacium, quod è quouis corpore occupatur, aut occupari possit, siue vacuum sit, siue plenum, qualis est intercapedo, quæ interiecta est inter latera vasis, & quoduis aliud spacium, etsi non circumscribatur ab aliquo alio corpore, vt spacium totius mundi. Qui priori modo contextum interpretantur, dicunt, partes loci non omnibus iisdem terminis communibus copulari, quibus copulantur partes corporis, sed quibusdam: illis nimirum, quibus partes corporis quoad totius superficiem externam copulantur, quot enim lineis copulantur partes externæ superficiei corporis locati, tot copulantur partes superficiei concauæ corporis ambientis locatum. Qui vero posteriorem loci significationem intelligunt dicunt non solum lineis, sed etiam omnibus omnino eisdem terminis communibus, quibus copulantur partes corporis locati, copulari etiam partes loci, nec tantum quoad superficiem externam, sed etiam quoad omnes superficies, & partes internas: nam, inquiunt, sicut corpus habet longitudinem, latitudinem & profunditatem, & quoad lōgitudinem copulatur punctis, quo ad latitudinem lineis, quo ad profunditatem superficiebus: sic cum spatium habeat easdē tres dimensiones, copulabitur etiam punctis, lineis & superficiebus, sicut corpus. Videtur autem accommodatior posterior expositio: primum, quia contextus vniuerse videtur loqui de partibus corporis, & quoad omnes terminos communes earum: deinde quia in contextu nomine terminorū communium, quibus partes corporis copulantur, videntur aut solum, aut præcipue intelligendi termini communes, quibus per se copulantur partes corporis: qui quidem non sunt lineæ, sed superficies, vt patet ex dictis: Partes autem loci priori modo sumpti non possunt copulari superficiebus, sed lineis, cum locus illo modo sit superficies, cuius terminus communis est, linea autem non superficies.

Eodem communi termino) Partes corporis iuxta priorem expositionem copulantur eodem specie termino communi, non autem numero. At iuxta posteriorem, sunt qui dicant eas copulari eodem numero termino, quod non placet: nam partes corporis & partes spatij non possunt eundem numero terminum communem habere, cū corpus locatum diuersum quippiam sit a spatio, in quo continetur. Potius ergo dicendum est partes corporis, & spatij copulari termino eodem coniunctione, seu per quandam correspondentiam quia vbicunque est communis terminus aliquis partium corporis, ibi est aliquis communis terminus partium spatij & contra.

Præterea partim) pertractata priori diuisione, posteriorē persequitē, q̄ vt intelligas, animaduerte duplicē esse sitū, seu positionē vt vocant. Vno modo situs dr̄ ordo partium in loco, quo pacto, sedere, stare, cubare, & quocunq; alio modo hic partes corporis: af-

fectus

fectus ad locum, dicuntur situs quidam; si quidem alium ordinem partium habet in loco is, qui sedet, alium, qui stat, alium, qui cubat. Verum hic situs ad aliud prædicamẽtum, quod situs appellatur, spectat.

Altero modo definitur situs ordo partiũ in toto, nulla videlicet ratione loci habita: quo pacto dicimus, hominis membra eum situm habere in corpore humano, vt caput per collum adhæreat pectori & humeris: ab humeris oriantur brachia, quæ desinant in summas manus, a pectore sequantur deinceps reliqua membra.

Esse autem late patens discrimen inter hunc situm & superiorem, ex eo patet, quia hic nõ mutatur mutato illo; siue enim quis sedeat, siue stet, siue quocunque alio modo permutet partes respectu loci, semper tamen eũdem situm partium respectu totius corporis retinebit. Atque hic quidem situs peculiaris est huic prædicamento, de eoque est sermo Arist. hoc loco. Aliter tamen ille definiendus videtur: quia definitio tradita conuenit collocationi partium temporis in tempore, & collocationi partium orationis in oratione, & partium numeri in numero: omnes enim huiusmodi partes habent ordinem in suis totis, vt fatetur Arist. in contextu, cum tamen nulla earum huiusmodi sitũ habeat. Situs ergo de quo hoc loco est, est ordo partium continuatarum & permanentium in toto, vbi cernis res cõditiones, quæ rationem situs conficiunt, nempe ordinem partium in toto, continuatiouem earum & permanentiam: Atque ordo quidem omnibus partibus quantitatis conuenit: & quidem de partibus numeri, orationis & temporis (quod pari ratione de partibus motus dicendum est) id plane affirmat Arist. in cõtextu, de partibus autem lineæ, superficiei, corporis, & loci, non dubium est, quin huiusmodi ordinem habeant; Reliquæ autem duæ conditiones simul iunctæ solis magnitudinum partibus accommodantur, lineæ videlicet, superficiei, corporis & loci. Temporis namque partes etsi sunt continuatæ, non tamen sunt permanentes: quod eodem modo dicendum est de motu: contra vero partes numeri etsi sunt permanentes: non tamen sunt continuatæ: partibus denique orationis vtraque conditio deest, & continuatio & permanentia: ita explicata est tota posterior diuisio, qua quantitatum aliæ dicuntur constare ex partibus situm habentibus, aliæ ex non habentibus; apertumque est, quæ quantitas in quo diuisionis membro comprehendatur. Si quis autem roget, quænam sit hæc diuisio; multi sunt qui dicant esse subiecti in accidentia; videtur tamen dicendum esse generis per quandam remotam differentiam & per negationem comprehendentem omnes oppositas differẽtias. Nam constare partibus habentibus situm, est differentia diuidens quantitatem continuam & constituens quoddam genus, quod Arist. 1. Metaph. lib. magnitudinẽ vocat, & in lineam, superficiem & corpus distribuit, vt superius diximus. Similis est hęc quantitatis distributio diuisioni substantiæ per animatum & inanimatum: comprehensis nomine inanimati omnibus differentijs substantiæ, quæ repugnant animato. Proinde diuisio hæc potest reuocari ad diuisionem generis per differentias. Hæc eadem sententia videtur D. Thom. 4 Phys. lect. 7. asserentis habere situm, seu positionem partium in toto, esse quandam differentiam quantitatis.

Sed ordinem habere.] Quoniam dixerat temporis, numeri & orationis partes non habere positionem: addit modo eas ordinem habere. In tempore namque & oratione (qđ etiam in motu intellige) perspicuus est ordo prioris partis & posterioris secundum naturam, quatenus vnitas vnica prior est, quã duæ: & duæ, quam tres: & sic deinceps, atque hos duos modos prioris & posterioris secundum successionem & secundum naturam tradit Arist. cap. 11. huius lib. quasi cõtinentes magis perspicuam & purgatã prioris & posterioris rationem.

Atqui hæc sola] Docet ea sola, quæ hactenus enumerauit esse quanta proprie, hoc est, per se, vt ipse inferius exponit, cætera vero si quæ dicuntur quanta non proprie seu per se, sed per accidens appellari quanta. Probatio est, quia hæc sola dicuntur quanta ratione sui, cætera omnia quæcunque dicuntur, quanta ratione eorum. Prior pars probationis solum innuitur in contextu, quoniam perspicua est; posterior autem perspicue ponitur, & varijs exemplis declaratur, in qualitate, in actione, & in motu.

Præterea quantitati.] Hęc est posterior pars huius capitis, in qua tradit Aristo. tria quantitatis attributa, quorum primum est,

quod

quod quantitati nihil sit contrarium, intellige per se & proprie, vt in 4. attributo substantiæ diximus. Nam per accidens aut improprie non dubium est, quin quantitati aliquid sit contrarium, vt superficies alba superficiei nigræ & magnitudo perfecta, vt viri, magnitudini imperfectæ, vt pueri: itaque sola illa contraria intelliguntur hoc loco, quæ vulgata illa definitione comprehenduntur, contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, quæ definitio 10. cap. huius lib. explicanda est. Est autem hoc attributum proprium secundo modo quantitatis, quia conuenit omnibus quantitatibus vt Arist. hic docet, non tamen solis, cum substantijs etiam conueniat, vt docuit cap. superiore. Primum igitur affirmat nihil esse contrarium quantitatibus definitis, hoc est, certa mensura determinatis, vt bicubito & tricubito, vnde nomine superficiei, quam in exemplum adducit, intellige bipedalem, aut aliam certam mensuram determinatam.

Nisi quispiam] Quod tamen quantitatibus indefinitis incertæve mensuræ aliquid videatur contrarium, hæc tacita ratione videtur ostendere. Multum & paucum, magnũ & paruum sunt quantitates indefinitæ & tamen sunt contraria; igitur quantitatibus indefinitis aliquid potest esse contrarium: hac eadem argumentatione vsus est Aristo. cap. superiori, nec tamẽ eam dissoluit, quia etsi recte concluderet, nihil tamen colligeret, quod eius loci doctrinam euerteret. Nunc autem necessario dissoluenda fuit: nã si recte concludere dicitur, non conueniat hoc attributum omnibus quantitatibus, qđ tamen Arist. non admittit.

At horum nihil.] Dissoluit argumentationem propositam negatione maioris, ostẽdens duabus rationibus, magnum & paruum non esse quantitates, sed potius relata. Prior est huiusmodi: Id quod non conuenit alicui rei per se & absolute, sed per comparationem ad aliud, non debet dici quantitas; nullæ autem res dicuntur magnæ & paruæ, multæ aut paucæ nisi comparatione aliarum: Ergo magnum & paruum, multum & paucum non sunt quantitates. Maior patet, quia quantitas est ens absolutum, ac proinde non cõuenit rei per comparationem ad aliud; minorem ostendit exemplis. Posterior ratio est huiusmodi: id cuius nomen signat relationem, habitudinemve ad aliud, est relatum & non quã tum; Atqui vocabula hæc, magnum & paruum, multum & paucum non significant quantitates, sed potius relationes: magnum enim significat excessum in quantitate comparatione parui, paruum item defectum in comparatione magni. Ergo magnum & paruum, paucum & multum non sunt quanta sed relata.

At obijcies hoc modo. Multitudo & magnitudo non sunt relationes, siquidem multitudo est numerus & magnitudo est quædam alia species quantitatis, vt docet Aris. 5. Metaph. c. 13. Ergo multum & magnum, quæ a multitudine & magnitudine denominatiue dicitur, nõ sũt relata, sed per se quã ta, quod etiam de pauco & paruo dicẽdum est. Respondendum videtur vocabula multitudinis & magnitudinis duobus modis vsurpari: vno vt verbum, multitudo, significet collectionem vnitatum, & magnitudo quandam quantitatem continuam permanentem: altero vt hæc nomina significant excessus in multitudine aut magnitudine, priori modo acceptis. Si ergo magnitudo & multitudo priori modo intelligantur, non dubium est, quin sint entia absoluta, quo pacto multum & magnum ab eis deducta non opponuntur pauco & paruo, cum quæuis collectio vnitatum sit multitudo, & quælibet quantitas continua permanens sit magnitudo. Si autem posteriori modo spectentur, illud certum est, eas esse relationes, quo pacto multum & magnum, quæ ab eis deducuntur, opponuntur pauco & paruo, siquidem omne excedens, vt excedens, opponitur deficienti. Quoniã igitur Arist. hoc loco accipit in argumentatione multum, vt opponitur pauco, & magnum vt opponitur paruo, necesse fuit, vt ea sumeret non vt deducuntur a multitudine & magnitudine, priori significatione acceptis, vt loco citato 5. Metaph. sed posteriori. Quo fit vt merito dicat hoc loco, ea non esse quanta sed relata: Quod idem intelligendum esse de longo & breui, lato & angusto, alto & humili & similibus, quæ in obiectione pari ratione assumi potuerunt.

Præterea siue) Soluit eandem argumentationem negatione minoris, ostendens duabus item rationibus, nec multum pauco, nec magnum paruo esse contraria, siue quis dicat ea esse quanta, siue non. Si enim quis

dicat

dicat ea non esse quanta, sed relata, sic conficietur prior ratio, id quod non est absolutum, sed relatum, non potest habere contrarium, non modo quod sit eius correlatiuum, nec aliud quodcunque relatiuum, atqui magnum & multum non sunt relata quædam: non possunt ergo habere contrarium. Causam probationis maioris hanc intellige, quia contraria, de quibus hoc loco sermo est, talia esse debet, vt recipi possint in eodem subiecto, ac proinde, vere seu per se produci in subiecto, quo pacto relationes produci non possunt, vt 5. lib. Phys. patebit. Si vero quis dicat ea esse quanta & non relata, sic conficietur posterior ratio si magnum & paruum essent contraria, eadem res susciperet simul contraria, sibique ipsa aduersaretur: vtrumque autem est absurdum; ergo & illud, ex quo vtrunque colligitur, quod idem non dicendum est de multo & pauco. Maiorem probat, quia eadem res eodem tempore est magna & parua respectu diuersorum. Ergo si magnum & paruum sunt contraria, eadem res simul contraria reciperet, sibique ipsi per huiusmodi contraria aduersabitur. priorem partem minoris probat, quia nec substantia quidem, cuius proprium est, vt sit contrariorum capax potest simul contraria suscipere. posteriorom ideo nō probat, quia perspicuum est, nullam esse rem, quæ interitū sibi moliatur, quod tamen faceret, si sibijpsi esset contraria. At dices, magnum & paruū non opponuntur respectu diuersorum, sed respectu eiusdem: Ergo etsi quis dicat, ea esse contraria, concedatque rem eandem esse magnum & paruum respectu diuersorū, non continuo cogetur fateri, rem eandem simul contraria suscipere, sibique ipsi esse contrariam. Responsio tamen facilis est: si enim quisquis ponant magnum & paruum non esse relata, sed solum quantitates, simulque dicat ea esse contraria, ut Arist. in posteriori ratione supponit, cum sæpe eadem res per eandem omnino quantitatem, verbi causa, vnius cubiti sit magna & parua cum diuersis rebus comparata, necessario concessurus est, eandem rem perfecte, simulque habere contraria, cum perfecte habeāt quantitatem vnius cubiti a qua nullo modo magnum & paruum differre ponitur.

Maxima autem quantitatis.) Iterum sibi ipsi obijcit, probatque quantitati aliquid esse contrarinm, hac ratione: Locus supremus & infimus sunt quantitates, ijdemque sunt contrarij: Ergo quantitati aliquid est contrarium. Maior propositio videtur perspicua ex hoc eodem cap. in quo locus positus fuit species quantitatis. Minorem vero duabus rationibus probat: primum quia locus supremus & infimus maxime distant. Deinde quia distantia aliorum contrariorum appellatur maxime distantia, propter similitudinem, quam habet cum distantia iefimi loci a supremo. Ergo maiori cum ratione locus supremus & infimus dicendi sunt contrarij.

Hanc obiectionem non perspicue dissoluit Arist. quia eodem modo dissolui potest, quo superior, nempe maioris aut minoris negatione. Locus enim supremus & infimus siue qua ratione loci sunt, siue qua supremus & infimus non sunt quantitates: nam qua ratione loci sunt ad nullum pertinent prædicamentum, si locus pro spatio accipiatur: aut ab hoc prædicamento reijciuntur, si accipiatur locus pro superficie externa continente locatum, qua vero supremus & infimus sunt relata, vt patet, non autem per se quanta. Quod vero non sint contrarij, vt hoc loco de contrarijs est sermo, primum quidem innuit Arist cum ait, (supremum enim infimo contrarium ponunt,) quasi ipse id non sentiat. Deinde vero aperte docet, cum ait, maximam distantiam quæ in vulgata definitione contrariorum ponitur ex distantia, quæ inter supremum & infimum locum cernitur, deductā fuisse. Quod si ex ea deducta fuit, & per similitudinem, proportionemve quandam nominata, perspicuum est, locum supremum & infimum in definitione cōtrariorum minime comprehendi, id quod sane verissimum est, quia in definitione contrariorum intelligitur distantia formalis non localis, vt cap. 10. huius lib. docebimus.

Porro autem) Alterum quantitatis attributum est, quantitatem non recipere magis & minus, quod quidem a multis dici solet proprium secundo modo, eo quod omnibus quantitatibus non tamen solis conuenire videatur. Quod enim alijs rebus conueniat, vtpote substantijs & ex cap. superiori perspicuum est. Quod vero conueniat omnibus Aristo. videtur plane asserere cum ait, [neque in eorum vllo omnino, quæ di-

cta

da sunt, magis minusve dicitur. Verum quia valde probabile est, quod Diuus Thomas, & alij graues authores dicunt; quando res, nulla suscepta aut detracta materia, rarescunt, aut densantur; eandem omnino quantitatem extendi, aut contrahi, nulla accedente aut decedente; potius dicendum videtur: longitudinem, latitudinem & profunditatem absolute acceptas admittere magis & minus; non quidem cum res fiunt maiores aut minores accessione aut decessione quantitatis, quod nunquam fit nisi accedente aut decedente materia, vt in accretione & decretione viuentium) sed cum fiunt maiores, aut minores, nulla addita aut detracta quantitatis portione.

Potest nihilominus hoc attributum dici proprium secundo modo; & si omnibus omnino non conuenit; quia saltem omnibus quantitatibus accommodatur, vt sumuntur determinatæ ac præfinitæ, vt lineæ bipedalis quatenus bipedalis est; & sic cæteris magnitudinibus: quæ quidem omnes sunt definitæ ac determinatæ in suis indiuiduis: & qua ratione tales sunt, non suscipiunt magis & minus. Quod si quis objiciat: has determinationes esse accidentarias magnitudinibus, etiam vt sunt in suis indiuiduis; igitur hoc attributum nō conuenire magnitudinibus, vt magnitudines sunt, & proinde non esse proprium secundo modo respectu quantitatis: Occurrendum est, multa propria secundo modo conuenire subiectis, per aliquod accidentarium, & non per se, vt esse nigrum coruo, & esse bipes hominis.

Proprium autem) Tradit extremum quātitatis attributum, quod nimirum æquales & inæquales dicantur, seu vt a quantitatibus res dicantur æquales & inæquales. Vocat autem Aristot. hoc attributum maxime proprium quantitatis, quia est proprium eius in quarto modo, vt plane significatur in contextu. Affirmat enim Aristot. omnibus & solis quantitatibus cōuenire; quod intelligendum est, secundum aptitudinem & semper, quæ est tertia conditio proprij quarto modo; sed de hac re postea differendū est.

QVID SIT QVANTITAS, QVAESTIO PRIMA.

SEx potissimū descriptiones ex Arist. colligere possumus, quibus quantitatis natura vtcunque declaratur, primam innuit ille dum probat orationem esse quantitatem. Quod enim inquit, quanta sit, ex eo patet, quod eam breui syllaba longaque metiamur, vnde possumus hanc quantitatis descriptionem elicere: Quantitas est ens, qđ suis partibus per se ac proprie mensuratur; diximus, (per se,) quoniam per accidēs substantia etiam, vt pannus, in suis vlnis mensuratur. Additum est, (ac proprie,) quoniā candor trium graduum etsi gradibus suis mensuratur per se, hoc est, intrinsecus, non tamen mensuratur proprie seu mensura extensionis. porro descriptio tradita solis finitis quātitatibus accommodatur: in qua verbum, (mensuratur,) secundum potestatem accipiendum est.

Alia descriptio colligi potest ex similitudine descriptionis, qua Aristo. quantitatem explicat, nēpe si dicamus: quantitatē esse id, quo aliquid dr̄ quantum, aut aliqua dicuntur aliquod, vt recentiores definiunt.

Tertiam descriptionē elicere possumus ex tertio attributo quantitatis in hunc modum. Quantitas est id, quo res æquales dicuntur aut inæquales.

Quarta descriptio elic potest ex lib. 5. Metaph. c. 13. vbi sic Arist. ait; Quantum id dicitur, quod est diuisibile in ea, quæ insunt scilicet in quanto ipso; quorum vtrunque ad vnumquodque, vnum quid & hoc aliquid aptum est esse. Ex qua descriptione, etsi ea nō videtur comprehendere nisi quātitates permanentes, elicere possumus hanc generalem: quæ etiā clarius & familiarius traditur; quantitas est ens per se diuisibile, in partes extensionis.

At dices, numerus non est diuisibilis, quia est per se diuisus (est enim discreta quantitas) nec item constat partibus extensionis, vt in eas diuidi possit, nec enim vnitates efficiunt extensionem, sed multitudinem; non conuenit igitur quantitatibus tradita quantitatis descriptio.

Huic argumento occurrendum est; non

posse numerum diuidi, vt habet esse extra intellectum; tantum abest, vt sit iam diuisus. Quanquam enim unitates, ex quibus numerus componitur a se mutuo sint diuisæ, id est, discretæ. non tamen sunt diuisæ a toto, seu quod idem valet, totius numerus non est in eas diuisus: nam vt quantitas aliqua diuisa dicatur, necesse est, vt peracta diuisione, partes, quæ separatæ fuerunt, non constituant eam quantitatem, quæ diuisa fuit: at uero numerus, vt habet esse extra intellectum, nunquam ita est affectus, vt unitates, quæ sunt eius partes, desinant ipsum numerum constituere; potest tamen di uidi numerus, vt apprehenditur ab intellectu; quemadmodum tempus a solo intellectu. Intellectus enim apprehendens unam partem numeri & relinquens aliam; scilicet apprehendens vna per se & se orsim, deinde aliam separatim diuidit numerum in suas partes. Quod autem obijcitur numerum non constare partibus extensionis, negandum est. Extensio enim non accipitur presse in definitione quantitatis tradita, vt vulnus accipit; vt pote pro extensione continuata duntaxat, sed pro discreta etiam; quæ est extensio multitudinis, quam quælibet vnitas alijs & alijs adiuncta efficit.

Quinta descriptio quantitatis, quæ desumi potest ex decimo eiusdem operis lib. cap. 20. huiusmodi est. Quantitas est mensura substantiæ intelligere proprie, seu q idem valet, quo ad extensionem. Cum dicimus substantiæ, intellige, etiam aut substantiarum; ne uidelicet excludas numeru; siquidem numerus non est mensura unius substantiæ, sed multarum.

Sed obijcies hoc modo. Vnitas est prima & præcipua mensura: vt patet ex eodem loco; aut igitur unitas est quantitas, quod falsum est, cum sit indiuisibilis: aut certe tradita definitio non conuenit solis quantitatibus. Respondendum est tamen duplicem esse mensuram; unam per repetitionem, quo pacto passus est mensura stadij, & palmus cubiti, & vnitas binarij: alteram per accommodationem, quo pacto stadium est mẽsura eius vitæ, quam unius stadij esse dicimus; & cubitus est mensura eius panni, qui unius tantum cubiti longitudinem habet: & binarius metitur res, quæ duæ nominantur; Prior uocatur per repetitionem, quia nisi iteretur, nunquam adæquabit totum id, quod metitur. Posterior autem per accommodationem, quia tanta præcise est res, quæ sub eam cadit, quanta ipsa est, non maior, nec minor. Quando ergo in descriptione tradita dicitur, quantitatem esse mensuram substantiæ intelligendum est de mensura per accommodationem, siue ea sit mensura per repetitionem, siue non.

Sexta denique descriptio, quæ has omnes naturæ ordine antecedit: & qua non vi detur alia prior nec melior, huiusmodi est. Quantitas est ens per se extẽsum. Vt enim nulla ratio substantiæ prior cernitur, quam quod sit ens per se existens, hoc est, existẽs non per aliud & proinde prębens omnibus quæ non per se existunt, existentiam, sic nulla videtur prior ratio quãtitatis, quam quod sit ens per se extensum, hoc est, extensum non per aliud, sed tribuens cæteris omnibus rebus, quæ extensionis participes sunt, extensionem.

Sintne plures ãn pauciores species quantitatis, quam quæ ab Aristotele traduntur.

QVAESTIO SECVNDA.

PAuciores videntur esse species quantitatis, quam quæ ab Aristotele numerantur. nam in primis oratio non videtur esse species quantitatis, quod sic probatur. In oratione nihil aliud cernitur, quod ad prędicamentum quantitatis pertinere videatur, vt species quædam a cæteris distincta, quam multitudo sonorũ, qui longi aut breues dicuntur, sed hæc multitudo non est species quantitatis, Ergo oratio non est numeranda inter species quantitatis. Minor probatur, nam multitudo sonorum, præter quam quod sit multitudo qualitatũ (pertinet enim sonus ad tertiam speciẽ qualitatis, vt postea patebit) quæ sunt longæ aut breues per accidens, & proinde quantæ per accidens ratione motus: est ẽt aggregatum quoddam per accidens, quod proinde in nullo prędicamento per se locum habet.

Secundo, locus non videtur esse species quantitatis saltem a superficie distincta: Ergo

go pauciores sunt species quantitatis, quã quæ ab Aristotele afferuntur. Antecedens probatur : nam locus & accipitur pro spacio, quod a corpore occupatur, vt ab Arist. hoc cap. sumitur: & pro superficie concaua corporis continentis, vt ab Arist. sumitur 4. lib. Phys. Si primo modo accipiatur, nullo modo est species quantitatis, aut alterius prædicamenti, cum spacium non sit ens, vt 4. Phys. patebit. Si secundo modo accipiatur, aut accipitur quatenus extrinsecus denominat rem, quam continet, aut qua ratione est superficies: si primo modo, pertinet ad aliud prædicamentum, vt postea patebit: si secundo, modo nõ est aliud, quam quædam superficies; Ergo locus non est peculiaris aliqua species quantitatis.

Quod uero plures sint quantitatis species, quam quæ ab Aristotel. traduntur, sic tertio loco ostendi potest. Motus est vera quantitatis species distincta ab aliis omnibus, quas Arist. recensuit. Ergo plures sunt species quantitatis. Antecedens sic suadetur, motui vt est continuus conueniunt omnes descriptiones quantitatis superius adductæ : Ergo motus vt est continuus, est quantitas. Non est autem quantitas permanens, vt linea, superficies & corpus; nec item est tempus, vt statim patebit; Ergo, vt est continuus est species quantitatis a cæteris distincta.

Hæc tamen quæstio hac assertione explicatur. Sex tantum sunt species quantitatis, numerus scilicet, linea, superficies, corpus, tempus & motus. Oratio uero & locus non sunt quantitatis species. Prior pars huius assertionis probatur : omnes descriptiones quantitatis superius traditæ uere ac proprie conueniunt sex speciebus numeratis: Ergo sunt vere ac proprie quãtitates, non indiuidua nec genera sũma, ut late patet; Ergo sunt ueræ species quantitatis. Antecedens inductione perspicuum erit ei, qui suprapositas quantitatis descriptiones percurrerit. Posteriorem vero partem orationem scilicet & locum non esse species quantitatis, priora duo argumenta initio proposita satis confirmant.

Vt tamen species quantitatis utcunque intelligantur, singula paucis perstringamus, atq; eo ordine, quo eas in proposita assertione recensuimus. Quod ergo attinet ad numerum sic potest definiri : Numerus est quantitas ex pluribus vnitatibus numeralibus cõstituta, scilicet hoc modo, est multitudo vnitatum numeralium. Quid autem sit unitas numeralis, & quo pacto numerus ex unitatibus numeralibus constituantur lib. 1. Metaph. docebimus.

Prætermissis vero linea, superficie & corpore, quæ in contextu definitæ sunt, quod attinet ad tempus, illud hoc loco animaduertendum est, ipsum duobus modis posse spectari; vno vt est duratio motus absolute accepta, altero vt est duratio motus definita & certa, vt seculum, & annus, mensis, dies & hora. Tempus ergo cum species quantitatis esse dicitur, primo modo accipiendum est : nam si secundo modo consideretur nõ est species quantitatis, quia tempus ita sumptum apprehensione animi designatur & definitur.

Sed quod attinet ad motum, animaduertendum est, quatuor modis potissimũ spectari posse, vno vt ab agente proficiscitur, quo modo ad prædicamentum actionis pertinet : secundo modo contra, vt in patiente recipitur, quo modo spectat ad Prædicamentum passionis : tertio vt est acquisitio formæ, seu ipsa forma, vt partim est acquisita, partim acquirenda, quo modo reducitur ad illud Prædicamentum, in quo ponitur forma, quæ acquiritur: quarto vt est continuus, quo modo est peculiaris species quantitatis. Hæc autem omnia in motu calefactionis cernere est. Nam calefactio primo consideratur, vt ab igne proficiscitur : secundo, vt in ligno recipitũ : tertio, vt est calor partim acquisitus, partim acquirendus, seu vt est acquisitio caloris : quarto vt habet quandam continuitatem. Motus ergo cum dicitur esse quantitatis species, quarto modo accipiendus est.

Sed tamen non immerito rogabis hoc loco, cur Arist. orationem & locum species quantitatis constituerit : motum vero tanquam quantum per accidens reiecerit. Dicendum est id propterea. Arist. fecisse quod eas tantum species hoc loco recensere uoluerit, quę suo tempore species quantitatis vulgo habebantur ; quæque apertam & vulgatam per se ferunt mensuræ rationẽ ; Et quia oratio & locus species quantitatis vulgo habeantur non autem motus, ideo motum & quantum per accidens reiecit, orationem vero & locum inter quantita-

tis rationem numerauit. Ad argumenta vero initio proposita concedendum est, nec orationem, nec locum esse quantitatis species; motum vero, vt continuus est, ueram speciem quantitatis esse. Et hæc ad hanc specierum qualemcunque explicationem dixisse sufficiat: accuratior enim earum explicatio, partim ad lib. tertium. & quartum, partim ad quintum Metaphysicorũ spectat.

Vtrum dici æquale & inæquale si maxime proprium quantitatis.

QVAESTIO TERTIA.

SVperest, vt videamus, num dici æquale aut inæquale sit maxime proprium quantitatis, vt ait Arist. hoc loco, hoc est, omnibus, quantitatibus, solis & perpetuo conueniat. Quod enim non omnibus accommodatur, probatur hoc modo: Si omnes quantitates nunc pereant, & vna tantum producatur & conseruetur deinceps, ea nec erit æqualis, nec inæqualis: Ergo fieri potest vt non omnibus quantitatibus conueniat hoc attributum.

Secundo nulli generi, nullique speciei quantitatis conuenit equalitas, aut inequalitas; Ergo non omnibus quantitatibus cõuenit hoc attributum: Antecedens probatur, quia nullum superius est æquale & inæquale suũ inferiori, cum ab eo non distinguatur re ipsa; quod tamen ad æqualitatẽ & inæqualitatem requiritur: Quantitas uero genus summum non potest conferri cũ quantitate aliqua, quæ non sit inferior ipsa, quantitas uero continua neq; est æqualis neque inæqualis discretæ, vt patet, nec item aliam reperies speciem cui cõueniat æqualitas & inæqualitas. Nam etsi species numerorum, inter se sint inæquales, nulli tamen sunt æquales, cum interim hoc attributum non disiunctim, sed copulatiue tradatur.

Tertio quod nec solis videtur conuenire, probatur hoc modo: Multa sunt, quæ nec sunt Quantitates, nec Quantitates denominantur, aut aliquid aliud si quantitas: quæ tamẽ trito vulgatoque sermone æqualia aut inæqualia dici solent, vt scientiæ dicuntur æquales & inæquales, artes, virtutes, & ipsæ etiam multitudines substantiarum separatarum; Ergo non solis Quantitatibus hoc attributum accommodatur.

Quarto pondus videtur proprie dici æquale & inæquale, cum reuera videatur mensura proprie dicta, aut ergo est quantitas, aut aliquid aliud. Si Quantitas, recte numeratæ sunt species Quantitatis quandoquidem pondus nulla est earum, de quibus hactenus mentionem fecimus. Si vero est aliud diuersum à quantitate, quod potius dicendum videtur: perspicuum est aliquid aliud, præter Quantitatem, dici æquale & inæquale.

Dicendum est tamen: hoc attributum esse proprium quarto modo respectu Quantitatis, omnibusque & solis ac perpetuo conuenire. Quod vt intelligat admonendum est, primo in hoc attributo accipiendum esse aptum pro potestate seu aptitudine, hoc est, dici æquale & inæquale, pro dici posse. Deinde admonendum est duobus modis res dici æquales & inæquales, vno per se, hoc est, non per aliud alterius prædicamenti, quo pacto ipsæ quantitates dicuntur æquales & inæquales.

Altero per accidens, hoc est, per aliquid aliud alterius prædicamenti, quo primo duo lapides vnius palmi, cum sint substantiæ, dicũtur æquales, per quantitates suas. Tertio loco admonendum, equalitatem & inequalitatem non accipi hoc loco, pro equalitate aut inequalitate Metaphorica aut trãslatitia, sed propria. Ea sunt propria equalia & inequalia que sunt quantitas proprie dicta, hoc est, extensionis, ea improprie, que sunt quanta, quantitate improprie dicta, idest, quantitate perfectionis, siue accidentarie, idest, essentialis.

His positis, dicendum est, hoc attributũ conuenire omnibus & solis quantitatibus ac perpetuo omnibus quidẽ ac perpetuo, quia non accipitur secundum actum, sed secundum potestatem: Solis vero, quoniam non accipitur per accidens, sed per se, & proprie. Ad primum igitur argumentum pro parte negatiua generis adductum adde, etsi quantitas illa, que sola poneretur, in rerum natura, nulli esset equalis aut inequalis, haberet tamẽ aptitudinem ad equalitatem & inæqualitatem. Ad secundum dicitur: generibus & speciebus qantitatis in casu non conuenire quidem ipsa mæ-

qua-


qualitatem & inæqualitatem; nec id esse necessarium, vt hoc attributum eis conueniat: sed tamen omnibus conuenire aptitudinem ad æqualitatem, & inæqualitatem, quæ aptitudo est propria quarto modo, respectu Quantitatis, & producitur ad actum vt extrema proprietas substantiæ in singularibus.

Ad secundum dicendum est: ea quæ non denominantur a proprie dictis Quantitatibus, & tamen dicuntur æqualia & inæqualia, etsi per se talia dicuntur, non tamen dici proprie sed per translationem, & similitudiuem quam habent cum Qunntitatibus. Nam quoniam intentio quantitatum est similis intentioni magnitudinum: & gradus entitatum, quæ in rerum essentijs inueniuntur, sunt similes numeris, vt ait Aristo. ideo quemadmodum magnitudines & numeri dicuntur æquales & inæquales; sic quodammodo quantitates, quo ad suas intentiones; & res omnes, quoad suas essentias.

Ad quartum dicendum est; pondus nec esse speciem Quantitatis: nec proprie dici æquale & inæquale, sed per translationem; primo quia Quantitas ponderis non consistit in extensione, quemadmodum nec quãtitas gradualis caloris, candoris, & aliarum qualitatum; quo fit, vt sit quantitas impropria & translatitia; Deinde, quia pondus nihil aliud est, quam grauitas, grauitas vero inter species qualitatis numeratur ab Aristotele 1. Metaphys. cap. 14.



SERIES QVANTITATIS.



CAPVT SEPTIMVM.

DE RELATIONE.



A vero dicuntur ad aliquid quæ id quod sunt, aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur, veluti duplum, id quod est alterius dicitur: duplum enim alicuius scilicet; & maius id quod est, alio dicitur maius; aliquo namque maius dicitur; similiter & cætera, quæ istius modi sunt. Sunt & hæc etiam ex hisce, quæ ad aliquid sunt, vt habitus, dispositio, scientia atque positio. Omnia enim hæc id quod sunt, aliorum esse, aut ad aliud aliquo alio modo dicuntur, & non aliud quicquam. Habitus enim cuiuspiam habitus, & scientia alicuius scientia, & positio alicuius positio dicitur esse, cæteraque simili modo. Ea igitur sunt ad aliquid, quæ id quod sunt aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur; ceu mons magnus ad aliud dicitur: ad aliquid enim mons magnus dicitur. Simile quoque cuipiam simile dicitur: & cætera etiam alia ad aliquid eodem modo dicuntur. Sunt autem & recubatio, & statio, & sessio, positione quædam, positiones vero ad aliquid sunt. Recubare autem, aut stare, aut sedere, positiones non sunt: sed a dictis positionibus denominatiue dicuntur. Est autem & contrarietas in hisce, quæ ad aliquid sunt; virtus namque vitio contrarium est, quorum vtrumque ad aliquid est, & ignorationi scientia. Non tamen vniuersis contrarietas inest: duplo namque & dimidio & similibus, contrarium est nihil. Videntur etiam ea, quæ sunt ad aliquid, & gradus suscipere, vt magis minusve talia sint, simile namque & magis & minus dicitur simile & dissimile, æquale & inæquale similiter, quorum vtraque ad aliquid sunt. Quippe cum simile cuidam simile, & dissimile cuidam dissimile, & inæquale cuidam inæquale dicatur. Non vniuersa tamen hanc subeunt legem, duplum enim non magis minusve dicitur duplum, neque quicquam talium vllum. Atqui vniuersa, quæ sunt ad aliquid, ad ea dicuntur quæ conuertuntur; seruus enim heri dicitur seruus, & herus serui dicitur herus: & duplum dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium, & maius minore maius; vt minus maiore minus dicitur; & in cæteris simili modo, quanquam interdum dictio casu differt. Scientia enim scibilis scientia, & scibile scientia sibile, & sensus sensibilis sensus & sensibile dicitur. Verum interdum conuersio fieri non videbitur, si ad id, ad quod dicitur, non accommodate fuerit assignatum, sed qui assignat, errauerit; veluti si ala auis fuerit assignata, non conuertitur, auis ala; non enim primo accommodate est assignata ala auis; Nam non hoc ala ipsius dicitur quo est auis, sed quo est ales: complurium enim & aliorum alæ sunt, quæ aues non esse constat. Quare si accommodate fuerit assignata, fiet conuersio sane, veluti ala alitis ala, & ales ala est ales. Atque interdum & nomen facere necesse est, si positum nomen ad quod accommodata fuerit assignatio nō sit: ceu si clarus nauigij assignabitur, non accommodata sit assignatio. Non enim eo clauus ipsius dicitur, quo nauigium est: Sunt enim naui-

gia.

gia, quorum claui non sunt. Sed forsitan accommodatior assignatio fuerit, si clauus clauati clauus, aut aliquo alio simili modo dicatur, non enim positum nomen est. Atque conuertitur, si accommodata fuerit assignatio: clauatum enim clauo est clauatū. Idem fuerit & in cæteris modus, velut caput accommodatius fuit assignatum: si capitati caput, quam si animalis esse dixerimus; non enim eo caput habet, quo animal est; complura namque animalium capite vacant. Hoc autem pacto facillime quispiam eorum nomina sumet, quibus nomina posita non sunt, si a propositis primū vocibus, etiam his imponat nomina, quæ cum primis conuertuntur: & in prædictis intueri licet ubi ab ala ales, & a clauo clauatum assignabatur. Vniuersa igitur ea quę sunt ad aliquid, si accommodate quis reddat, aa ea sane dicuntur, quæ conuertūtur. Nam si ad quoduis vnumquodque, & non ad id quod dicitur, assignetur, non fit sane conuersio; neque.n. quisquam eorū, quæ sine controuersia ad ea dicuntur, quæ conuertuntur, nomenque habent, conuertitur: si non ad id quod dicitur, sed ad accidentium aliquid assignetur. Velut si seruus non heri, sed hominis, aut bipedis, aut cuiuspiam similium fuerit assignatus, non fuerit sane conuersio: nam dici non potest, homo est serui homo: non enim accomodata est assignatio. Præterea si accommodate ad id quod dicitur fuerit assignatum, sublatis quidem cæteris omnibus quæ sunt accidētia, relicto autem eo solo, ad quod est assignatum accommodate, ad illud sane dicetur; ceu si seruus ad herum dicatur, sublatis quidem cæteris vniuersis quę accidunt hero, bipede inquam scientiæ susceptiuo, ac homine: relicto autem tantummodo hero seruus ad ipsum semper dicetur, seruus enim heri dicitur. Quod si non accommodate ad id, ad quod tandem dicitur, fuerit assignatum, cæteris quidem sublatis, eo vero solo relicto ad quod est assignatum, non ad ipsum sane dicetur. Assignatus enim sit seruus hominis, alaq; auis, atque ab homine herus auferatur, non ad hominem sane seruus dicetur. Nam cum herus non sit, neque seruus est sane. Similiter & ab aui ales auferatur, non vlterius ala profecto ad aliquid erit; si enim ales non sit, neque erit ala cuius quam. Quare quodque assignetur ad id, ad quod tandem dicitur accommodate, oportet. Atqui si sit quidem positum nomen, facilis assignatio fit; sin vero non sit, nomina fortasse ponantur necesse est. Quod si hoc assignētur modo, ea quæ ad aliquid sunt, vniuersa ad ea sane dicentur, quæ conuertuntur vt patet.

At vero ea quæ sunt ad aliquid, simul natura esse videntur: atque in plurimis quidem vera est hæc sententia, in quibusdam autem vera non est. Simul enim duplum est & dimidium: & si est dimidium duplum est, & contra, & si seruus est, herus est etiam: & si est herus, est etiam seruus; similiter & in cæteris. Quin & mutuo hæc interimunt sese; nam si duplum non est, dimidium non erit: & si dimidium non est, duplū non erit. Idem est & in cæteris modus quę rationis sunt similes. Non tamen in vniuersis quæ sunt ad aliquid, verum hoc esse videtur, simul inquam natura vt sint; scibile namque scientia prius esse videbitur. Plerunque enim rerum quæ antea sunt, scientias nos accipimus; in paucis enim, aut nulla in re prorsus, scientiam fieri quispiam cum scibili simul videbit. Pręterea si scibille tollatur, tollitur, & scientia: scientia vero si tollatur, non tollitur scibile. Nam si scibile non sit, scientia non est, nullius enim prorsus scientia erit. Scientia vero si tollatur, non tollitur scibile. Nam si scibile non sit, scientia nō est; nullius enim prorsus scientia erit. Scientia ve-

ro etiamsi non sit, scibile esse nihil prohibet, quadraticnis enim circuli etsi scibilis est scientia quidem animalis non erit: cum complura interim, quæ scibilia sint animalium existant. Sic & in sensu res sese habere videtur: sensibile enim antecedere sensum videtur; si sensibile namque tollatur, tollitur & sensus, at ipsum, si sensus auferatur, non tollitur. Sensus enim circa corpus & in corpore sunt, itaque sensibili sublato, corpus è medio tollitur: est enim & ipsum corpus sensibile. Si corpus vero non sit, etiam sensus aufertur. Quare fit, vt secum sensibile sensum auferat. At sensus secum sensibile non tollit: nam si animal tollatur, tollitur quidem sensus, sensibile vero non tollitur. Est enim sensibile corpus, vt calidum, frigidum, dulce, amarum, & cætera omnia, quæ sunt similis generis. Præterea sensus quidem cum sensitiuo simul emergit, nam vna cum animali, & ipse sensus efficitur. Sensibile autem est antea quam sensus sit ortus, est enim ignis, & aqua, cæteraque talia, è quibus animal constat, & antea quam sit omnino animal aut sensus: quare sensibile prius ipso sensu videbitur esse. Existit autem hoc loco dubitatio quædam vtrum nulla substantia dicatur ad aliquid, quemadmodum & videtur: an hoc in aliquibus substantijs secundis contingat, in primis namque substantijs verum est. Nam neque tota, neque partes ad aliquid sane dicuntur; quidam enim homo non dicitur cuiusdam quidam homo, neque quidam equus cuiusdam quidam equus. Et itidem in partibus; Quædam enim manus, non cuiusdam quædam manus, sed cuiusdam dicitur manus: & quoddam caput, non cuiusdam caput, sed cuiusdam dicitur caput. Eadem et in pluribus secundis substantijs dici possunt; homo namque non cuiusdam dicitur homo, nec equus alicuius dicitur equus, nec lignum alicuius dicitur lignum, sed alicuius possessio dicitur. Talia igitur patet, non ad aliquid esse. In quibusdam autem secundarum substantiarum est dubitatio: caput enim alicuius dicitur caput, & manus alicuius dicitur manus, & vnumquoque tale eodem modo dicitur; quare hæc videbuntur ad aliquid esse. Si igitur eorum, quæ sunt ad aliquid, definitio sufficienter est assignata, aut omnino est difficile, aut impossibile nullam substantiam ad aliquid esse ostendere: sin vero non sufficienter assignata est, sed ea sunt ad aliquid, quorum esse idem est ei, quod est ad aliquid aliquo modo sese habere, fortasse ad hæc aliquid dici potest. Prior autem definitio sequitur quidem ea, quæ sunt ad aliquid omnia, non tamen idem est, propterea quod ipsorum ad aliquid esse, est id quod sunt, aliorum esse dici. Ex his dicitur patet, si quispiam aliquid eorum, quæ sunt ad aliquid, definite scit simul, id, quod ad illud dicitur, definite sciet. Hoc autem patet quidem ex his ipsis. Nam si scit quispiam, hoc aliquid esse, est autem eorum, quæ sunt ad aliquid esse, idem ei, quod est ad aliquid, aliquo modo sese habere, & illud profecto sciet, ad quod hoc aliquo modo se habet. Si enim nescit omnino id, ad quod hoc aliquo modo se habet, neque si ad aliquid hoc modo se habet, sciet. Patet autem & ex singulis: nam si quispiam hoc scit definite duplum esse, & id cuius duplum est, continuo definite sciet. Nam si nudus definitum scit illud esse, neque si est duplum omnino scit: similiter & hoc si scit, definite præstabilius esse: & quo præstabilius est definite, ob hæc eadem ipsum scire necesse est. Nec indefinite sciet, hoc præstabilius esse deteriore: hæc enim opinatio est non scientia. Non enim exacte iam deteriore præstabilius esse sciet: nam si forte sic accidat, nihil est deterius ipso. Quare

patet

patit necessarium esse, vt quicquid eorum, quæ sunt ad aliquid quispiam definitè sciat, & id identidem ad quod illud dicitur, vt sciat. Fit autem vt caput, & manus & quæcunq; talium, quæ substantiæ sunt, id quod est ipsum definite sciatur, at non fit necessario, vt ad id, quod dicitur, definite sciatur. Cuius enim hoc caput aut cuius est manus, non fit, vt definite sciatur. Quare hæc non ad aliquid erunt. Quod si hæc non sunt ad aliquid vere dicere licet nullam substantiam ad aliquid esse. Difficile autem est fortasse de talibus vehementer asserere eum, qui non persæpe cogitationem in his posuerit. Circa tamen vnumquodq; ipsorum non inutile dubitasse.

QVanquam de qualitate prius quam de Relatione agendum videbatur; tum, quia qualitates sunt plurimarum relationum fundamenta, tum quia illæ dicuntur absolutæ, relationes vero comparatæ: ac fundamenta suapte natura priora sunt iis, quæ fundamentis nituntur, & absoluta comparatis tamen quia superiori in disputatione illa de magno & paruo, multo & pauco, nonnulla de relatis dicta sunt; quo absque longiori disputatione commode intelligi non poterant: doctrinæ ordo, qui perpetuo seruandus est, postulauit vt tractatio hæc non differetur longius. Tres vero sunt præcipuæ huius capitis partes. Prima continet definitionem relatorum, quæ tempore Arist. circumferebatur, eiusque explicationem. Secunda quatuor relatorum attributa. Tertia examen superioris definitionis, alteramque relatorum definitionem & cuiusdam attributi, quod iuxta eam relatis conuenit traditionem.

Ea vero dicuntur ad aliquid] Relatio respectus & habitudo, vt Dialecticis vsurpantur idem omnino sunt, ab eius vero abstractis deducuntur hæc concreta, Relatū, Relatiuum, & Respectiuum, quæ Aristoteles hoc loco appellat ad aliquid, definiuit autem relata potius quam relationes, quia concreta quam abstracta, notiora nobis sunt: id quod maxime in hoc rerum genere faciendum fuit, quia relationes adeo imperfectæ essentiæ rationem habent, vt pene nullam habere videantur. Definiuit etiam relata in plurali numero potius, quam in singulari, quia vt nullum relatum huius Prædicamenti sine altera existit, sic nisi cum altero intelligi non potest, vt omnes interpretes annotant.

Quæ id quod sunt] Hæc est vetus relatorum definitio, quæ uti Boetius aut Platonis esse creditur, loco generis ponitur illud, quæ, quo verbo, non modo essentia vera & realia, sed etiam quæuis alia intelliguntur, vt 1. lib. Metaph. c. 6. ostendemus, quę vero adduntur, id quod sunt,) seu ea ipsa quæ sunt, vt grecè habetur, idem valēt ac si dicas, secundum suas essentias & naturas, quæ denique adiunguntur) aliorum esse, aut ad aliquid alio modo dicuntur idem significat, ac si aperte dicas, relatione ad aliud in genitiuo casu, aut in aliquo alio explicantur, quia vero duo dici solent relatorum genera, vnum, quod vocant, secundum esse nempe horum quę ad hoc prædicamentum spectant, cuiusmodi sunt pater, & filius; alterum, quod vocant, secundum dici, vtpote eorum, quę ad alia prædicamenta pertinent, cuiusmodi sunt, scientia, habitus, & alia huiusmodi. Definitio hæc vtrumque genus complectitur, vt postea apertius dicimus.

Aliquo namque maius) Duo hæc exempla maioris & dupli genitiuo casu explicantur apud Aristo. verum in explicatione maioris non potuit latina versio, græco contextui respondere.

Sunt & hæc etiam] Superiora exempla pertinebant ad relata secundum esse, hæc spectant ad relata secundum dici. Habitus dicitur rei habilis habitus, dispositio res dispositæ dispositio, vt infirma valetudo, Scientia rei scibilis scientia, positio denique rei positæ positio, vt accubatio. Hæc, inquit, omnia ad aliud sunt & non aliud quicquam, hoc est, non sunt aliud, quam res quędam, quæ respectu alterius explicātur: quanquam ipsa earum natura & essentia, quæ declaratur, non in eo consistat, qđ aliud respiciat, cum sit simpliciter absoluta.

Ceu mons magnus) Relata omnia ab̄ sectenus adducta explacantur græce genetiuo casu,

tio casu, nunc addit Arist. ea, quæ alijs casibus declarantur, sine interuentu propositionis, vt magnum. Dicimus enim magnum ad alterum esse magnum sine vlla interiecta propositione, vt simile, quod alicui simile esse declaratur.

Est autem & contrarietas) Initio huius secundæ partis tradit Arist. duo attributa, quæ non proprietates, sed simpliciter attributa merito dicuntur ab omnibus interpretibus quia nec solis, nec omnibus conueniunt. Primum est, (habere contrarium;) secundum (admittere magis & minus.) Quod enim non omnibus conueniant, Aristot. in contextu aperte docet, quod vero nec solis, ex eo perspicuum est: quod multæ quantitates habeant contrarium, magisque & minus admittant, quæ tamen relata dici non solent, vt calor, frigus & huiusmodi alia, quæ non sunt relatiua. Nec probanda est eorum sententia, qui dicunt omnes qualitates esse relata secundum dici, eo quod adiunctam habeant relationem, qua explicari possunt, Siquidem vt sint relata secundum dici, non satis est, vt relatione explicari possint: sed opus est præterea vt soleant. Vnde Arist. 3. par. huius c. ait; hanc manum, & hoc caput non dici ad aliquid: quæ tamen rationibus explicari possunt: vt patet. At objiciet aliquis, Aristo. tradendo primo attributo secum pugnare; Negauit enim cap. superiori ea, quę sunt ad aliquid contrarium habere: at hoc loco affirmat, relata habere contrarium. Objiciet secundo: Ignoratione quæ in exemplo contrariorum afferre in contextu, non esse contrarium scientiæ, cum sit scientiæ priuatio. Tertio objiciet: falso dici in explicatione secundi attributi, simile & ęquale magis & minus admittere, inprimis, quia vt aliqua duo sint similia, necesse est vt habeant eandem qualitatem, non solum specie, sed etiam gradu: alioqui iam erunt dissimilia; Atqui vt sint æqualia, necesse est, vt neutris, quantitas deficiat aut superet, vt perspicuum est. Quod tamen non esset verum: si simile & æquale magis & minus admitterent, deinde quia ea sola proprie videntur, magis & minus accipere, quæ per se motum aliquo acquiruntur: ex quorum genere non sunt relationes vt ait Arist. 5. Physic. lib.

His tamen obiectionib. sic occurres. Primæ quidem; relata secundum esse non habere contrarium; iam docuisse Aristo. superiori c. nihil tñ prohibere, quin relata secundum dici, vt scientia & ignorantia, & quæ ex essentia sua relata non sunt, habeant cōtrarium, vt dicitur hoc loco. Quod tñ non intelligas ratione relationis (relationes n. non sunt inter se cōtrariæ) sed ratione eius quod formaliter significat, pertinetq; ad aliud prędicamentum. Secunde obiectioni occurrendum est, Ignorationem non accipi hoc loco ab Aristo. pro negatione scientiæ, qualis est in infantibus, aut priuatione, qualis est in rusticis & rerum ignaris, sed pro errore quo hi homines sunt imbuti, qua aliter sentiunt, quam res habet, quę ignoratio, prauę affectionis appellatur. Tertiæ obiectioni responde nō solum dissimile & inæquale, sed simile & æquale, modo aliquo magis & minus admittere. Id autem vt perspicuū fiat, sciendum est, quædam esse similia, quæ maxime proprie similia, sunt, alia minus quidem proprie, sed tñ proprie, non nulla vero omnino improprie. Primi generis ea sunt, quæ habent qualitatem eandē, non solum specie, sed etiam gradu. vt duo corpora æq; omnino candida. Secundi generis sunt ea, quę habent qualitatē specie quidem eandem, gradu tñ diuersam, vt duo corpora quouis modo cādida. Similia tertij generis, quæ improprie similia dicimus appellari, dicuntur ea, quę sunt parum dissimilia, vt candidum, & flauū, & alia huiusmodi. Aequalia aūt duobus modis aliqua dicuntur, scilicet proprie & improprie, Aequalia proprie dicta sunt ea, quorū quantitates ita sunt affectæ, vt neutra alterutū excedat, æqualia vero improprie & per abusionem, sunt ea, quę sunt parum inæqualia. Dicendum est ergo ad tertiam obiectionē ea, quæ maxime proprie similia sunt, & quę sunt proprie ęqualia nō posse admittere magis & minus, alia autem similia & ęqualia posse, si non per se, certe per alia, posita mutatione fundamenti. Nā licet relatio posset intendi sine fundamenti intentione; non tñ potest intendi sine aliqua fundamenti variatione, vt si vna tantum res candida nunc esset: & aliqua quæ prius esset nigra, fieret candida in vtraq; tum primum existeret similitudo, in ea quidem quæ erat nigra, generatione sui fundamenti: in ea vero, quæ erat alba, generatione sui arti, eodemq; modo si deinceps candor alterius intēderetur,

aut

aut amitteretur, ambę fierent similiores aut dissimiliores. Altera quidem mutatione cãdoris sui: altera autem mutatione candoris alieni. Ex quo patet: quid ad posteriorem tertiæ obiectionis partem sit dicendum, nimirum, non omnia, quæ admittunt magis & minus, motu aliquo & per se acquiri sed ea sola quæ per se intendi ac remitti possunt, cuiusmodi non sunt relationes.

A qui vniuersi) Tradit tertium relatorũ attributum, omnia scilicet relata dici ad ea quę conuertuntur, siue ad reciproca, h. e. explicari solere relatione ad ea, quæ vicissim explicari solent relatione ad ipsa; quanquã non semper eodem casu, ut in contextu patet. Conuenit autem hoc attributum non solum omnibus relatis, ut Aristo. hic affirmat: quod non solum intellige dictum de omnibus superiore definitione comprehensis, sed etiam solis ac semper, ac proinde est proprium quarto modo.

Ex his patet non esse in hoc attributo sermonem de reciprocatione prædicationis, quo pacto reciprocatur homo, & risus capax & omnino subiectum & propria affectio, nec de reciprocatione mutuæ consecutionis, qua etiam enunciationes, quæ dicuntur conuerti, aut æquipollere, reciprocantur, nec de reciprocatione mutuæ relationis, quia hęc est relatorum natura & non attributum, sed de reciprocatione mutuę explicationis, ut dictum est.

Verum interdum] docet aliquando non fieri reciprocationem, quia non recta traduntur ea, ad quæ relata ipsa referuntur: id quod in alia & aue, in clauo & nauigio, in capite & alijs perspicue ostenditur, sunt n. quæ alias habent, ut apes & uespertiliones & aliæ huiusmodi animantes, quæ volant: nec tamen sunt aues. Cymbæ etiã, quibus transmittuntur angusta flumina, nauigia sunt, & tamen clauo non reguntur, denique cancri, ostrea, & id genus alia capite carent, cum tamen animalia sint. Addit tamẽ Arist. ut recte designentur ea, ad quæ relata proprie & uere referuntur, facienda nõnunquam esse noua nomina; idque facile esse si ex altero relato, quod iam nominatum sit alterius nomen deducatur, vt si ex clauo dicas clauatum, ex capite capitatum. Sunt quibus hoc præceptum non placeat, ijs nempe qui nimis superstitiose respiciunt verba omnia, quæ uulgata & consueta non sunt. Aduersus quos non tantum est Arist. hoc loco, sed etiam Cic. ut patet, lib. 3. de finib.

Nec enim quicquam) Probat argumento a maiore, in relatis quibus nulla nomina ex altera parte respondeant, non fieri reciprocationem, nisi aperte correlatiuum exprimatur, argumentum est: Quia in ijs quæ, omnium consensu reciprocantur, nominibusque suis notata sunt, reciprocatio non cernitur, si explicatio non fiat comparatione proprij correlatiui, sed alicuius, quod ipsi accidat. Vt si seruus non cum hero, cum quo conferendus est, sed cum homine comparatur, non fit reciprocatio: Nam etsi quodammodo ferendum sit, quod seruus, dicatur hominis seruus, falso tamen dixeris, hominem esse serui hominem. Ea v. Aristo. hoc loco correlatiue accidere dicit, quę de illo dicuntur, nec tamen sunt illud ipsum formaliter, verbi gratia, accidentia heri ad quem refertur seruus, sunt omnia, quæ dicuntur de hero, nec tamen sunt ipse seruus formaliter ut homo & bipes, & cætera omnia: etiam si alioqui pertineant ad rationem formalem heri, vt esse relatum.

Præterea si accommodate] Tradit generale documentum certè memoriæ mandandum, quo intelligere possimus, sitne rectè designatum correlatiuum. Documentum est huiusmodi, si recte designatum est correlatiuum, sublatis ab eo omnibus, quæ ei accidunt, eoque solo relicto, adhuc fiet reciprocatio, si verò non fiet, non est recte designatum, vtraque autem documenti pars exemplis illustratur in contextu.

At vero ea, quæ] Tradit quartum relatorum attributum vtpote, quod sint simul natura, ea nimirum significatione, quæ inferius cap. 12. definiuntur hoc modo, simul natura sunt ea, quæ existendi causa reciprocantur, nec tamen alterum, vt alterum existat, causa est: quæ definitio duas complectitur conditiones: vna quæ in contextu explicatur, vt alterutro posito, alterum ponatur necessario, & alterutro sublato, alterum necessario tollatur, altera, quæ hic non exprimitur, ut neutrum, sit causa alterius. defectu prioris conditionis animal & homo non sunt simul natura, quia posito homine necessario ponitur animal, & sublato animali tollitur homo nec tamen vicissim, posito animali continuo

ponitur

ponitur homo, aut sublato homine, tollitur animal. Defectu posterioris conditionis, homo & risus capax non sunt simul natura, quia etsi reciprocatur homo, tamen est causa ridendi facultatis: Hoc igitur attributum docet Arist. conuenire relatis comparatione eorum, ad quæ referuntur Et quidem quod solis conueniat, omnes fatentur, nec Arist. de ea re sollicitus est, num primo conueniat omnibus, ambigunt multi: verũ Aristot. aperte hoc negat, atque adeo late probat, non omnibus conuenire: quo fit vt sit proprium respectu relatorum omnium, quæ superiori definitione continentur.

Non tamen in uniuersis] Duobus exemplis ostendit, non omnia relata esse simul natura: alterum habet in scientia & scibili, alterum in sensu & sensibili. Docet igitur primum duabus, rationibus, scientiam & scibile non esse simul natura. Prior ratio est, quia scibile est prius tempore, quã scientia: [in paucis enim,] vt inquit, aut in nulla re prorsus scientiam simul cum scibili fieri quispiam videbit,] quia scibile ante eam scientiam est, quia ipsum cognoscimus. Addit particulam [in paucis,] propter arte facta respectu primi inuentoris, ante cuius scientiam nulla eorum indiuidua esse possunt, sed tunc primum fiunt, cum inuenior illis efficiendis modum aliquem scientiamque excogitabit. Adiecit tamen, [aut in nulla re prorsus,] quia Arist. mutat naturam & ex rebus naturalibus efficit, quicquid efficit, ex quo fit, ut etiam omnia arte facta, quo ad ea, ex quibus fiunt, & quorum mutatione fiunt, ante scientiam primi inuentoris sint.

Præterea si scibile.] Posterior ratio est, qua ostendit scientiam & scibile non esse simul natura, quæ huiusmodi est. Si tollatur scibile, necessario tollitur scientia, si tamen scientia tollatur, non necesse est tolli scibile: Ergo scibile est prius scientia, ac proinde non sunt simul natura. Antecedens probat duabus rationibus. Prior est, quoniam si scibile non est (subaudi nec unquam fuit (non erit quoque scientia eius, quippe cum scientia non comparetur nisi his rebus, quæ aut fuerunt, vt dictum est; si tamen scientia non sit, nihil prohibet esse scibile. Nam quadratum circuli potest cadere sub sciẽtiam, vt dicũt Geometræ; & datur reuera in rerum natura quadratum æquale circulo: nec tamẽ eius rei quisquam hactenus scientiam est assecutus. Posterior quoniam sublato animali, atq. ita sublata omni scientia, quæ in solo animali est, quamplurimæ res, q̃ sub scientiam cadunt, manere possunt, vt celi, elementa ac reliqua mixta: at omni re scibili sublata, atq. ita sublato animali nulla scientia manere potest. Quo loco duo animaduertẽda sunt; Vnum est, scire quadratum circuli nihil aliud esse, quam dato certo circulo, designare certum quadratũ, q̃ adæquate tantum habeat aream, quantam habet circulus datus; idq. ostendere euidẽti demostratione. Quod quidem hactenus sæpe tentatum, a nemine inuentum est: etsi multi & magni uiri in ea re plurimum operæ & studij posuerint: quanquam Boetius ait, suo iam tempore inuẽtum id fuisse. Alterum est, cũ Arist. ait, si tollatur animal, tolli omnem scientiam: nomine sciẽtiæ accipi pro humana duntaxat: & verbum, [tollatur,] quo ad corpus, & animũ intelligendum esse: alioquin post mortem animalis manent scientiæ in animo, qui nõ perit cum corpore; & manerent scientiæ in angelis, si animus etiam humanus diuina potestate periret.

Sic & in sensu) Duabus itidem rationibus ostendit: sensum & sensibile non esse simul natura. Prior ratio est: quia si auferatur omne sensibile necessario aufertur sensus: cum tamen si sensus auferatur, non tollantur de medio ea omnia, quæ sensibus subiecta sunt: quorum vtrunque perspicue ostendit in contextu.

Præterea sensus) Posterior ratio est. quoniam sensus simul oritur cum animali, in quo solo vis sentiendi cernitur; res autem, quæ sensibus percipiuntur, vt verbi gratia, quatuor elementa, ex quibus animal cõstat, ante sunt quam animal nascatur.

Existit autem) Hæc est tertia pars cap. in qua Arist. vt ostendat definitionem eam relatiorum, quam priori c. posuit non esse omni ex parte absolutam: aliamq. tradit perfectiorem: hanc quæstionem excitat, Verum aliqua substantia ex eorum numero sit, quæ cum aliquo conferuntur. Quod enim nulla sit, facile ostendi potest, quia si qua substantia huiusmodi esset, accidens

utique

demque ratione in subiecto esset & non esset, quo posito, quis non videat, perturbari, permiscerique prædicamenta, quæ tamē distinctionis causa inuenta, sunt. Quod vero aliquod substantiæ ad aliquid referatur ex definitione veterum initio tradita confirmatur. Nam etsi primæ substantiæ & earum partes integrantes huiusmodi nō sint, quia explicari nō solent relatione ad aliud nec item secundæ substantiæ completæ, tamen quædā secundæ incompletæ, cuiusmodi sunt mēbra animaliū, vt caput & manus sub communi ac vniuersali ratione sumptæ videntur ad aliquid referri, quia relatione ad aliud explicantur: Dicimus enim caput capitati caput esse, & alā alati, quod ipsum in cæteris huiusmodi generis vsurpari solet, ex quo efficitur, vt si definitio illa relatorum initio ca. tradita bona sit, quędam substantiæ vt manus, & caput ad aliquid referantur.

Si igitur] Ex proxima quæstione ostendit veterum definitionem esse reijciendam, id quod hac ratione concludit. Si definitio illa est recte tradita, & sola illa complectitur, quę per se ad hoc Prędicamentum spectant, effugere non possumus, quin concedamus aliquas substantias ad hoc genus pertinere, at hoc est absurdum, non est igitur definitio illa recte tradita. Vtraque propositio ex ijs, quę paulo ante diximus, perspicua est.

Sin vero non sufficienter) Refutata veterum definitionē suam hoc loco affert Aristo. ex qua docet dissolui posse propositam quæstionem, vt infra patebit. Definitio est hæc. Relata sunt ea quorū esse idem est ei, quod est ad aliquid, aliquo modo sese habere. Cum audis, ea, intellige, entia, quod vero sequitur, (quorum) esse idem est: &c. idem ualet, ac si dicas, quorum essentia ea, est; quod denique sequitur, ad aliquid, idē est, quod ad aliud, & ad alterum. Quo fit vt non ponatur idem in definitione sui.) Quod autem adiungitur, (aliquo modo:) significat variam respiciendi rationem quę varijs casibus exprimitur. Quod deniq; additur, (sese habere,) nihil est aliud, quam respicere, quod quidem est effectus formalis relationis, non secus ac lucere, est effectus formalis alis lucis, & candere effectus formalis candoris. Itaq; sensus est; Relaxa realia, quæ per se ad hoc Prædicamentum pertinent, ea sunt, quorum nulla est alia essentia, quam quod ad aliquid referatur.

Cæterum referri, duobus modis contingit, aut proxime aut remote. Proxime id refertur, quod habet correlatiuum ex aduerso sibi respondens, quo modo pater refertur ad filium, & dominus ad seruum, & hoc simile ad illud simile. Remote uero id refertur, quod non habet aliquod correlatiuum ex aduerso sibi respondens, sed refertur ad terminos relatorum; quę sub ipso continentur, qualia sunt relatum, genus summum, simile in communi, & omnia relata eiusdem appellationis in communi accepta. Nam relatum in communi non habet aliud relatum in communi, ad quod referatur, quia darentur duo genera summa in hoc prædicamento, quod nulla ratione est concedendum; Refertur tamen ad terminos inferiorum relatorum, vt ad patrem & filium, ad filium per patrem, & ita in cæteris. Itaque relata sunt, ex quorū essentia est referri ad aliud proxime aut remote, verum de hac re late agendum est 1. Metaphysi.

Prior autem definitio) Quia uideri alicui potest nihil aut perparum interesse, inter superiorem definitionem, quam reprehendit & hanc suam, quam statuit, docet, quatenus ambæ conueniant, & quid inter se differant. Conuenientia est, quod superior complectatur omnia uera relata, & per se, quemadmodum posterior, discrimen uero est, quod in priori ea dicuntur ad aliquid, quæ id, quod sunt, aliorum esse dicuntur, hoc est, quæ relatione ad aliud explicari soleant, etiamsi per se ipsa, suas vè essentias non referantur. In posteriori ea definiantur, quorum esse non est aliud, quam quod ad alia referantur, quibus uerbis comprehenduntur, quę per se ipsa, siue per suas essentias referuntur. Itaq; priori definitione non solum ea comprehenduntur, quæ ad hoc prædicamentum per se spectant: cum sola hæc in posteriori contineantur.

Ex his igitur) Colligit è definitione a se tradita hanc relatorum proprietatem. Si quid eorum definite cognoscatur, id etiam ad quod refertur definite cognosci necessario. Quæ proprietas plane recurrit cum relatis ad hoc Prædicamentum pertinentibus; Arist. tamē nihil aliud probat hoc loco,

quam

quam quod conueniat omnibus, id quod ex definitione tradita sic colligitur. Essentia eorum, quæ sunt ad aliud, est in eo posita, vt ad aliquid referantur, vt ex definitione patet; Ergo si quis definite intelligat rem aliquam ad aliquid referri, id etiam ad quod refertur definite intelligat necesse est, (Si enim, inquit, nesciat omnino ac definitè id, ad quod res refertur, nec illud reuera ac definite intelligit, an ad aliud referatur.) Ita patet ex definitione: omnibus relatis hoc conuenire, vt si quid eorũ definite certevè cognoscatur, id etiam ad quod refertur certe intelligatur necessario, quod de cognitione essentiæ & existentiæ copulatiue intelligendum est. Si quis enim definite & certe cognoscit essentiam cuiusuis relati, definite etiam intelligit essentiam eius ad quod refertur, quod illud definite certovè intelligat existere. Necesse est quoque certo cognoscat existere id, ad quod refertur. Vnde colliges attributũ hoc non conuenire relatis transcendentibus: quoniam etsi cognitio relatorum essentiæ transcendentium haberi non possit, sine cognitione essentiæ suorum terminorum, secus tamen est de cognitione essentiæ, Possumus enim certo cognoscere scientiam tonitruum existere in nobis, cum non scimus certo tonitru existere, & sic in cæteris. Aduerte quoque nomine cognitionis in hoc attributo intelligendam esse cognitionem veræ essentiæ, iuxta verbum, esse in definitione positum, quod quidem pro vera essentia siue reali accipitur. Ex qua conditione intelligis non conuenire hoc attributum relatis rationis, nec etiam fictis rebus: quia talia non habent veram essentiã.

Fit autem vt caput]Ex proprietate relatorum, quam ex definitione a se tradita collegit, dissoluitq; quæstionem superius propositam, quæ ex definitione veternm dissolui non potuit. Solutio est, quod manus, caput & aliæ huiusmodi substantiæ non sunt ad aliquid simpliciter ac per se: qualia sunt omnia, quæ in posteriori definitione comprehenduntur: eo quod vt infinite intelligantur, non sit necesse definite intelligi, quorum respectu explicari consueuerunt. Id autem ita esse ostendit in singularibus, in hoc capite, & hac manu, ex quibus in cognitionem capitis & manus venire possumus in communi. Si quis enim, obleuato aliquo corpore detegat manum aut caput, iam manus eius, caputve definite cognoscetur, non definite cognito toto, cuius est, eiusmodi manus ac caput. Ita patet dissolutam esse quæstionem ex definitione tradita mediate, tamen: quanquam immediatè posset etiam dissolui. Nam cum huiusmodi scientiarum esse non sit ad aliud referri: perspicuum fit ex ipsa sola definitione eas non esse simpliciter, ac per se relata.

Quænam relata ad hoc Prædicamentum pertineant.

QVÆSTIO PRIMA.

Qvod omnia relata ad hoc Prædicamentum pertineant, sic videtur ostendi. Omnes relationes pertinent ad hoc Prædicamentum: igitur omnia relata, siquidem relata per relationes ipsas ad prædicamenta redigi debent. Antecedens ex eo probatur; quod ratio relationis in communi, vtpote esse id, quo aliquid refertur ad aliud, æque atque vniuoce videtur conuenire omnibus relationibus. Præterea omnia relata, quatenus relata sunt, nullum aliud esse habent: quam quod ad aliud referantur. Igitur omnia relata, qua relata sunt, comprehenduntur in posteriore definitione ab Arist. tradita. At Arist. ea definitione complecti voluit ea sola, quæ per se ad hoc prædicamentum spectant; Igitur omnia relata pertinent ad hoc prædicamentum.

Vt hæc quæstio explicetur, exponendum est in-primis, quid sit relatio, quid relatũ, quid correlatiuum, quid extremum, quid fundamentum, quid ratio fundandi, quid terminus, quoniam his vocabulis passim in hac materia vtendum est.

Relatio est id, quo aliquid formaliter refertur, vt æqualitas, similitudo, paternitas, & alia huiusmodi: cum audis, [quo] aliquid refertur,] intellige proxime aut remote. Nam etsi hac æqualitate aliquid referatur proxima æqualitate: tamen in communi nihil refertur nisi remote, vt inferius patebit. Additur (formaliter,) quia fundamentis quoque relationum nonnunquam res dicuntur referri: non tamen formaliter, sed fundamentaliter. Verbi causa, duæ res æqua-

æquales suis quantitatibus dicuntur æquales, verum non formaliter, quasi ipsæ quantitates ex natura sua sit æqualitates, sed fundamentaliter, quia ipsæ quantitates sūt fundamenta æqualitatum.

Relatiuum seu relatum, late accepto vocabulo, est id, quod explicari solet relatione ad aliquid: siue talis relatio pertineat ad eius essentiam, siue non pertineat; ut pater, qualitas & quale, & alia huiusmodi. pater enim explicatur relatione sibi essentiali ad filium, qualitas autem describitur habitudine ad quale, & quale habitudine ad qualitatem, ut patebit & cap. sequenti, cum interim neutra habitudo ad essentiam eorum, quæ describuntur, pertineat.

Correlatum est relatiuum, quod cuique relatiuo ex altera parte respondet, exempli causa; Pater est correlatiuum filij & filius patris. Quanquam autem omne relatiuum sit correlatiuum, & omne correlatiuum, relatiuum: differunt tamen consideratio, vt patet ex dictis.

Extremum quod etiam subiectum dicitur, est id, quod a relatione denominatur, vt hic homo, qui est pater: & ille, qui est filius: sæpe tamen extremum appellatur subiectum, improprie tamen, quia non solum substantiæ denominantur a relationibus, sed etiam quantitates, & qualitates & alia pleraque. Dicimus enim duas quantitates esse æquales, duas qualitates similes, duo relata opposita, & sic cætera omnia: cum interim solæ substantiæ proprie dicantur subiecta; nonnunquam tamen ipsa correlatiua dicuntur extrema, eo quod interea fiat reciprocatio.

Fundamentum est id, quod extrema est causa cur referatur: Sic quantitates sunt fundamenta æqualitatis & inæqualitatis: qualitates similitudinis & dissimilitudinis vis gignendi paternitatis & alia huiusmodi; Sæpe tamen fundamenta & extrema idem omnino sunt: Vt duæ quantitates, & duæ qualitates, & duæ quælibet essentiæ diuersæ: quippe quæ non solum denominantur a relationibus, sed etiam sibi ipsis sunt causæ, vt referuntur, quod idem in alijs plerisque rebus accidit.

Ratio fundandi, quæ passim fundamentum proximum appellatur, est cōditio quędam, sine qua relatio non sequitur fundamentum: verbi causa, vnitas quantitatis est ratio fundandi, seu fundamentum proximū æqualitatis, quia, nisi quantitates sunt vnum secundum speciem alicuius certæ, & determinatæ dimensionis, non erunt æquales inter se: Eodem modo dicimus, vnitatem qualitatis esse fundamentum proximū similitudinis, & actionem gignendi paternitatis, & sic in cæteris.

Terminus, vt hic sumitur, est id, ad quod relatiuum directe ac primo refertur: vt filius est terminus respectu patris, quia pater, qua ratione est pater, directe ac primo refertur ad filium Differt autem terminus a correlatiuo: quis ad rationem termini nihil refert, sitne absolutum, an relatiuum, vt autem sit correlatiuum, necesse est vt sit relatiuum.

His positis, operæ pretium erit percurrere ea, quæ circumferri solent relatorum genera, vt quæ ad hoc prædicamentum pertineant, quæque ab eo reijciantur videamus, solent igitur relata communiter diuidi in relata trascendentia, & relata secundum dici, ac secundum esse: rursumque in relata rationis & realia: denique in mutata & non mutata. Relata transcendentia (vt Caietanus docet 1. par. quæstio. 77. ar. 3. in libro de ente & essentia cap. 2. quæst. 15.) sunt ea, quorum esse est referri ad aliud, vt ad causam sui esse, quo pacto refertur scientia ad scibile, & Philosophia naturalis, ad ens naturale, & sensus ad sensibile, & visus ad colorem, & accidens ad substantiam, & materia ad formam naturalem. Dicuntur transcendentia, quia in omnibus generibus rerum inueniri possunt, vt materia & forma in substantia, scientia & sensus in qualitate & sic in cæteris. Relata secundum dici latè quidem accepta iuxta priorem relatorum definitionem sunt ea, quæ aliorum dicuntur: presse tamen assumpta, & vt distinguuntur à relatis secundum esse, & transcendentibus, dicuntur ea, quæ hac sola ratione in relatorum numero habentur, quod aliorum dicantur, seu quod relatione ad alia sibi accidentaria explicari soleant, ut ala, quia dicitur alati ala, & caput, capitati caput: Ac priori quidem modo illud secundum dici non est particula diminuens, sed posteriori, quo tamen pacto fere semper à Dialecticis vsurpari solet. Relata secundum esse sunt ea, quorum esse est ad aliud referri, vt ad terminum tātum,

hoc

hoc est, non vt ad causam sui esse, veluti, duplum, dimidum, maius minus, pater & filius,& reliqua similia. Relata rationis sūt ea, quorum relatio pendet ad operatione intellectus, vt prædicatum & subiectum & huiusmodi alia, nūquam enim res, quæ prædicantur & subijciuntur sese respiciunt vt prædicata & subiecta, nisi aliqua intellectus operatio interueniat, vt patet. Relata realia sunt ea, quorum relatio non pendet ab operatione intellectus, vt maius, & minus, pater & filius,& similia.

Ad internoscēdas autem relationes reales à relationibus rationis tria documenta obseruanda sunt. Primum est, non potest relatio realis actu exerceri inter duo extrema; nisi ambo sint realia, re omnino distincta,& vere existentia. Defectu primæ conditionis nulla est relatio realis, inter non entia, vt inter cæcitatem, & surditatem,& inter entia rationis, ut inter intentiones generis & speciei & inter entia ficta, vt inter Chimeram & minotaurum, nec inter ens & non ens, vt inter visum & cęcitatem, & in summa inter quæuis alia, quæ non sint entia realia. Defectu secundæ conditionis intelligimus, identitatem numeralem non esse realem: item inter animal, & hominem, actionem & passionem, & inter quæuis alia, quæ solum formaliter differunt, non esse relationem realem. Intelligimus etiam relationem totius ad quamlibet partem, ex qua constitutum est, non esse realem, quia totum etsi differt re à qualibet sui parte, non tamen omnino differt, re ab illa, nempe tanquam res a re omnino à se distincta, cum in compositione totius includatur pars, partes tamen ipsæ potuerunt referri mutuo relatione reali: si re & specie sint distinctæ. Nam alioqui partes, quæ componunt aliquod vnum per se, non censentur omnino distinctę. Defectu tertię conditionis non est relatio realis inter entia realia non existentia, vt inter Iudam & Antichristum: nec item inter res existentes, vt inter homines, qui nunc existunt, & eos, qui diem obierunt, aut nondum nati sunt.

Alterum documentum: Non potest relatio realis, actu exerceri inter duo extrema: nisi eius fundamentum sit reale,& re distinctum a fundamento relationis, ex altera parte respondeat.

Ex priori conditione colliges, nullam aptitudinem, quæ sit in repugnantia esse fundamentum, relationis realis, cum negatio repugnantiæ non sit ens reale. Quapropter si quando philosophi dicant aptitudinem aliquam esse fundamentum alicuius relationis realis, accipiendum est nomen aptitudinis pro facultate aliqua reali vt cum dicimus, potentiam generandi.

Relata mutua sunt ea, quæ ex vtraq; parte sunt realia, aut ex vtraq; parte rationis; vt patet, in patre & filio, prędicato & subiecto, Relata non mutua sunt ea, quę ex altera parte sunt realia, & ex altera rationis, vt creaturæ,& creatoris. Nam relatio creaturæ est realis,& relatio creatoris rationis, qd idem accidit ex parto Dei, quomodocunq; ipse refertur ad creaturas. Vnde relatio vnionis humanæ naturæ cum Verbo diuino, est realis, sed relatio vnionis diuini Verbi cum natura humana est rationis. Solent præterea diuidi relata in relata æqualis cōparationis, & inæqualis comparationis seu disquiparentiæ, quę rursus diuiduntur in digniora, & minus digna, ut explicatum est lib. 2. inst. Dialect. cap. 13.

His ita positis; ad quæstionem propositam dicendum est; nec relata secundum dici, nec relata transcendentia, nec denique relata rationis pertinere ad hoc prædicamentum, sed sola & omnia relata secundū esse & non transcendentia, siue sint mutua siue non mutua. Quod relata secundum dici non pertineant ad hoc Prædicamentum probatur: quoniam non sunt relata per se, vnde fit, ut non dicant formaliter relatione, sed aliquid absolutum; at vero id, quod formaliter absolutum est, non ponitur in hoc Prædicamento. Quod vero relata transcendentia ad hoc prędicamentum non pertineant, ex eo etiam suadetur, quoniam hæc formaliter & simpliciter sunt res absolutæ, vt scientia & sensus, quæ ad Prædicamentum qualitatis spectant, materia & forma substantialis, quæ ad Prædicamentum substantię reuocantur & sic de cœteris. Quod autem relata rationis non pertineant ad hoc Prędicamentum perspicuū est, cum ens, quod in Prędicamenta distribuitur, sit ens reale. Quod denique reliqua omnia relata ad hoc Prędicamentum spectent, ex eo patet, quod cętera omnia sint entia per se realia finita & completa:

nec

nec tamen ad alia Prædicamenta pertineat vt inductione perspici potest: Ita patet, quænam relata ad hoc Prædicamentum pertineant, & quænam ab eo reijciantur.

Restat ergo vt ad argumenta initio proposita respondeamus. Ad primum dicendũ est, non omnes relationes pertinere ad hoc prædicamentum, quoniam nec transcendentes, nec quæ rationis dicuntur; spectãt. Cum autem obijcitur definitionem relatorum in communi, nimirum esse id, quo aliquid ad aliud refertur æqne & vniuoce, cõuenire omnibus relationibus, negandum est. Nam verbo, id, intelligendum est ens in communi: quod quidem non vniuoce complectitur entia realia & rationis, & referri ad aliud, duobus modis in hac descriptione iutelligitur, & vt ad causam sui quo pacto referuntur relata transcendentia, & vt ad terminum tantum, quo pacto non referuntur relata transcendentia, qui quidem duo modi non vniuoce conueniunt in vna respiciendi ratione.

Ad secundum, negandum est omnia relata, quatenus relata sunt, late accepto nomine relatorum, nullum aliud esse habere, quam quod ad aliud referantur. Hæc enim etsi vere dixeris de relatis secundum esse, non est tamen dicendum de relatis secundum dici. Ex quo patet, relata secundum dici, non comprehendi in posteriori relatorum definitione, vt argumentum concludebat. Num autem comprehendantur non solum relata secundum esse huius prædicamenti, sed etiam transcendentia atque rationis, quæstio est. Illud tamen dicendum videtur; posteriori definitione non comprehendi omnia relata secundum esse, sed ea tantum, quæ sunt realia, & non transcendentia. Nam relata rationis reijci possunt per particulam [quorum esse] si verbo [esse] intelligamus veram essentiam seu realem, quam non habent relata rationis. Relata vero transcendentia reijcienda sunt per particulam, ad aliquid, quæ in definitione ponitur, si dictio, aliquid se aliud sumatur pro termino tantum; quod si dictum sit relata ea esse, quorum essentia realis est referri ad aliquid, vt ad terminum, quo pacto non referuntur relata transcendentia, vt patet ex dictis.

Attributa.

1. Habere contrarium.
2. Admittere magis & minus, quo nullo modo sunt proprium.
3. Dici ad ea, quæ conuertuntur, conuenit omnibus & solis.
4. Esse simul natura, quod conuenit solis & non omnibus.

Vnde duo priora attributa vllo modo sunt propria Tertium est proprium quarto modo. Quartum vero est proprium primo modo, cum conueniat solis, & non omnibus. Quintum est esse simul cognitione, quod est etiam proprium quarto modo, cum conueniat omnibus, solis, & semper.





SERIES RELATIONIS.



- Relatio
  - *eiusdem appellationis*
    - *Similitudo* — *hęc*
    - *Æqualitas* — *aut illa*
    - *Distantiæ* — *& cæt.*
  - *diuersæ appellationis*
    - *dignior*
      - *paternitas*
      - *dominatio*
    - *minus digna*
      - *filatio*
      - *seruitus.*



CAPVT OCTAVVM

DE QVALITATE.





Valitatem vero dico, qua quales quidam dicuntur. Est autem qualitas ex hisce, quæ multis modis dicuntur. Atque vna quidem species qualitatis, habitus dispositioque vocetur. Differt vt habitus dispositione; nam magis permanet, atque diuturnior est. Tales sunt ipsę scientiæ & virtutes. Scientia namque ex eorum numero videtur esse, quę permanent, & cum difficultate dimouentur, etiam si quispiam mediocriter scientiam acquirat, nisi magna mutatio vel à morbo, vel alia quapiam de re simili fiat, similiter, &

virtus

virtus, vt iustitia, tẽperantia, & quæcunq; tales haud facile dimoueri, mutari vè ui dentur. Dispositiones autem eæ sunt, quæ faciliter dimoueri, mutariq; possunt; vt caliditas, frigiditas, morbus, & quæ sunt hisce similia. Nam his ipsis homo aliquo modo disponitur & facile quoq: mutatur ex calido frigidum subiens, & ex valetudine morbum, & in cæteris etiam simili modo. Nisi & harum ipsarum aliqua ob diuturnitatem versa iam in naturam sit, dimoueriq; nequeat, aut summa cum difficultate mutari possit: quam quidem hac ratione quispiam habitum iam nuncupauerit. Patet autem, ea homines habitus dicere velle, quæ sunt diuturniora, neq; dimoueri facile possunt, eos enim, qui sententias non aduodum tenent, sed eas amittere facile possunt, habitum habere non dicunt: ea licet scientia aliquo modo deterius meliusve dispositos videant. Itaq; sic a dispositione habitus differt, vt illa facile dimoueri possit, habitus autem diuturnior sit, & cum difficultate moueatur. Sunt autem habitus quidem & dispositiones, dispositiones vero haud necessario habitus sunt. Qui namq; habent habitus, ij aliquo modo etiam disponuntur, at qui disponuntur, ij non omnino & habitus habent. Aliud autem qualitatis genus est, quo ad luctam aliquos, aut ad cursum, aut ad sanitatem, aut ad morbum aptos esse dicimus: & simpliciter ea, quæ per potentiam naturalem, impotentiamve dicuntur. Non enim quicquam horum ex eo dicitur tale, qui aliquo disponitur modo: sed quia naturalem potentiam habet, vt facile quippiam aut faciat, aut non patiatur. Vt ad pugillatum cursumve apti, dicuntur ideo non quasi rerum earũ facultatem iam aliquam teneant, sed tantum quia naturalem aut vim, ant imbecillitatem facile aliquid faciendi habeant; Sic apti sanitati, qui vim naturalem haud facile obnoxiam, morbidi contra, qui obnoxiam facile, seu, quia vi non facile obnoxia careant, dicuntur. Eiusdem generis est & durum ac molle, durum enim ex eo dicitur, quia potentiam habet, vt nõ facile diuidatur, molle autem ex eo, quia eiusdem habet impotentiam, Tertium qualitatis est genus, qualitates passiuæ ac p. ssiones, quæ quidem talia sunt: vt dulcedo, amaritudo, & ea, quæ sunt generis similis; Caliditas præterea, frigiditasq; & albedo atq; nigredo, has igitur qualitates quidem esse, perspicuum esse videtur. Eamq; quæ hæc susceperunt, qualia sanè dicuntur, vt mel ex eo dicitur dulce, quia dulcedinem suscepit, & corpus etiam album, quia suscepit albedinem, similiter & in cæteris res se habere videtur. Qualitates autem passiuæ dicuntur non ideo quod ea, quæ susceperunt, passa aliquid sunt, neq; enim mel ex eo, quia passum aliquid est, dulce dicitur, neq; cæterorum talium quicquam; Similiter & calidatas, & frigiditas non ex eo passiuæ qualitates dicuntur, quia ea, quæ susceperunt aliquid passa sunt, sed quia quæq; qua itas dicta, passionis in sensibus est efficax. Dulcedo namq; passionem quandã in gustu facit, & caliditas in tactu, & cæteraq; simili modo. Albeo autem & nigredo, cæteriq; colores, non eodẽ modo qualitates passiuę dicuntur, sed quia a passione sunt factę. Nã quod per passionẽ mutationes complures colorum fiant, certum est. Puduit.n. quempiam, atq; erubuit: & timuit quispiam: atq; palluit. Quare si quispiã etiam natura talium passionum, incursumve aliquid subijt, similẽ colorem, veri simile est illũ habere: Quæ namq; nunc, dum pudet, dispositio circa corpus emersit, eadem, & in naturali constitutione dispositio fieri potest, vt & color natura similis fiat. Quæcunq;

igitur affectionum talium initium ab aliquibus sumpserunt passionibus, quæ permanent, cum difficultateq; dimouentur, passiuę qualitates dicuntur. Siuę enim in naturali constitutione pallor aut nigredo sit orta, qualitas dicitur. Nam circa eadē quoq; dicimur quales: Siue ob diuturnum morbum, aut calorem hæc eadem acciderint, modo non facilè dißoluantur, aut per vitam permaneant, qualitates sane passiuæ, & ipsæ dicuntur, cum hisce similiter quales dicamur. Quæ vero ab hisce fiunt, quæ facile dißoluuntur, passiones dicuntur, non qualitates, non enim per hasce quales dicuntur. Neque enim erubescens, ob verecundiam rubeus, neq; pallens, ob timorem pallidus appellatur: Sed aliquid passus potius dicitur esse, quare paßiones hę res, & non qualitates dicūtur. Similiter & in anima qualitates passiuæ, pasſionesq; dicuntur. Quæ enim in generatione continuo a passionibus quibusdam, quę sine difficultate dimoueri non possunt, orta sunt, ipsa quoque qualitates dicuntur: vt insania, iracundia, & quæ sunt similis generis: quales enim ob hęc ipsa dicuntur: vt iracundi atque ipsam. Similiter & quæcunque mentis egressiones non naturales, sed a quibusdam alijs casibus factæ sunt, quæ aut sine difficultate dimoueri non poßunt, aut omnino immobiles sunt, qualitates itidem, & hæ dicuntur, quippe cum hisce quales dicantur. Quæ vero ab hisce fiunt, quæ facile dissoluuntur, atq; expirant, passiones dicuntur: veluti si turbatus quispiā, iracundior fuerit; non.n. iracundus dicitur qui tali in perturbatione iracundior est, sed potius aliquid passus dicitur esse, quare passiones talia, non qualitates dicuntur. Quartū qualitatis genus est, figura, & ea, quæ circa vnumquodq; est forma, & insuper rectitudo, & curuitas, & quicquid est hisce simile, horum enim vnoquoq; quale quippiam dicitur. Ex eo namque, quia triangulus, aut quadratum, quippiam est, quale quid dicitur, & quia rectum identidem est, aut, curuum. Forma etiam quodq; dicitur quale. Rarum autem, & densum, & asperum, atque leue, quale quidem significare quidam videbuntur, a qualitatis tamen diuisione remota esse videntur. Partium enim potius positionem videntur quandam significare. Etenim densum quidem, ex eo quippiā est, quia partes ipsius subijpsis propinquæ sunt: rarum autem ex eo, quia a sese distant. Leue etiam est ex eo, quia recte partes sunt sitę, asperum vero ex eo, quia quędam partium eminentes, quędā humiles sunt. Atque forsitan quidem, & alius quispiā. Qualitatis modus videbitur esse, qui tamen maxime dici solent, tot fere sunt. Ea igitur, quę diximus, sunt. Qualitates, vt patet. Qualia vero sunt ea, quę denominatiuè ab ipsis, aut alio aliquo modo dicuntur. In plerisq; igitur quin potius fere in omnib. denominatiue dicuntur, vt ab albedine albus, a Musica Musicus, & a iustitia dicitur iustus, & in cęteris simili modo. Sed in quibusdam ex eo, quia non sunt nomina qualitatibus posita non fit, vt ab ipsis denominatiue dicantur: vt apeus ad luctam, aut ad cursum, qui quidem naturali potentia talis dicitur a nulla. Qualitate dicitur denominatiue. Potentijs enim hisce, quibus hi quales dicuntur, non posita nomina, sicut artibus, quibus militares, aut cursores ob dispositionem dicuntur sunt. Militatis enim dicitur ars, & curiosa, atque ab his, ij qui disponuntur denominatiue dicuntur. Interdum etiam est positum, & qualitati nomen, non tamen id, quod ipsa quale dicitur, nomine illius denominatiue dicitur. A virtute namq; honestus quispiam dicitur ex eo sane, quia virtutem habet, sed non denominatiue

dicitur à virtute. Non tamen in multis idipsum fit. Ea igitur qualia dicuntur, quę a dictis qualitatibus denominatiuè, aut alio aliquo modo dicuntur. Atqui contrarietas in qualitate esse videtur. Iustitiæ namque, contrarium est iniustitia, & albedini nigredo, & cætera eodem modo. Ea etiam quæ ab ipsis qualia dicuntur contraria esse videntur, vt iniustum iusto, & nigrum albo. Non tamen in omnibus hoc esse videtur. Flauo enim, aut fusco, aut talibus coloribus, quæ quidem sunt qualia, nihil est contrariũ. Ad hęc si contrariorum alterum qualitas est, & reliquũ omnino qualitas erit. Hoc autem ita esse, patet ex singulis prædicamentis. Nam iustitia contrariũ est iniustitię, atq; iustitia qualitas est, est & iniustitia. Nam cęterorum prędicamentorum neq; quantum neq; ad aliquid, neq; vbi, neq; aliorũ quicquam omnino, nisi qualitas iniustitiæ accommodatur. Eadem & in cęteris, quę sunt in qualitate contrarijs dici possunt. At vero qualia ipsa gradus suscipiunt, ac magis talia, minusve dicuntur: album enim aliud alio magis, minusve dicitur, & iustum alio magis minusve. Et ipsa etiam intentionem suscipiunt: fit enim vt albũ albius se euadat. Non tamen omnia, sed plurima conditionem hanc subire, videntur. Nam dubitauerit quispiam, si magis minusve iustitia dici possit, & de dispositionibus etiam cęteris simili modo. Sunt.n. qui de talibus contendunt. Iustitiam namq; iustitia, aut sanitatem sanitate magis minusve dici debere, haud omnino dicunt. Sed aliud sanitatem iustitiamve, aut grammaticam, aut id genus dispositionem magis, aliud minus habere, concedunt admodum. Attamen ea, quæ hisce qualia dicũtur gradus sine controuersia suscipiunt, magisq; talia, atq; minus dicuntur. Iustior n. & sanior alius alio dicitur, & in cęteris simili modo. Triangulus aũt, & quadratum cęteræq; figuræ non videntur talem conditionem subire. Nam ea quidem, quæ trianguli rationem circuliq; suscipiunt trianguli similes, & circuli sunt omnia. Eorum vero, quæ rõnem hanc non suscipiunt, nihil alio magis, minusve tale dicetur. Non.n. quadratum magis, quam altera ex parte longius, circulus est, quippe cum neutrum circuli subeat rationem. Atque simpliciter si non subeant ambo propositi rõnem alterum vero magis tale, minusve minime dicitur. Non ergo omnia qualia gradus suscipiunt, vt magis talia, minusve dicantur. Eorum igitur, quæ dicta sunt, neutrũ proprium. Qualitatis esse videtur: similia aũt, dissimiliaq; per qualitates solas dicuntur. Simile.n. quippiam cupiam nulla alia profecto ratione esse videtur, q̃ ea qua quale est. Quare propriũ Qualitatis erit hoc ipsam simile, ac dissimile dici. Non aũt perturbari oportet, si quispiam nos duxerit de qualitate tractantes, cõplura eorum, quæ sunt ad aliquid, cum qualitatibus ipsis enumerasse. Habitus.n. & dispositiones ad aliquid esse dicimus. Etenim in omnib. fere talib. genera quidem ad aliquid esse dicuntur, singulari vero nihil. Scientia namque, quæ quidem est genus, hoc ipsum, quod est, alicuius dicitur esse: cuiusdam enim scientia dicitur, singularum vero scientiarum nulla idipsum quod est, alicuius dicitur esse. Vt Grammatica non dicitur alicuius Grammatica; neque Musica cuiuspiam Musica, nisi generis ratione, ad aliquid, & ipsa dicantur. Grammatica enim alicuius scientia dicitur, non alicuius Grammatica, & Musica cuiusdã scientia non cuiusdam Musicæ. Quare singulæ nõ sunt, vt patet, ad aliquid. At quales singulis his dicimur, quippe cũ & has ipsas habeamus. Scientes enim ex ea dicimur, quia singularum aliquas

ſcientiarum habemus. Quare ſingulę erunt qualitatibus quibus, & quales qui eas habent, dicuntur. At hæ non ſunt ad aliquid, vt diximus. Preterea ſi quid idem, & quale, & ad aliquid ſit in vtriſque pſum generibus collocari, enumerarique haud abſurdum erit.

PEracta diſputatione de relatis: prius de qualitate & quali, quã de cæteris Prędicamentis diſſerit Ariſtoteles quod cetera oĩa magis remota ſint a natura ſubſtantiæ. Idcirco autem non tantum de Qualitate, ſed etiam de quali videtur diſſerere: quoniam tradere debet quoddam attributum huius Prædicamenti, vtpote ſuſcipere magis & minus, quod qualibus potius (quo ad logicam conſiderationem attinet) quam qualitatibus conuenit. In prima igitur parte huius capitis late diſſerit Ariſt. de qualitate eiuſque ſpeciebus, in ſecũda de quali in tertia tradit tria huius prædicamenti attributa, in quarta & extrema quandam dubitationem diſſoluit.

Qualitatem vero dico) Deſcribit Qualitatem per eius effectum formalem utpote per quale, eo quod apud nos qui rerũ ſciẽtiam ex ijs quæ ſenſibus ſubiecta ſunt, comparamus, effecta quam cauſæ notiora ſunt. Adhibet etiã in deſcriptione hominis, (id enim ſignificat particula quidam) quia omnium qualitatum genera in hominibus cernuntur, cum & ſpiritu conſtent & corpore, non modo ſibi vendicant qualitates ſpirituales, ut prudentiam, iuſtitiam, & alia huiuſmodi, ſed etiam corporales vti robur, figuram corporis & cæ. huiuſmodi; ita tamen meminit hominum, vt eorum nomine velit intelligi res omnes, quæ dicuntur quales. Innuit ergo hanc deſcriptionẽ; Qualitas eſt id, quo res dicuntur quales. Loco generis intellige ens reale, per ſe cõpletum, finitum &cæ. qua particula excluduntur omnia entia rationis & per accidens, ac differentiæ, quibus ſpecies conſtituuntur, & reliqua, quę talia entia non ſunt. Cum audis, qua, intellige formaliter: quo verbo reijciuntur ea, quibus res dicuntur quales efficienter, vt ignis, quo res dicuntur calidæ, & ſol, quo dicũtur pulchræ &c. Cum vero additur, (dicuntur quales:) intellige propria ac peculiari quæſtione Qualitatis. Nam etſi omnibus aliorum Prędicamentum accidentibus res dicantur quales, id quod ex eo perſpicuum eſt; quia omnia accidentia prædicantur in quale eſt, vt patet apud porphyr. tamen cum cætera omnia ſuas habeant peculiares denominandi rationes: (quantitate enim, dicuntur res quantæ, relatione relatę, & ſic res habet in cæt. (ſola qualitas eſt, quæ communem denominationem ſibi propriã facit, cum nõ aliud denominatiuum, quam quale efficiat.

Eſt autem Qualitas] Docet qualitatem eſſe de numero earum rerum, quę multis modis, ceu quę de multis rerum generibus dicuntur. Itaque quatuor eſſe, inquit, qualitatis ſpecies, quas etiam genera appellat: eo quod ſint ſpecies mediæ, quas Porphyr. & ſpecies & genera eſſe definiit. Primam igitur eſſe ait, habitum & diſpoſitionem, non quod prima ſpecies ex habitu & diſpoſitione componatur, ſed quia aliquid commune habitui & diſpoſitioni eſt. prima ſpecies habitus, vt ex hoc loco licet colligere, eſt qualitas bene aut male afficiens ſubiectum: quæ difficile abijci poteſt, vt virtus ſcientia. Diſpoſitio eſt qualitas bene aut male afficiens ſubiectum, quæ facile abijci poteſt, vt ſanitas, ægritudo, uera opinio & falſa.

Pater autem) Ex communi loquẽdi vſu probat eo differre habitum a diſpoſitione, quod hæc facile, illa difficile demoueatur a ſubiecto.

Sunt autem habitus) Diſpoſitio, ut inquit Ammonius aliquando accipitur vt diſtinguitur ab habitu, quo pacto ab Ariſto. hactenus accepta eſt, aliquando uero, vt eſt commune quoddam ad habitum & diſpoſitionem primo modo acceptam. Poſtquam igitur Ariſto. poſuit diſcrimen inter habitum & diſpoſitionem priori modo cõſideratam: docet modo quid interſit inter habitum & diſpoſitionem poſteriori modo acceptam. Id autem intereſt, quod inter ſuperius & inferius ſolet intereſſe. Vnde verum eſt, dicere, omnem habitum eſſe diſpoſitionem, non tamen, omnem diſpoſitionem eſſe habitum. Poteſt autem diſpoſitio poſteriori modo ſumpta, hoc modo defi-

definiri: Dispositio est qualitas bene aut male afficiens subiectum. Atque hæc est ipsa prima species. Qualitatis, quam habitui, & dispositioni, priori modo acceptæ, communem esse diximus.

Aliud autem Qualitatis) Tradit Arist. secundam speciem qualitatis nomine carentem: & si Albertus ait, eam apud ueteres aptitudinem fuisse appellatam. Ad quam pertinent naturales potentiæ aut impotentiæ. potest autem definiri secunda hæc species in communi hoc modo. Est qualitas qua quæque res agit aut resistit, vt vis naturalis ad intelligendum & sentiendum; Naturalis autem potentia, vt ex contextu colligitur, est qualitas, qua quæque res facile agit aut resistit, vt res naturalis ad currendum, & ad perferendos labores, naturalis impotentia seu imbecillitas, quæ ægre quæque res agit aut resistit: vt infirma valetudo Socratis & multitudo butyri.

Non enim quicquam) Distinguit hanc speciem à superiori. Discrimen vero in hoc consistit: quod qualitatibus superioris speciei dicuntur res dispositæ, hoc est, bene aut male affectæ: his autem, quæ ad hanc pertinent dicuntur facile aut difficile potentes agere aut resistere.

Tertium Qualitatis] Tradit etiam Qualitatis speciem nomine etiam carentem: sub qua continentur passiones & patibiles qualitates. Potest autem sic definiri: Species hæc tertia. Qualitatis est qualitas, quæ aut sensum mouet, aut ex motu oritur, vt sonus & color. patibilis Qualitas est diu permanens Qualitas, quæ aut sensum mouet, aut ex motu aliquo nascitur, vt colo diuturnus in corpore, & amentia in animo. Passio est fluxa & breui transiens qualitas, quæ aut sensum mouet, aut ex motu oritur, vt rubor ex uerecundia contractus, pallor ex metu & sonus, huiusmodique alia.

His igitur Qualitates] Confirmat Arist. ex definit. qualitatis, eas omnes, quas in exemplum attulerat esse qualitates: quoniam & res, quæ huiusmodi qualitatibus sunt affectæ, rationem earum quales dicuntur.

Qualitates autem passiuæ) Docet qua ratione patibiles qualitates dicantur patibiles. Quod vt facilius intelligas, primum tria aduerte, patibile à passione dici, quod perspicuum est, deinde passionem quatuor potiss. significationibus ab Aristo. vsurpari, vna pro quouis accidente, vt Top. lib. 4. cap. 5. Qua appellatione præcipuè continentur accidẽtia propria, quæ in lib. de post. resol. vocantur passiones. Altera pro qualitate, quæ motu aliquo efficitur, siue illa facile siue difficile abijci possit a subiecto: qualia sunt candor, rubor & similia. Tertia pro sola qualitate, quę motu aliquo efficitur, & celeriter transit, qualis est rubor ex pudore contractus, ira, uoluptas & cæ. huiusmodi, hæc uero est pastio, quam Aristo. in hac Qualitatis specie, patibili Qualitati opponit. Quarta pro receptione cuiusque formæ in subiecto, si ea reciprocatur sine obiectione alicuius contrarij, qualis est illuminatio aeris, siue cum abiectione contrarij, qualis est calefactio. Tertio loco aduerte ex hac extrema passionis significatione nasci quatuor vsurpationes patibilium. Vno enim modo patibile aliquid dicitur, quia passionis alicuius, id est, motus præsertim interminentis subiectum esse potest, vt aqua, quæ calefit, altero, quia passione aliqua motuvè recipitur in subiecto, vt calor, qui in aqua recipitur, tertio, quia efficit passionem seu motus, vt frigus, quod in tactu passionem efficit; Quarto, quia ex passione siue motu aliquo oritur, vt amentia & pallor, qui oritur ex ægritudine.

Prætermissa igitur prima usurpatione patibilis, qua satis perspicuum videbatur qualitates huiusce speciei non dici patibiles: quia alicuius motus subiecta esse possunt: Docet Aristo. eas non dici patibiles, eo quod passione aliqua motuvè recipiantur in subiecto, quæ fuit secunda patibilis vsurpatio. Quanquam enim hoc Prædicamento illę recipiantur, saltem plurimæ: non tamen hac de causa patibiles nunc appellantur, vt a cæteris qualitatibus & accidentibus distinguuntur: id quod apertum est: cum in plerisque alijs eadem sit appellationis ratio. Ait ergo, qualitates, quæ gustu & tactu percipiuntur, propterea dici patibiles; quod efficiant in sensu passionem, morumvè: quæ fuit tertia patibilis significatio, colores autem, qui aspectu percipiuntur, non ea de causa dici patibiles, sed quia ex passione aliqua seu

motu oriantur, quæ fuit quarta patibilis significatio.

At objiciet aliquis hoc pacto, vt qualitates, quæ gustu & tactu percipiuntur, efficiunt passionem in sensibus, sic etiam colores; Itemque vt hi oriuntur ex passione aliqua: sic etiam illæ, non debuit igitur reddi alia ratio, cur qualitates, quæ gustu & tactu percipiuntur sint patibiles, alia in coloribus. Objiciet quoque alius, non recte prætermissas fuisse hoc loco alias multas quantitates patibiles, cujusmodi sunt, quæ odoratu & auditu percipiuntur, itemque lumen & lux, quæ percipiuntur aspectu, & alia pleraque.

Pro solutione harum obiectionum, animaduertendum est: duplicem esse actionem passionemque, vnam realem, alteram intentionalem. Realis est, cum id quod patitur, respicit formam similem formæ agentis in essendo ueluti cum ignis calefacit lignum, calor enim quem ad igne lignum recipit est similis secundum esse reale calori, qui est in igne. Intentionalis est, cum id quod patitur recipit formam similem formæ agentis in repræsentando, ut candor obiectus aspectui produci in oculis sui similitudinem, talis enim forma non est verus candor, sed repræsentat candorem. Deinde animaduertendum est præstantiorem esse actionem & passionem realem, quam intentionalem: quia agens actione reali verius facit sibi simile; Id quod patet, quã actione intentionali. Tertio loco animaduertendum est; præstantius esse efficere passionem, quam oriri ex passione.

His positis, dicendum est ad primam obiectionem: hoc commune esse coloribus cum qualitatibus quæ gustu & tactu percipiuntur, quod omnes efficiant in sensibus passionem inientionalem, itemque, quod omnes oriantur ex aliqua passione reali: hoc tamen interesse, quod qualitates, quæ gustu & tactu perspiciuntur, efficiunt simul in sensibus actionem realem, quam non efficiunt colores. Dulcedo, & calor, exempli causa, non solum producunt in sensibus species intentionales, sed etiam reali motu efficiunt organa sensuum. Dulcedo quidem humectando suo humore linguam, in qua est instrumentum gustatus, calor autem calefaciendo neruiculos expansos per totum corpus, in quibus vis tangendi sita est; at candor & quiuis alius color non efficit oculum candidum, aut nigrum, aut aliquo colore infectum, sed solum producit speciem sui intentionalem. Causa igitur cur Qualitates, quæ gustu & tactu percipiuntur dictæ sunt patibiles a passione, quam efficiunt hæc est quoniam præstat efficere passionem realem, quam a passione reali effici, res autem ab eo quo d in ijs præstantius est, nomen accipiunt, cõtra vero colores potius a passionibus, ex quibus oriuntur, dicuntur patibiles, quod præstãtiore passione fiunt, quam efficiant: cum solam intentionalem efficiant, sed tamen fiant vera atque reali.

Ad posteriorem obiectionem dicendum est, cæteras qualitates ideo ab Aristo. fuisse prætermissas, in reddenda causa cur patibiles dicantur, quia eodem ratione, qua hæ, patibiles dicuntur odores. Ideo enim soni, & lumen dicũtur patibiles qualitates, quia efficiunt passionem in sensibus veram & realem, dementia vero stupor & alia huiusmodi, qua fiunt ab aliqua vera & reali passione & sic cæt.

Nam quod per passionem] Probat id quod proxime dixit, nimirum colores dici permanentes, qui quidem sunt patibiles qualitates, ex passione aliqua oriri posse. Probatio hæc est, ex breui passione pudoris nascitur rubor celeriter transiens; ex breui passione metus oritur pallor, qui parum durat; igitur ex naturali, diuque permanente passione color diuturnus oriri potest: est enim par ratio. Quo loco intelligẽdum est: colores non oriri per se ex passionibus animæ, vt ex timore ipso, pudore aut aliquo actu apetitus sensitiui, sed ex aliquo vero motu & proprie dicto coniuncto cum actibus appetitus sensitiui, aut ex aliquo simili motu, qui factus sit in prima naturæ constitutione, & per morbum aut æstum &c. Verbi causa, cum quis pudore afficitur, expandit natura sanguinem in facie quasi velamen dedecoris, vnde rubor nascitur; cum vero timet eadem natura sanguinem a partibus exterioribus ad cor, quasi ad artem, reuocat, unde pallor efficitur, similiter si quis uel ab ortu & naturæ constitutione, vel ab aliquo diuturno, & vehemẽti morbo sanguinem habeat expansum in faciem, id dicetur rubor a passione naturali: si vultum destitutũ sanguine, pallidus: id

quod

quod in cæ. coloribus est obseruandum.

Quæcunque igitur] Docet, omnes qualitates, quæ nascuntur ex passionibus motibusve diu permanentibus, quæ difficile dimouentur a subiecto, esse simpliciter, & absolute qualitates, quæ autem oriuntur ex ijs, quæ breui transeunt, & facile dimouentur, non esse simpliciter qualitates, sed passiones; Id quod primum in ijs, quæ ad corpus pertinent; deinde in ijs, quæ ad animũ ostendit. Prioribus enim qualitatibus dicimur quales, & pallidi & rubri, posterioribus vero non item, sed qualitatem aliquã passi, & passi ruborem, aut pallorem.

At obijciet aliquis; Arist. pugnare secũ; Dixerat enim tertiam. Qualitatis speciem esse patibiles qualitates & passiones, vnde plane colligitur passiones esse qualitates: nunc autem negat passiones dici qualitates. Huic obiectioni dicendum est; passionem esse simpliciter qualitatem sed non rẽ eo quod vere participat essentiam Qualitatis (idque voluisse Aristotelem cum dixit, tertium genus qualitatis esse patibiles qualitates & passiones.) Cæterum non esse simpliciter qualitatem, imo vero nec accidens secundũ modum existendi in subiecto, quia non perfecte existit in subiecto, idque sentire Aristo. hoc loco, cum ait, passiones non dici qualitates, quia eis non denominatur qualis. Denominatio enim non sequitur formam quomodocunque existentem in subiecto, sed perfecte existentem.

Quo loco animaduertendum est, tres conditiones potiss. requiri, vt qualitates habeant perfectum modus existendi in subiecto. Prima est, vt si intentionem, remissionemq; admittat, non sit admodum remissa: qua de causa calor vnius tantum gradus existens in aqua cum septem gradibus frigoris non habet perfectum modũ existendi in subiecto, vnde non dicimus huiusmodi aquam esse simpliciter calidã. Altera est, vt existat in toto subiecto, aut in maiori eius parte: nisi sit ex ijs qualitatibus, quæ sibi vendicant determinatam subiecti partem. Hanc de causa non dicimus simpliciter Æthiopem candidum, & si habeat dentes candidos: nec simpliciter affirmamus secundum quod dimidia parte sit album, dimidia nigra, esse album aut nigrum: sed tamen, quoniam simitas vendicant sibi nasum, & hilaritas vultum, & cæcitas oculos simpliciter dicimus hominem simum, & hilarem & cæcum: quanquam huiusmodi qualitates, nec totum subiectũ, nec maiorem eius partem occupant.

Tertia conditio est, vt non breui transeat, cum possit diutius permanere in subiecto, qua de causa felicitas vnius diei nõ facit hominem simpliciter felicem, vt ait Arist. nec rubor ex pudore contractus, reddit hominem semper rubrum. Dictum est, [cum possit diutius permanere in subiecto:] quia si suapte natura non possit diutius permanere, quam dum fit, non dicetur imperfecte existere in subiecto qua de causa, sonus nisi paruitas eius impediat, non dicetur imperfecte existere in aere: quia non existit nisi dum ille commouentur: hæc enim est natura sonii, vt nisi dum sit commotio aliqua, esse in rerum natura non possit. Ob hanc igitur tertiam conditionem intelligendum est: passionem non simpliciter esse qualitatem, secundum modum existendi in subiecto & ideo non esse id, a qua simpliciter denominat̃ quale.

Quod si quis obijciat: ergo definitionẽ qualitatis non esse recte traditam, eo quod non conueniat pastonibus, quæ secũdum rationem, essentiamq; suam sunt Qualitates, vt dictum est; occurri potest, hoc modo: cum qualitas dicitur esse id, quo res dicuntur, quales, intelligendum esse aut simpliciter, aut cum adiectione, siue secundum quid, vt dici solet: passionibus autem res dici qualis, si non simpliciter, certe cum adiectione, vt ex dictis patet.

Quartum qualitatis] Tradit quartam speciem Qualitatis, quæ etiam nomine caret, vt secunda & tertia, in qua quidem primo numerat Arist. figuram & formam. Figura est qualitas, quæ resultat ex terminatione Quantitatis per se consideratæ, h.e. nulla habita ratione naturalis subiecti, vt triangulus, quadratũ. Forma vero est qualitas, quæ resultat ex terminatione quantitatis in re aliqua naturali spectatæ: cuiusmodi sunt forma hominis & forma leonis, non quidem substantiales, nec quæ pulchritudinis nomine significantur, sed quæ ex lineamentis corporis resultant, id quod videtur contextus plane significare, cum ait; (& ea, quæ circa vnumquodque est forma.)

Et insuper rectitudo] Putant nonnulli Aristot,

Aristot. addere hoc loco rectitudinem, & curuitatem, seu obliquitatem, concauitatem, & conuexitatem, & huiusmodi alia non quasi pertinentia ad hanc speciem, sed quasi partes formarum & figurarum, quo pacto caput & manus, ad prædicamentum substantię dicuntur pertinere. Rectitudo enim non est tota figura columnæ, verbi gratia, nec sola concauitas aut conuexitas est tota figura cœli, sed omnia hęc sũt partes figurarum. Cęterum aliorum sententia accommodatior videtur, Dicunt enim, hæc omnia, quæ Arist. adiunxit, per se pertinere ad hanc quartam speciem; Quod in primis suadetur: quia Arist. vno eodemque argumento probauit formam & figuram, atq. hæc quæ oĩa esse qualitates: deinde q̃a hæc quę addit, etsi nonnunquam sint partes figurarum formarumq. tamen aliquando per se sumi possunt: vt in ijs prædicationibus, linea est recta, linea est curua & in alijs huiusmodi. Præterea quoniam Arist. dixit & [insuper rectitudo & cæt.] & quod sane non dixisset; si, hæc reductiue tãtum ad quartã speciem pertinerent. Quemadmodũ, si Arist. dixisset, species animalis esse hominem & bestiam: non recte adideret, & insuper caput & manus: quoniã iam comprehensa essent in homine & bestia, ad quas species reducuntur. Omnia ergo verba illa, [figura, forma, rectitudo, &c.] posuit Aristot. ad significandam speciem quandam innominatam: quæ teste Alb. compositio appellatur ab antiquis: Communis tamen recentiorum consueta doctrina est, vt ista omnia figuræ ac formę nominibus latius acceptis significentur: atque ijs definitionibus explicẽtur. Figura est modus quantitatis in se consideratæ. Forma est modus quantitatis in subiecto aliquo naturali spectatæ: quales autem sũt isti modi, facilius exemplis, quam definitionibus intelliges.

Rarum autem & densum) Docet rarum & densum, asperum & leue, seu leuigatum complanatumque videri quidem pertinere ad hoc prędicamentum: verum non pertinere, quia eorum vocabula potius situm partium, quam qualitates videntur significare: id quod ex descriptionibus singulorum patefacit. Loquitur tamen Aristo. de his iuxta nominum impositionem. Nam rarum, quod Gręce (manòn) dicitur quasi (mien:) h.e. non vnum existens, ex vi nominis significat id cuius partes a se inuicem distant: quasi non vnum aliquid esse videatur, ut sunt, spongia, pumex & huiusmodi alia. Vnde, cum distantia situsue talis partium in ipso toto ad Prædicamentum Quantitatis pertineat: vt patet ex supradictis; efficitur, vt rarum ex vi verbi ad Prædicamentum Quantitatis pertineat: in quo dictum est collocari Quantitates: quę habent situm quendam partium inter sese: quod idem suo modo dicendum est de denso, aspero ac leui ac cæteris huiusmodi. Quanquam interpretes dicunt: Aristo. hoc loco, nomine situs, significare Prædicamentum Situs. Quod non videtur probandum: quia hæc non significant situm partium in loco, sed in toto. Admonendum est tamen, hæc eadem vocabula, alias quoque habere significationes: quibus ad hoc prædicamentum pertinere possint. Nam quatenus significant qualitates quasdam, quæ sensu tactus percipiuntur, vt Arist docuit 2. de generat. c. 2. pertinent, ad tertiam speciem, vt idem docet 3. Phys. c. 2. quatenus vero significant figuram aliquam (nec enim dubium est, quin hoc etiam pacto sæpius vsurpentur) pertinent ad quartam, vt perspicuum est.

Qualia vero sunt.] Sequitur secunda pars huius capitis, in qua Aristo. late explicata Qualitate, agit de quali, quod quidem plurali numero definit hoc modo: (qualia sunt ea, quæ denominatiue a qualitatibus aut aliquo alio modo dicuntur. In qua definitione, loco generis ponuntur ea, id est, entia realia per se completa ac finita. Id autem intelligit (Aristo. dici denominatiue a qualitate,) quod est denominatiuum respectu eius, non modo re, sed etiam voce: vt candidus a candore, Grammaticus a Grammatica, & iustus a iustitia, qua quidem in re quam multæ conditiones requirantur: habes ad primum cap. huius lib. Id autem intelligit (aliquo modo) dici a qualitate quod re tantum ab ea denominatiue dicitur: siue id fiat, quoniam qualitati non est nomen impositum, (quo pacto ij, qui a natura dicuntur cursores, & pugiles appellantur tales ab ipsis facultatibus naturalibus, quæ nominibus carent) siue quia cum qualitati sit nomen impositum, ipsum tamen quale ab ea non deflectitur:

citur: quo pacto probus ac bonus dicuntur a virtute.

Verum obijciet aliquis hoc loco Aristo. reprehendendum esse: quia nunc definiat quale per qualitatem: quam initio cap. qualem definiuit: quam quidem reciprocum definiendi modum ipse reprehendit in rebus absolute 6.lib. Top.cap.Occurrendum est tamen: correlatiua secundum dici posse se mutuo definire per Relationes sibi adiunctas, neque id reprehendi ab Aristo. Qualitatem quoque & quale esse correlatiua secundum dici; vt patet, Id quod eo minus reprehendendum est: quo qualitas postquam initio definita fuit per quale, quod nobis notius erat, latius deinde per suas species explicata notior nobis, quã quale facta est.

Atqui contrarietates.] Tradit Aristoteles in hac 3. par. cap. fina. qualitatis attributa, quorum primum est, habere, contrarium, quod qualitatibus tam abstracte, quam concrete significatis, conuenire ostendit, exemplis iustitiæ, & iniustitiæ, albedinis, & nigredinis, iusti, & iniusti, albi & nigri. Deinde docet, non omnes Qualitates habere contrarium: id quod ostendit exemplo mediorum colorum flaui nimi rum, & fusci, & huius generis aliorum. Idem ostendere posset in virtutibus medijs, in quibus par est ratio, atque in medijs coloribus. Multæ etiam potentiæ & impotentiæ carent contrarijs: vt facultates intelligendi & appetendi, sensuumque imbecillitates; denique perfectis figuris, ac formis, vt circulo, triangulo, formę hominis & leonis nihil est contrarium: Ita patet ex contextu: hoc attributum sic conuenire qualitatibus, ut non conueniat omnibus.

Si quis autem quærat, num solis conueniat? ex ijs, quę deinceps dicuntur, quid Aristoteles sentiat, intelliget. Traditurus enim extremum attributum sic ait. [Eorum igitur, quę dicta sunt, neutrum proprium qualitatis esse videtur. hoc est, neutrum qualitati conuenit, vt verba sequentia aperte declarant. Vnde patet Aristotelis sententiam esse, non solas qualitates habere contrarium. Quapropter capi. sequenti docebit in actione & passione reperiri, contrariam oppositionem. Nullo igitur modo proprium qualitatis est hoc attributum, cum nec omnibus, nec solis qualitatibus conueniat.

Ad hęc, si contrariorum.] Tradit hoc loco huiusmodi documentum. Si unum, contrariorum qualitas est, & alterum qualitas erit, quod ex definitione contrariorum perspicue colligitur. Contraria enim definiuntur ea, quæ sub eodem genere maxime differunt, nec vero ab re proponitur hoc loco. Vt enim attributa prædicamentorum ea de causa traduntur: vt cognoscamus, quæ res, ad quę Prædicamenta pertineant: sic hoc documento ad eam rem iuuamur. Si enim, propositis duabus rebus contrarijs, nouerimus alteram esse qualitatem: hoc documento intelligimus, alteram necessario esse qualitatem.

At vero qualia] Addit secundum attributum, vtpote suscipere magis, & minus: quod quidem in primis docet conuenire qualibus, non modo ita, vt alia dicantur magis, & minus talia, comparatione aliorum, sed etiam respectu sui. Est enim aliquid albius & minus album: iustius & minus iustum, non solum respectu albi aut iusti: sed etiam diuersis temporibus respectu sui. Docet deinde, non omnia qualia suscipere magis, & minus, sed plurima: quod paulo inferius ostendit.

Nam dubitabit] Vt ostendat, qua ratione qualibus potius quam qualitatibus hoc attributum adscribat: proponit huiusmodi quęstionem ab alijs agitatam: Num iustitia, aut santias, aut aliqua alia dispositio siue qualitas abstracte significata suscipiat magis & minus; Ad quam quæstionem illi duobus assertionibus respondebant: Altera, qualitates ipsas non suscipere magis, & minus; altera, qualia utrumque admittere. Quas quidem assertiones ex solo loquendi modo confirmabant. Eorum igitur sentẽtia breuiter recitata, subijcit. Aristotele quicquid de priori assertione dicendum sit, posteriorem esse certam & indubitatam. Vnde patet, qua ratione qualibus potius, quam qualitatibus hoc attributum accommodauerit Merito autem dubitauit de priori assertione: quoniam etsi nulla qualitas suscipit magis, & minus Logice: cum nulla prædicetur cum aduerbijs magis, & minus, vt patet ex loquendi usu: Physice tamen plurimæ sunt, quæ magis ac minus suscipiant. Nihil enim

est

est aliud, physice magis, & minus suscipere, quã magis minusue percipi in eodem subiecto: quod quam plurimis qualitatibus conuenit, vt calori & frigori, quæ in eadem aqua aut manu intendũtur & remittuntur. Prætermisit tamen Arist. hanc distinctionem hoc loco: quia Physica ratio suscipiendi magis & minus non est proposita Dialectico, sed physico.

Triangulus.] Interposita iam quæstione, probat ex quarto genere qualitatis, non omnes qualitates concrete acceptas, suscipere magis & minus: quia figuræ perfectæ vt triangulus, quadratum, circulus magis & minus non admittunt: id quod perspicue ostendit in contextu. Quod vero ad exempla attinet: trianguli & circuli nomina, etsi nonnunquam abstracte accipiantur, vtpote pro solis figuris; tamen hoc loco accipiuntur concrete, vt passim apud geometras, & in familiari locutione. Quadratum constat quatuor lateribus æqualibus, rectos angulos constituentibus: altera parte longius constat quatuor lateribus inæqualibus, quæ angulos rectos efficiant. Documentum vero illud, [si non subeant ambo propositi rationem, alterum de altero magis tale minusve minime dicetur,] hunc habet sensum. Quando aliquid non prædicatur de aliqua re, non prædicabitur etiam de eodem cum magis & minus. Vt quia circulus, non prædicatur de quadrato, nec item de triangulo (quæ sunt exempla Aristo. non prædicabitur etiam de ijsdem cum magis & minus nam sicut falsum est dicere, quadratum est circulus, triangulus est circulus, sic falsum est dicere, quadratum est magis circulus, quam triangulus, & triangulus est magis circulus quam quadratum: Hoc vero documentum semper verum est, vbi magis & minus proprie accipiuntur: secus erit, si hæc verba aliter accipiantur. Ita patet non omnia qualia suscipere magis & minus. Quod si quæras: num ea sola suscipiant magis & minus? Aristo. ipse statim docet, quid hac de re sentiendum sit: ait enim, [neutrum ex his attributis esse proprium qualitatis,] hoc est, neutrum conuenire soli qualitati, vt superiori attributo diximus; vnde patet, nec hoc attributum esse vllo modo proprium qualitatis: cum nec omnibus qualitatibus siue abstracte, siue concrete acceptis, nec solis conueniat.

Simile autem.] Tradit tertium qualitatis attributum, vtpote esse in causa, vt res sint similes & dissimiles; non quidem efficienter, quasi qualitates causæ efficientes similitudinis & dissimilitudinis (quando quidem similitudo & dissimilitudo non sunt qualitates, sed relationes) sed vt fundamenta similitudinis & dissimilitudinis. Vnde Aristotel. 5. Metaph. cap. 15. definiens similia per fundamenta similitudinis, sic ait. [Similia sunt ea, quorum qualitas est vna,] intellige secundum speciem & gradum, aut saltem secundum speciem solam. Docet ergo primum Aristotel. hoc attributum solis qualitatibus conuenire, quod verissimum est, si similitudo & dissimilitudo non translatiue, aut quovis alio modo improprie, sed proprie tantum accipiantur. Itaque dicimus, homines esse similes inter se, ratione differentiæ naturæ humanæ; dissimiles autem bestijs, ratione diuersæ naturæ & essentiæ. Atque ita in alijs, quia omnes naturæ vniuersales habent quendam modum qualitatis. Cæterum proprie & simpliciter solius qualitatis ratione res dicuntur similes & dissimiles. Deinde concludit hoc attributum esse proprium qualitatis. Id quod omnes interpretes ita accipiunt, quasi dicat esse proprium simpliciter seu quarto modo. Videtur autem propterea non expresse dixisse, quod conueniat omnibus, quia id perspicuum erat. Intellige tamen conuenire omnibus qualitatibus, eo pacto, quo diximus cap. de quantitate, conuenire omnibus quantitatibus, vt earum ratione dicantur res æquales & inæquales.

Non autem perturbari.] Hoc extrema parte capitis dissoluit Aristo. quandam dubitationem, quæ oritur ex collatione huius capitis cum superiori. Obijciet namque aliquis; Aristo. superiori cap. dixisse, habitus & dispositiones esse ad aliquid, nunc autem docuisse, esse qualitates, quæ quidem videntur pugnare. Quam obiectionem ipse duabus solutionibus diluit. Vna, habitus & dispositiones, quod ad genera attinet, sint ad aliquid, quod uero attinet ad singularia hoc est ad species infimas sint qualitates, fere enim, vt inquit, in omnibus qualitatibus genera ipsa sunt ad

aliquid

aliquid, vt ſcientia, ſingulæ autem infimæ ſpecies, vt Grammatica & Muſica,non aliquid ſed qualitates exiſtunt. Altera quod nihil incommodi ſequatur : ſi qua res eadē in vtroque prædicamento ponatur, modo vtriuſque generis ſummi naturam participet. Quam ſolum idcirco videtur adhibuiſſe, vt omnino dilueret obiectionem. Nec.n. priori ſolutione eam prorſus diluerat,diceret namque aliquis,in eo ſaltem repugnantiam cerni, quod genera habituum & diſpoſitionum in vtroque prædicamento recenſita ſint, quod tamen poſteriori ſolutione omnino diluitur.

Sed contra priorem ſolutionem ſic licet argumentari. Species eſt id,quod collocatur ſub genere; Igitur in quo Prædicamento ponitur ſpecies; in eodem ponitur genus:atque ita fieri non poteſt, vt ſpecies infimæ habituum & diſpoſitionum ſint qualitates,& earum genera ſint ad aliquid.Secundo vt ſcientia refertur ad ſuum commune obiectum; ſic Grammatica & Muſica referuntur ad ſua obiecta peculiaria, (diuiduntur enim ſcientiæ, quemadmodum & res, quæ ſub ſcientiam cadunt, vt Ariſtotel. docet 3. de anima cap.8.)Ergo vt ſcientia eſt ad aliquid, ſic Grammatica & Muſica, & cæteræ peculiares ſcientiæ, ſiue artes, quod negat Ariſt.Tertio,contra poſteriorem ſolutionem ſic obijcitur.Si ſcientia exempli cauſa,pertineret ad vtrūque Prædicamentum qualitatis & ad aliquid, vt Ariſt.ait, ſcientia haberet duplicem eſſentiam;at non habet duplicem, ſed vnam tantum: Non pertinet igitur ad vtrumque prædicamentū,q𝔡 idem dici pt de cæteris.

Primę tamen obiectioni occurrendum eſt: Ariſtot. ſententiam hoc loco non eſſe; genera habituum & diſpoſitionum reuera pertinere ad prædicamentum ad aliquid. Satis enim patet:illum, cum reiecit ab eo Prædicamento partes ſubſtantiarum, cętera etiam relata ſecundum dici, tacite reieciſſe:ſed hoc tantum reale,quod illa dicātur ad aliquid, ſpecies vero infimæ, quæ ſub ijs collocātur;nō dicantur ad aliquid. Fieri autem poteſt, vt genera qualitatum dicantur ad aliquid: non tamen vt ſint ad aliquid, p ſe nimirū, & ſecundū eſſentiam.

Ad ſecundum dicito: Omnes ſpeciales ſcientias referri aliquid relationibus trāſcendentibus; quemadmodum ſcientia in communi refertur ad ſcibile in communi: ſed tamen non dici ad aliquid, quaſi vt ſcientia dicitur ſcibilis ſcientia,ſic etiā Grāmatica dicitur grammaticabilis, vt ſic dicam,Gramatica & ſic in cæteris.

Ad tertiā, quæ plane colligit nullam eādem ſpeciem ad diuerſa prædicamētā pertinere poſſe,ſic occurras; Ariſtot.non affirmare, habitum aut diſpoſitionem poni ſimul in vtroque Prædicamento; ſed loqui ex hypotheſi; ſi nimirum participet naturam vtriuſque generis: quod aliquis fortaſſe dixerit,aut certe latius accipere Prædicamentū ad aliquid: nempe vt complectitur relata ſecundum eſſe & ſecundum dici:iuxta ſententiam aliorum, quibus non audet in hoc lib. quem tyronibus Philoſophiæ ſcribit,aperte contradicere.

Sintne plures qualitatis ſpecies quam quæ ab Ariſto.traduntur.

QVAESTIO PRIMA.

QVoniam poſt Qualitatis ſpecies enumeratas adiecit Ariſt. alium fortaſſe qualitatis modum inueniri poſſe:ſed fere eas, quæ maxime dici ſolent eſſe, quos enumerauerat; collegerunt Simplicius & Boetius,alijque nonnulli; plures eſſe qualitatis ſpecies. Quas Ariſtoteles duabus de cauſis ſilentio prætereūdas eſſe putauerit; vna, quia liber eſt introductorius; altera vt multorum ſtudia ad eas indagandas excitaret; proinde in Metaph. ſuppletum eſſe, quod hoc loco deſideratur. Verum, ſi quis aduertat: multo hic accuratius Ariſt. quam in Metaphyſ. de qualitate diſſeruiſſe ibique nihil addidiſſe, quod ad hoc Prædicamentum reuera pertineat, libentius amplectetur ſententiam Ammonij, & fere omnium aliorum interpretum, dicentiū; nec ullas alias, videri ſpecies qualitatis; nec Ariſtotel. hoc loco alias eſſe putaſſe. Nec obeſt quod Ariſtotel. quaſi dubius locutus fuerit.Id enim feciſſe uidetur,primo ne Sophiſtarum more rem non omnino certam aſſeueranter ſtatuere: deinde vt lectorem ad maiorem harum rerum percōtationem inuitaret.

Poteſt autem hoc modo numerus ſpecierum qualitatis colligi, vt Scotus adnotauit;

uit, & magna ex parte ex Simplicio, & Ammonio desumpsit. Qualitas aut in sola superficie externa substantiæ cernitur: aut etiam interius inhæret. Si sola superficie est figura, aut forma: si etiam interius, aut est sensibilis substantia, aut non: si sensibus subiecta est, patibilis qualitas aut passio: si vero non est sensibus subiecta, aut est a natura insita, aut acquisita, si insita a natura, est naturalis potentia aut imbecillitas, si denique acquisita, est habitus, aut dispositio. Ex qua diuidendi ratione, sic specierum qualitatis ordo colligitur, vt qualitates, quæ in sola externa superficie existunt, ad extremam speciem reijciantur: earum vero, quæ intrinsecus inhærent, illæ tertio loco ponantur, quæ sensibus percipiuntur: cæterarum autem, quæ sub sensum non cadunt, illæ secundum dignitatis locum postulent, quibus nemo bonus efficitur, aut malus: quibus enim boni efficimur, aut mali, hæ primum locum sibi vendicent.

Quoniam vero singulas species qualitatis in contextu definiuimus, restat, vt paucis dicamus hoc loco, quo pacto habitus & dispositio inter se distinguantur: vtrum accidentario tantum discrimine, an etiam specie & simili modo cæteræ complicationes. Dicendum est igitur habitum & dispositionem, (vt puta D. Tho. prima secundæ quæstione 4. contra Aristo. secundo) a se inuicem specie differre: atque habitum hoc differre a dispositione, quod ille ex natura sua vendicet sibi causas difficile patientes expulsionem a subiecto: quo pacto se habent scientiæ, ac virtutes: hæc vero suapte natura postulat causas facile patientes huiusmodi expulsionem: vt sanitas & ægritudo, vera & falsa opinio. Etenim scientiæ natura sua firmissimis principijs nituntur, quæ negari non possunt, & virtus quæcunque necessariam habet connexionem cum recta ratione siue prudentia, cæterisque virtutibus; quæ quidem non patiuntur, qualitatem facile a subiecto diuelli. Ita credit D. Thom. quamuis imperfectam scientiam esse habitum, & quamuis perfectam sanitatem & ægritudinem dispositionem. Habitus enim & dispositio non ideo distinguuntur, quod ille diuturnior sit, hæc vero a subiecto facile abijciatur, sed ratione causarum, quas suapte natura postulant, facilis aut difficilis expulsionis.

Quod vero attinet ad reliquas complicationes; dicendum est, naturalem potentiam & imbecillitatem solo accidentario discrimine e se inuicem distingui, quod per naturalem potentiam facile quæque res agit aut resistit, per imbecillitatem uero ægre. Facile autem & difficile differentiæ sunt accidentariæ. Pari ratione nec specie distinguuntur duæ reliquæ complicationes passionis & patibilis qualitatis, formæ & figuræ, sed solo accidente (vt est omnium communis sententia.) passio enim hoc tantum differt a patibili qualitate, quod hæc diu permaneat, illa vero breui transeat, figura item ac forma ea ratione differunt, quod hæc in re aliqua naturali, illa vero simpliciter & per se spectetur. Vnde fit ut naturalis potentia & imbecillitas, passio & patibilis qualitas, forma & figura, ut composita quædam per accidens, sub tribus generibus qualitatis contenta; non secus atque vir & puer, qui sub homine comprehenduntur; res autem, quæ ad quatuor genera qualitatis quam plurimæ sunt. Nam ad primum genus spectant inprimis qualitates naturaliter acquisitæ, quæ interius inhærent, deinde qualitates infusæ, qualia sunt dona supernaturalia, vt lumen gloriæ, gratia, fides, spes, charitas & huiusmodi alia. Inter qualitates autem naturaliter acquisitas quædam sunt spirituales, vt scientiæ aut errores, virtutes plurimæ atque vitia, species intelligibiles & alia huiusmodi, quæ tum in angelis, tum in animo rationali reperiuntur, quædam in corpore cohærentes, vt species sensibiles sensuum, cogitationes, quædam etiam virtutes, vt temperantia & fortitudo, & alia huius generis.

Ad secundam speciem pertinent omnes vires seu facultates a natura insitæ, tam spirituales, vt intellectus & voluntas, quam in corporibus repertę, siue illæ efficiant res aptas ad aliquid agendum, siue resistendum, vt sensus omnes interni & externi, virtutes herbarum, & lapidum & aliarum rerum.

Ad tertiam spectant omnia obiecta sensuum externorum, vt color & lux, soni, odores, sapores, & tactiles qualitates, calor scilicet & frigus, humor & siccitas; pertinent et animi affectus ratione qualitatum, quas secum coniunctas habere solent.

Ad

Ad quartum denique pertinent omnes formæ & figuræ, tam perfectæ, quam imperfectæ, quæ quam plurimæ sunt, vt triangulus, quadratum, circulus & alia id genus.

Attributa huius Prædicamenti sunt tria.

Primum, habere contrarium.

Secundũ, suscipere magis & minus quæ duo nullo modo sunt propria.

Tertium, vt ab eis res dicatur similis aut dissimilis fundamentaliter, quod est proprium quarto modo.




SERIES DISPOSITIONIS, ET HABITVS.

- Dispositio, & habitus.
  - *infusus*
    - *intellectualis*
      - *fides*
      - *lumen gloriæ*
      - *dona Spũs Sancti pertinentia ad intellectum.*
    - *non intellectualis*
      - *Spes*
      - *Charitas*
      - *Gratia.*
      - *Dona Spũs Sãcti pertinentia ad voluntatem.*
  - *acquisitus*
    - *corporis*
      - *dimicandi*
      - *scribendi*
      - *pulsandi*
      - *&c.*
    - *animi*
      - *intellectus.*
        - *semper verus*
          - *Sapientia*
          - *Intellectus*
          - *Scientia*
          - *Prudentia.*
        - *semper falsus*
          - *Error Arrianus*
          - *error Antichristi*
        - *aliquo modo uerus*
          - *opinio*
          - *suspicio.*
      - *moralis*
        - *virtus*
        - *vitium*
        - *&c.*

Series

SERIES NATVRALIS POTENTIAE

& impotentiæ.




SERIES PASSIONIS seu Passibilis qualitatis.

Passio, seu patibilis qualitas.
- *color*
  - *candor*
  - *rubor, &*
  - *cæt.*
- *sonus.*
  - *vox*
  - *crepitus*
- *odor*
  - *hic*
  - *aut*
  - *ille*
- *sapor*
  - *dulcedo*
  - *amaritudo*
  - *austeritas*
- *qualitas tangibilis.*
  - *calor*
  - *frigus*
  - *humiditas.*
  - *siccitas.*
  - *grauitas*
  - *leuitas.*

SERIES FORMAE, ET FIGVRAE.

Forma & Figura.
- *imperfecta*
  - *rectitudo*
  - *curuitas*
  - *concauitas*
  - *angulus*
- *perfecta*
  - *plana*
    - *circulus*
      - *Isopheus*
      - *Isocleus, &c.*
    - *triangulus*
    - *triangulus*
      - *quadratum, altera parte longius*
      - *Rhombus, &c.*
    - *pertrangulus &c.*
  - *solida*
    - *Spherica*
    - *pyramis*
    - *lupus*
    - *columnaris figurã, &c.*



CAPVT NONVM

DE ACTIONE, & passione.



Vscipit & ipsum agere, pati que, contrarietatem. Calefacere namque, & frigefacere, & calefieri, & frigefieri, & voluptate, ac dolore affici, contraria sunt: quare contrarietatē suscipiunt. Gradus quoque suscipiunt, vt magis, atque minus dicantur. Fit enim, vt magis quippiam, minusve calefaciat, & itidem calefiat, & doleat magis minusve: quare agere, pati que gradus suscipiunt, vti diximus. De his igitur tot a nobis sint dicta. Dictum est autem, & de situm esse, in hisce, quæ diximus de ijs, quę sunt ad aliquid, denominatiue ipsum a positionibus dici. De cęteris vero, vt de quando, de vbi, & de habere: quia sunt manifesta, nil aliud dicitur, quam ea, quæ in principio diximus: habere quidem, indutum, atq; armatum esse, significare: vbi vero in Lycio esse, &c. quæcunque de ipsis sunt dicta. De generibus ergo propositis, ea quę sunt dicta sufficiũt,

SVmma breuitate perstringit Aristo. hoc loco sex vltima prædicamenta, primum quia de actione & passione latissime agit, 3. Physic. lib. & in lib. de generation. De loco autem & tempore in 4. Physic. Quod si de situ & habere non alibi fusius disseruit, id propterea fecit, quod sint res parui momenti, quod etiam fuit in causa, vt de cęteris tam pauca dixerit. Tertia causa videtur reddi in contextu, quoniam hæc omnia vel de trita sunt & vulgata. Quod attinet ad actionem & passionem: illud tantum docet Arist. duo esse earum attributa, habere contrarium, & suscipere magis & minus. Quæ quidem nullo modo propria sunt; cum nō solis actionibus & passionibus conueniant, vt patet ex superioribus; nec prætereà omnibus, etenim illuminationi nihil est contrarium: Generatio vero substantialis magis ac minus non admittit. De situ autem, nihil aliud dicit Arist. quam, quod situm esse & reliqua concreta, quæ ad prædicamentum situs pertinent, denominatiue dicantur a positionibus sitibusve, vt a suis abstractis, quod dixerat in cap. ad aliquid. De tribus vero posterioribus; solas vocabulorum significationes adducit, exemplisque illustrat, vt initio fecerat.

Vt tamen de singulis sex vltimis prędicamentis nonnulla adijciamus: illud primum est aduertendum: circa naturas horũ prædicamentorum, varias esse opiniones. Nam Scotus in 13. dist. 1. q. 1. & in 4. dist. 13 q. 1. asseruit: sex vltima prędicamenta esse respectus seu relationes quasdam extrinsecus aduenientes: Alij vero dixerunt: esse res absolutas cum respectibus: alij denique aliter sentiunt. Illorum tamen sententia & verior, & Arist. doctrinę magis consentanea est: qui asserunt sex vltima prędicamenta esse formas, aut quasi formas externas rerũ denominatarum; Vt actionem esse formam externam agentis, & passionem patientis & sic in cęt. Verum de ijs late 5. lib Metaphys.

phys. disputandum est. Nunc hoc solum restat, vt de singula nonnulla dicamus.

De Actione & Passione.

Actionis & passionis vocabula interdũ accipiuntur pro relationibus agentis ad patiens, & patiẽtis ad agens. Interdum vero, vt res horum prędicamentorũ significat. Primo modo ad hunc locum minime spectant, posteriori autem modo ita definiuntur, vt ex 3. phys. lib. cap. 3. licet colligere. Actio est agentis, quatenus agens est, actus seu perfectio. Passio vero est actus pfectiove patientis vt patientis. Sunt autem actio & passio vna eademq; res, eadem videlicet mutatio; quæ tamen vt est perfectio agentis, id est, vt ab agente proficiscitur, dicitur actio, & vt est patientis perfectio, seu vt in patiente recipitur dicitur passio. Exempli causa, idem est, caloris motus: quo aqua ab igne calefit; quatenus ab agente proficiscitur, actio est; quatenus vero in aqua recipitur, est passio; quemadmodum vna eademque via est ascendentibus accliuis, descendentibus vero decliuis appellatur.

Actiones autem & passiones quædam sunt a corpore: vt calefacio & calefio; quædam ab animo aut alia superiori causa. Ab animo sunt, quæcunque ab aliqua animi facultate proficiscuntur & in animo insunt, vt velle, intelligere, sentire, nutriri, audire, motu agitari & huiusmodi aliæ. A superiori causa sunt actiones, quę tum a Deo Optimo Maximo tũ ab angelis proficiscũtur. Rursus actiones partim sunt immanentes, partim transeuntes. Immanentes sunt, quæ in ipsis agentibus manent, secundum eandem partem aut, potentiam, quæ agunt, vt intelligere, velle, sentire: transeuntes quæcunque non manent in agentibus, sed in alio quodam recipiuntur: aut certe in aliqua parte siue potentia diuersa ab ea, qua agentia agere dicuntur: vt effectio domus, vt statua: calefactio, qua aqua ab igne calefit, scribere, pectus percutere, & alia id genus. Deinde actio immanens aut est a potentia apprehendente, vt intelligere, videre, audire & huiusmodi alia; aut ab appetente, quæ est voluntas aut concupiscibilis, aut irascibilis. Huiusmodi sunt velle & nolle, cupere & irasci. Denique actionis, & passionis tot sunt species, quot termini earum, siue obiecta, vt late in 5. Phys. c. 2. & lib. 2. de anima, c. 4. dicendum: Ad predicamenta igitur actionis, & passionis pertinent omnes species enumeratę, & actiones immanentes (etsi minus proprie actiones dici soleant) vt est Scoti sententia in 1. sent. dist. 3. q. 6. ad finem. Hęc de actione, & passione.


Attributa actionis, & passionis.

Primum habere contrarium, quod nullo modo est proprium, cum nec solis, nec omnibus conueniat, cum non conueniat illuminationi.

Secundum suscipere magis, & minus, quod eodem modo se habet, quoniam non conuenit generationi.



SERIES ACTIONIS, ET PASSIONIS.




DE PRAEDICAMENTO

Vbi.

VBi siue locatum quæ huius prædicamenti concretum est, nihil est aliud, quam esse loco affectum. Ipse vero locus, quatenus est externa forma locati, est huius prædicamenti abstractum. Duobus autem modis dicuntur res loco contineri aut circumscriptiue aut definitiue. Ea circumscriptiue continentur, quæ non continentur tota in quauis parte loci: sed eius partibus diuersæ partes loci respondent. Quo pacto res corporatæ dicuntur esse in loco, vt aqua in vase. Ea v. sunt in loco definitiue, quæ ita loco continentur: vt extra illum non sint: & tota sint in toto loco, totaque in quauis eius parte. Quo pacto angeli sunt in loco. Quanquam enim angelus, extra suum locum, quo definite continetur non existat: tum non habet partes, quæ partibus loci respondeant; Quocirca ita est in toto loco, vt in quauis eius parte totus contineatur. Vbi igitur seu esse in loco, in communi genus est supremũ huius prædicamenti duas explicatas sub se comprehendens species. Reliquæ autem huius prædicamenti species, quæ vulgo circumferuntur, nimirum esse supra, infra, ante, retro, ad dextram, & sinistram, non videntur veræ species: imo vero duæ prius enumeratæ, esse nimirum in loco circumscriptiue ac definitiue, quæ proxime sub genere summo huius prædicamenti contiuentur: species infinitæ procul dubio esse videntur. Nec opus est, vt in quouis prædicamento præter genus summum & species infimas, genera etiam subalterna reperiantur. Illud enim, quod a Porphyr. cap. de specie assertum est: in quocunque prædicamẽto esse suum genus summum, species medias, atque infimas: non de omnibus, sed de præcipuis quibusque intelligendum est. Estque hoc adeo verum, vt Scotus in 1. sentent. distinct. 8. quæst. 3. affirmet ad rationem generis summi non pertinere, quod sub se plures species contineat, sed quod nullum genus supra se habeat, quemadmodum, inquit, prædicamentum. Quando, quia non habet supra se genus aliquid, dicitur summum genus, licet paucas habeat species aut nullus, hæc Scotus.

SERIES VBI.




DE SITV.

SItum esse, quod huius Prædicamenti concretum est, non est aliud, quam habere partes corporis certo quodam modo affecta ad partes loci: vt stare, sedere, cubare. Situs vero seu positio, quæ eiusdem prædicamenti abstractum est, non est aliud, quam locus certo quodam modo positus. Positionum autem quædam sunt natura-

les, vt quæ dictę sunt, quædam non naturales, quarum aliæ sunt contra naturam, vt si quis pedibus ad cœlum conuersis, manibus nitatur; aliæ prçter naturam, qualis est situs lapidis, hæc itaque sunt huius prędicamenti.



SERIES SITVS.



DE PRAEDICAMENTO QVANDO.

QVando est duratio creata & completa, aut successiua & externa rei denominatæ, aut permanens, siue externa sit rei denominatæ siue interna. Dicitur creata ut excludatur duratio Dei Opt. Max. idest, ęternitas, quę cum sit ipsa Dei essentia, in nullo prędicamentorum collocatur. Dicitur [completa,] vt instantia temporis continui excludatur; additum est autem [successiua & externa rei denominatę, vt comprehendatur tempus quatenus extrinsece rem denominat, reijciatur autem quatenus est forma rei interna. Adiungitur denique [aut permanens,] hoc est, non successiua, vt comprehendatur æuum, siue, vt rem extrinsece denominat, siue intrinsece. Comprehenduntur etiam in eadem particula, durationes indiuisibiles, cõpletę; quę scilicet nõ sunt partes, aut termini aliarum durationum: vt durationes, quibus momentaneę rationes, durant & alia huiusmodi. Porro concretum huius prędicamenti est, durans duratione explicata; quod etiam significatur per esse in tempore; late tamen accepto temporis vocabulo; quatenus significat prędictã durationem. Species denique huius prędicamenti sunt esse in æuo, esse in tempore proprie sumpto, esse in instanti completo. Nomine autem eui intelligis hoc loco quamcũque durationem completam, creatam, permanentem.

SERIES QVANDO.

Quando { esse in æuo. / esse in tempore / esse in instanti completo. }

DE

DE PRAEDICAMENTO HABITVS.

Habitus, quod abstractum est huius prędicamenti est substantia extrinsecus apposita per modum accidentis, concretum vero est, esse affectum substantia, tali modo apposita, quod habere appellatur, substantia vero extrinsecus apposita, aut est indumentum, aut ornamentum, aut armatura; a quibus huiusmodi concreta deducuntur; nimirum vestitum, seu indutum, ornatum & armatum, Res autem huius prędicamenti potissi. ad homines pertinent, minus proprie ad reliqua animalia, ac multo minus ad res animę expertes.

Duo tamen hoc loco admonenda sunt, vnum est in rebus, horum sex prędicamentorum, presertim ijs, quę ad quatuor vltima spectant, non esse tantopere eas conditiones requirendas, quas seruandas esse diximus in rebus per prędicamenta disponendis. Placuit enim philosophis, vt res omnes, quę modo aliquo se haberent, vt formę externę rerum, in his sex vltimis prædicamentis collocarentur; siue a superioribus essent secundum entia diuersæ; siue quod rationem solam extrinsecus denominandi. Alterum, quod ex priori colligitur, est; non oportere nos esse nimirum superstitiosos in perquirendis & examinandis horum sex prædicamentorum summis generibus, atque speciebus. Satis enim est; si modo aliquo hæc omnia in hisce prædicamentis reperiantur.

SERIES HABERE.

Habere
- *indutum eße*
  - *esse tunica indutum*
  - *eße pileo opertum.*
  - *esse calceatum.*
  - *eße annullatum.*
- *ornatum eße*
  - *esse mitra redimitum.*
  - *esse indutum lorica.*
- *armatum esse*
  - *gladio accinctum esse.*

CAPVT DECIMVM

DE OPPOSITIS.



E Oppositis autem quot modis opponi soleant, deinceps dicendum esse videtur. Opposita namque modis quatuor opponi dicuntur, aut ad ea, quæ sunt ad aliquod, aut vt contraria, vt habitus & priuatio, aut vt affirmatio & negatio. Atque vt in summa dicam, duplum, & dimidium, vt ea, quæ sunt ad aliquid bonum & malum, vti contraria, cęcitas atque visus, vt habitus & priuatio: sedere & non sedere, vt affirmatio atque negatio, opponuntur. Quæ igitur vt ea, quæ sunt ad aliud, opponuntur, ea id quot oppositorum esse, aut aliquo alio modo ad illa dicuntur, vt duplum dimidij, id quod est, alicuius dicitur, alicuius enim duplum, & scientia scibili eodem opponitur modo, atque ipsa id, quod est, scibili dicitur esse: & scibile etiam id quod est, ad oppositum ipsam inquam scientiam dicitur, scibile namque aliquo, idest, scientia, dicitur scibile. Quæ igitur vt ea quæ sunt ad aliquid, opponuntur, ipsa id quod sunt aliorum esse, aut aliquo alio modo vicissim dicuntur. Ea vero quæ vt contrario opponuntur, nullo pacto legem hanc subeunt; contraria vero inter se dicuntur; neque enim bonũ mali dicitur bonum, sed contrarium, neque album nigri dicitur, sed contrarium, quare oppositiones hæ differunt. Atqui contraria quidem quæ talia sunt, vt ipsorum alterum necessario rebus ijs insit, in quibus aptum est fieri, aut de quibus prædicatur, ea nullum prorsus medium habent, quorum autem alterum ineße non necesse est, inter hæc aliquid omnino medium cadit: veluti sanitas, ac morbus in animalis corpore fieri apta sunt, neque alterum insit animalis in corpore, sanitas inquam aut morbus, necesse est, & de numero par atque impar prædicatur, & alterum par aut impar insit numero necesse est: atque nullum inter hæc, aut inter par & impar, aut inter sanitatem, & morbum, medium cadit. At quorum alterutrum inesse necesse non est, horum medium est aliquid: vt album & nigrum in corpore aptum est fieri, & non necesse est in corpore alterũ horũ inesse, nõ enim oẽ corpus aut albũ aut nigrum est. Vitiosum quoque studiosumque, de homine quidem, cæterisque compluribus prędicatur, at non neceße est alterum illis ineße, de quibus hæc prædicari possunt, non enim omnia aut vitiosa sunt, aut studiosa, atque est inter hoc mediũ sane: fuscum quidem & flauũ, cæteriq; tales colores inter album & nigrum; id quod neq. vitiosum est, neq; studiosum, inter vitiosum ac studiosũ. In quibusdam igitur media nomen habent, vt fuscum, pallidum, rubrum, cæteriq; tales colores qui media sunt inter albũ & nigrum, in quibusdam vero nomine quidem non est facile mediũ assignare, vtriusq; tamen extremorũ negatione, ipsum mediũ definitur, vt id quod neque bonum est, neque malum, neque iustũ neque iniustum. Priuatio autem atque habitus dicitur quidẽ circa quippiã idẽ, vt visus & cęcitas circa oculum, vt simpliciter

plicitèr autem dicam, in quo solet habitus fieri, circa id vtrumque ipsorum dicitur. Atque priuatum esse dicimus vnumquodque eorum, quæ susceptiua sunt habitus, cum non est habitus, non quouis modo, sed in eo, vel in quo consueuit esse, vel quando illud consueuit ipsum habere. Edentulam enim non ex eo dicimus, quia dentes non habet: & cæcum itidem non ex eo, quia visum non habet, sed quia non habet cum est aptus habere: sunt enim, quæ orta non continuo visum dentesque habent: at non edentula aut cæca dicuntur. Priuatum autem esse habitumque habere, non est priuatio atque habitus, nam visus quidem est habitus, cæcitas vero priuatio. At habere visum, non est visus, neque cæcum esse, cæcitas est: etenim cæcitas est priuatio quædam, cæcum autem esse, est priuatum esse; & non priuatio. Præterea si cæcitas idem esset, ac cæcum esse, vtraque profecto de eodem prædicarentur, at homo dicitur quidem cæcus, cæcitas autem nullo dicitur pacto. Et ipsa tamen, priuatum inquam esse, habitumque habere, perinde vt priuatio atque habitus opponi videntur, modus enim oppositionis idem est. Nam vt cæcitas & visus sic, & cæcum esse & habere habitum opponuntur.

At enim neque etiam id quod sub affirmatione negationeque est, affirmatio est atque negatio. Affirmationem namque negationemque orationem esse constat, alteram affirmatiuam, alteram negatiuam: at nihil eorum, quæ sub affirmationem negationemvè cadunt, oratio est, vt patet. Dicuntur tamen, & hæc ipsa perinde opponi, atque affirmatio negatioque opponuntur: & in his enim idem oppositionis est modus. Nam vt affirmatio, veluti sedet, negationi, ceu, non sedet, opponitur: sic & res quæ sub vtrumque cadunt sedere inquam & non sedere, sibi mutuo aduersantur. At vero priuationem ac habitum non esse opposita sic, vt ea quæ sunt ad aliquid, patet; non enim ipsum id quod est, oppositi dicitur esse; visus enim non est cæcitas visus, neque vllo alio ad illam dicitur modo: similiter neque cæcitas, visus cæcitas diceretur; sed cæcitas ipsa, priuatio quidem dicitur visus: cæcitas autem visus non dicitur, neque visus dicitur cæcitas. Præterea vniuersa, quæ sunt ad aliquid, ad ea sane dicuntur, quæ conuertuntur, quare si cæcitas ex ijs esset, quæ sunt ad aliquid & illud ad quod ipsa dicitur, profecto conuerteretur, at non conuertitur; non enim visus cæcitatis dicitur visus. Atqui neque perinde atque contraria priuationem ac habitum oppositionem subire, ex eo, perspicuum fore videtur, quod contrariorum quæ medio vacant, alterum in his, quibus apta sunt esse, aut de quibus prædicantur, inesse semper necesse est, inter enim ea medium nullum cadere diximus, quorum alterum inesse susceptiuo necesse est; vt in sanitate ac morbo, in pari ac impari intueri licet. Quorum autem est ad aliquod medium, nunquam horum alterum omni inest necessario. Neque enim album aut nigrum, neque calidum aut frigidum esse, omne quod horum susceptiuum sit, necesse est. nam vt inter hæc medium aliquod cadat, nihil sane prohibere videtur. Et insuper ea diximus medio vacare, quorum alterum non necesse est esse in susceptiuo, nisi in hisce, in quibus vnum inest natura, vt igni caliditas inest, & niui albedo; in his enim alterum definite, non vtrumvis susceptiuo inesse necesse est. Non enim aut ignem frigidum, aut niuem esse nigram contingit. Itaque non omni susceptiuo inesse alterum necesse est, sed illis tantum quibus vnum natura inest, atque vnum

definite

definite, non vtrumvis. In priuatione autem atq; habitu neutrum dictorum est verum, neq; enim alterum ipsorum semper inesse necesse est, quod enim nondum aptũ est visum habere, id neque cæcũ dicitur, neq; visum habere, quare non ex ijs erunt contrarijs, quæ medijs vacant, sed nec ex ijs, quæ medium habent: quoniam omni susceptiuo, ipsorum alterum quandoq; insit, necesse est; cum enim est aptum visum habere tunc aut cæcum, aut visum habere dicetur, atque horum alterum non definite sane, sed vtrumvis sine discrimine vllo dicetur. At in hisce contrarijs quæ medio non vacant, nunquam fit vt alterum insit omni, sed quibusdam, atque hisce alterum definite vt non vtrumvis. Quare patet neutro modo priuationem, & habitum, perinde, atque contraria, oppositionem subire. Preterea inter contraria quidem, sit modo quod ipsa recipere possit, fieri commutatio potest, nisi vnum ipsorum natura cuipiam vt igni caliditas insit. Post est enim sanum ægrotationem subire, & frigidum calidum, & album effici nigrum, ex studioso quoque vitiosus, & è vitioso studiosus euadere potest, vitiosus enim si moribus præstabilioribus præceptisque instituatur, aliquid saltem in probitate incrementi suscipiet. Quod si parum licet incrementi semel susceperit, patet aut penitus illum mutari, aut ingentia incrementa suscipere posse. Semper enim habilis magis ad consequendam ipsam virtutem, sumpto paruo etiam incremento fit, quare verisimile est, maiora quoque illum incrementa suscipere, quod quidem si semper ita fiat, in contrarium penitus habitum deducetur, nisi tempore fortasse excludatur. In habitu vero priuationeve fieri non potest, vt commutatio vnquam efficiatur, ex habitu namque, quanquam ad priuationem mutatio fit, ad habitum certe ex priuatione fieri nequit, non enim quisquam cæcus factus, visum vnquam recuperauit, neque caluus factus comam, neque edentulus vllus dentes emisit. Atqui patet, & ea, quæ vt affirmatio negatioque opponuntur, nullo dictorum modo oppositionem subire, in his enim solis alterum verum, alterum falsum esse necesse est: quod neque in contrarijs, neque in relatiuis, neq; in habitu priuationeque necesse est, semper alterum verum, alterum falsum vt sit. Sanitas enim, ac morbus contraria sunt, & neutrum ipsorum verum est aut falsum; similiter duplum & dimidium relatiue quidem opponuntur, neutrum tamen verum est aut falsum; cæcitas etiam atque visus habitus quidem, & priuatio sunt, vt patet: at neutrum verum est aut falsum. Omnino autem nihil eorum, quæ nulla cum complexione dicuntur verum est aut falsum. At vniuersa quæ dicta sunt, sine complexione dicuntur. Et quidem idipsum in hisce contrarijs maxime accidere videbitur, quæ cum complexione dicuntur, valere enim Socratem & ægrotare Socratem, contraria sunt. Atque neque in hisce necessarium est, alterum verum, falsum alterum esse, nam si existat quidem Socrates, alterum verum alterum falsum erit, si vero non existat, ambo falsa erunt, vt patet. Si enim Socrates omnino non sit, neutrum erit verum, neque ægrotare ipsum, neque valere. Si priuatione quoque ac habitu si Socrates, omnino non sit, neutrum verum erit: si a sit, non semper alterum erit verum, alterum falsum. Visum enim habere Socratem, & cæcum Socratem esse vt habitus atque priuatio opponuntur, & si sit Socrates, non necesse est, alterum verum alterum falsum esse. Quo enim tempore nondum est aptus habere, vtrumque est falsum, sin omnino non

sit,

sit falsum etiam erit vtrumque, & visum ipsum habere & cęcum esse. In affirmatione vero negationeve semper, siue sit, siue non sit, alterum erit falsum, alterum verum. Horum enim, ægrotare, inquam, Socratem, & non ægrotare Socratem, siue sit siue non sit Socrates, alterum verum alterum falsum esse patet. Si enim non sit, ægrotare illum, est falsum, non ægrotare verum, quare hisce solis hoc competit, alterum inquam ipsorum verum esse, alterum falsum, quæ vt affirmatio, atque negatio opponuntur. At vero malum quidem bono necessario contrarium est, quod quidem esse patet inductione. Morbus enim sanitati & iustitiæ iustitia, & fortitudini timiditas aduersatur & in cæt. simili modo. At malo interdum bonum, interdum malum contrarium est, defectui enim, qui quidem est malum, exuperatio, quæ quidem & ipsa malum est, contrarium est similiter, & mediocritas, quæ quidem est bonum, vtrique aduersatur, vt patet, in paucis tamen idipsum esse videtur, sed in pluribus malo bonum semper contrarium est. Preterea non necessarium est, si contrariorum alterum sit, & reliquum esse. Nam si omnes sint sani, sanitas quidem erit, morbus vero non erit, similiter si sint omnia alba, albedo quidem erit, nigredo vero non erit. Preterea si Socratem valere contrarium est huic, Socratem ægrotare; fieri vero non potest, vt ambo simul eidem insint; impossibile est si contrarium alterum sit & reliquum etiam esse. Nam si staret valere Socratem, ægrotare Socratem stare non potest. Patet etiam & circa idem aut specie, aut genere contrariæ fieri solere: vt morbum quidem & sanitatem in animalis corpore, albedinem autem, & nigredinem in corpore absolute, iustitiam vero, & iniustitiam in hominis anima. Contraria insuper omnia, aut eodem in genere, aut contrarijs in generibus esse, aut ipsa genera esse, necesse, nam album quidem, & nigrum eodem in genere sunt, color enim ipsorum est genus, iustitia vero ac iniustitia sub generibus contrarijs collocantur; alterius enim virtus alterius vitium est genus, vt patet; at bonum & malum non sunt in genere, sed aliquorum ipsa genera sunt.

HÆc est tertia & postrema pars huius operis, in qua Aristot. nonnulla declarat, quæ in singulis Prædicamentis tractandis commemorauit. Etenim in quattuor prioribus Prædicamentis, sæpe meminit contrariorum, vt in capite vero ad aliquid eorum, quæ simul & priora natura esse dicuntur: rursus in cap. de substantia & qualitate motus siue mutationis nominibus vsus fuit. Denique vsus fuit verbo, (habendi,) seu habitus in multis prædicamentis. Hac igitur de causa in hac tertia lib. parte, quæ post prædicamenta appellantur, de his omnibus differit, ab explicatione contrariorum incipiens. Atque vt altius exordiatur differit de omnibus oppositorum generibus: in quibus contraria continentur. Sunt igitur tres partes huius capitis: primum enim omnia oppositorum genera enumerantur, & explicantur: deinde ea ipsa inter sese conferuntur: tandem contraria magis declarantur, Nam propter contraria reliquorum oppositorum tractatio suscepta est.

Opposita nampue] Quatuor genera oppositorum enumerantur ab Aristot. nimirum, relatiue opposita, vt duplum & dimidium, contraria, vt bonum & malum, seu virtus & vitium, priuatiue opposita, ut cæcitas & visus, & contradictoriè opposita, vt sedere & non sedere; Vnde quatuor oppositionum genera colliguntur, nimirum relatiua oppositio, contraria, priuatiua, & contradictoria; quæ oppositiones non traduntur hoc loco inter enunciationes, vt in proximo libro, in quo de enunciatione agi

tur

tur, sed inter voces simplicies, de quibus Prædicamentorum tractato instituta est.

Quæ igitur vt ea] Enumeratis quatuor oppositorum generibus singula deinceps declaraturus, incipit a relatiue oppositis, quia in re eum seruat ordinem, vt ab ijs, quæ minus opposita sunt, progrediatur. Relatiue igitur opposita sunt, quę id, quod sunt, oppositorum esse, aut aliquo alio modo dicuntur, in qua definitione loco generis subintellige (opposita,) in ea uero comprehenduntur relatiua secundum esse & secundum dici, siue sint realia, siue rationis.

Ea vero, quæ) Explicat opposita contraria, atque in primis comparando ea, cum relatiue oppositis. Est enim hoc discrimen: quia relatiue opposita nominantur ea, quæ sunt correlatiua, vt pater & filius, ea vero, quæ nominantur contraria non sunt correlatiua, sed qualitates potius, vt virtus & vitium, albedo & nigredo. Quod intellige dictum esse de rebus, quæ denominantur contrariæ secundum se acceptis, non autem de rebus, quatenus contrariæ nominantur. Hoc enim modo ad correlatiua dicuntur, contrarium enim contrarij contrarium est.

Atqui contraria quidem) Docet hoc loco contrariorum alia esse immediata, alia mediata. Immediata sunt, quorum alterum necesse est inesse proprio subiecto, aut de eodem prædicari, vt sanitas & morbus comparatione animalis, mediata vero, quorum neutrum necesse est inesse proprio subiecto, aut de ipso prędicari (subaudi nisi alterum natura insit) vt albus color ac niger, comparatione corporis mixti, & virtus ac vitium comparatione hominis. Dantur enim media inter huiusmodi contraria, quibus affecta esse possunt propria contrariorum subiecta, remoto vtroque contrario.

Dictum est in vtraque definitione (proprio subiecto,) quoniam, contraria immediata conferantur cum eo subiecto, quod ipsorum non est capax: non necesse erit, alterum eorum inesse, vt si sanitas & morbus cum lapide conferantur. Dictum est, (inesse,) propter contraria abstracte significata, (prædicari) vero propter concreta. Addimus in definitione contrariorum mediatorum, (nisi alterum insit a natura,) quoniam cum alterum inest a natura alicui, necesse est, alterum eorum eidem esse, vt albus color & niger, si cum niue aut cygno comparetur.

Veluti sanitas ac) Quod Aristo. hic ait, inter sanitatem & morbum non esse medium, non pugnat cum sententia medicorum, asserentium medium aliquod inter hæc cerni. Nam Aristot. loquitur secundum rem medici autem secundum æstimationem. Quanquam enim corpus animalis, reipsa aut ægrum, aut sanum est, interdum tamen est in eo statu, vt iudicium ferri possit de sanitate eius aut ægritudinis: in quo statu secundum debile hominum iudicium dicitur nec sanum, nec ægrum. Quod addit de pari & impari exempli causa dictum accipiatur. Nec enim par impar, sunt vere contraria, cum eidem subiecto vicissim inesse non possit, sed quoniam immediata sunt respectu numeri allata sunt in exemplum contrariorum immediatorum. Quod rursus ait (vitiosum, & studiosum) in alijs rebus, præterquam in hominibus, reperiri, aut dictum est ex sententia Platonis, existimantis, sub luna esse quosdam dæmones bonos, quosdam vero vitiosos, aut ita est intellgendum, vt studiosum esse pro sedulo & prouido accipiatur, vitiosum autem pro inerti & ignauo. In qua significatione, quædam animalia dicimus studiosa, vt aper, & formicas, quędam ignaua & inertia, vt fucos & alia huiusmodi.

In quibusdam igitur) Docet contrariorum mediatorum, quædam habere media nominata, quædam vero in nominata, facile tamen media omnia significari posse negatione vtriusque extremi. Vt si dicamus; medium inter vitium & virtutem, seu bonum & malum & id esse, quod nec bonũ nec malum est, quod post Arist. indifferens fuit appellatum.

Sed aduersus ea, quæ in contrariorum explicatione Aristote. docuit, sic primum obijcjciet aliquis: Contradictorie opposita, vt postea patebit, sunt inter quæ nullum cadit medium. Igitur si quædam contraria sunt immediata, quædam contraria dicenda sunt contradictoria: quod incommodum est. Deinde si quædam essent cõtraria immediata, inter ea non posset fieri motus, at hoc est incommodum. Ergo & illud. Minor propositio probatur, quoniam non

potest

potest fieri motus nisi inter quæ reperiatur aliquod interuallum seu latitudo, quæ motu percurratur. At inter ea, quæ medio carent, nullum datur huiusmodi interuallum siue latitudo.

Ad priorem tamen obiectionem dicendum est, duplex esse medium, vnum quod vocatur per participationem, quod nimirum vtriusque naturam saltem virtute continet, vt flauus color & fuscus inter candorem & nigrorem. Alterum quod appellatur per negationem, quod scilicet sola vtriusque extremi negatione significatur, quo pacto nec uitiosum nec studiosum dicimus esse medium inter vitiosum & studiosum. Inter quæ hoc est discrimen, quod medium priori modo est natura quædam inter utrumque extremum reperta, at posteriori modo non est natura aliqua inter utrumque extremum collocata: sed solum dicitur esse medium comparatione subiecti, in quo neutrum extremorum necesse est inesse. Exempli causa, inter candorem & nigrorem dantur medij colores, qui sunt uera entia, at inter scientiam & errorem dicitur dari medium, non quod reperiatur natura aliqua inter errorem & scientiam, sed quod non necesse sit, hominem aut scientia aut errore affectum.

Dicendum est igitur inter contradictorie opposita cum quouis subiecto comparata nullum omnino medium cadere, nec per participationem, nec per negationem. Nec inter hominem & non hominem medium aliquod aut dari aut fingi potest: at contraria immediata carere quidem medio per participationem, non tamen per negationem, si nimirum cum subiecto alieno comparentur, ut sanum & ægrum cum lapide, aut ferro.

Ad posteriorem dicendum inter contraria immediata non dari aliquid interuallum: quod per motum percurrendum sit: sed unumquodque eorum habere latitudinem quandam maioris & minoris perfectionis, cuius latitudinis causa ab uno ad alterum potest fieri motus, ut in lib. Physicor. apertum fiet.

Priuatio autem atque habitus) Explicat priuatiue opposita dicens esse habitum, & priuationem, quæ fiunt circa idem; Quo loco nomine habitus intellige, quamcunque formam, & quasi formam, quæ abijci potest. Dixi, (& quasi formam:) quoniam pili, dentes, uestes cæteraque huiusmodi censentur hoc loco habitus seu formæ, quibus qui carent modo ea possunt habere, dicuntur habere priuationem.

Priuatio uero est negatio einsmodi habitus seu forma in subiecto natura apto, & in tempore a natura constituto, ut forma insit: cuiusmodi sunt, caluum esse, edentulum, nudum & cætera huiusmodi. Dicitur, (in subiecto natura apto,) quia negatio formæ in subiecto suapte natura minime apto non est priuatio. ut negatio uisus in lapide non est priuatio: vnde fit ut lapides non dicantur cæci: quia natura sua nō sunt apti ut uideant. Additur, (& in tempore natura constituto,) quoniam subiectum ante id tempus, quo a natura constitutum est, ut habeat formam, nequaquam ea priuatum dici potest, unde fit ita catulus ante septimum diem, quo nondum a natura constitutum est, ut oculos aperiat, nón sit appellandus cæcus. Porro priuatio duplex est, altera, a qua non potest fieri naturaliter regressus ad habitum, ut cæcitas, caluitium; altera a qua naturaliter fit regressus, ut tenebræ, nuditas &c. Aristo. uero hoc loco nomine priuationis intelligit solam priorem ut ex his, quæ paulo inferius docet, patere potest, sed ea cognita, facile erat posteriorem intelligere.

Priuatum autem esse.) Docet priuationem & priuatum esse, habitum, & habere habitum, non esse idem omnino; quod imprimis probat exemplis quibusdam, deinde hac ratione, si priuatio, & priuatem esse, ut cæcitas & cæcam; essent prorsus idem, de quocunque diceretur, unum diceretur & aliud, sed de homine uere dici potest quod sit cecus, non autem quod sit cæcitas; Ergo priuatio, & priuatum esse non sunt omnino idem: subiungit tamen Aristo. priuationem habitum, tum in abstracto, tum in concreto opponi priuatiue, ut uisum & cæcitatem, uidens atque cæcum.

At enim neque etiam) Declarat hoc loco contradictorie opposita, de quibus duo quædam affirmat, alterum non esse idem affirmationem, & negationem & res, quæ per affirmationē aut negationem signātur, quod sic ostendit, affirmatio & negatio sunt orationes, res autem significatæ non sunt orationes; Ergo affirmatio & negatio non sunt

sunt idem cum rebus signatis per affirmationem & negationem. Alterum est; res signatas per affirmationes & negationes opponi eodem modo, quo affirmationes & negationes. Ex priori dicto colliges: non esse propositiones in rebus, sed tantum in voce, scriptura aut conceptu: ex posteriori colliges, oppositionem non solum in vocibus reperiri, sed etiam ad multo magis in rebus. Voces enim sunt oppositæ, quia significant res propositas & non è conuerso: & quorsum Arist. dicturus de contradictione vocum, siue rerum simplicium, locutus est de contradictione enunciationum, nimirum quia eadem fere est, vtriusq; contradictionis cognitio. Vt enim duæ enunciationes contradicentes ita sunt affectæ, vt altera necessario sit vera & altera falsa, sic etiã voces simplices aut res per eas significata, si sunt contradictoriæ, ita sunt affectæ, vt altera necessario falso affirmetur, altera vere.

At vero priuationem.) Sequitur secunda pars huius c. in qua Arist. confert quatuor genera oppositorum inter se. Sed quoniam in initio contulit contraria cum relatiue oppositis: comparat nunc priuatiue opposita, cum eisdem relatiue oppositis: atq; docet priuatiue opposita non esse relatiue opposita, tum quia non dicuntur ad aliud, tũ quia non dicitur ad conuertentia.

Atqui neque perinde.) Confert priuatiue opposita cum contrarius, asseritque ea non opponi, veluti contraria, quod in primis hac ratione suadet. Contraria, si immediata sint, ita sunt affecta, vt necesse sit, alterum eorum proprio subiecto inesse: si vero contraria mediata sint, neutrum necesse est inesse proprio subiecto, nisi alterũ insit a natura: in quibus tamen alterum definite, non vtrumvis proprio subiecto inest, vt igni calor, niui candor. At vere priuatiue opposita, neque se habent vt contraria immediata: (quandoquidem neutrum priuatiue oppositorum necesse est inesse proprio subiecto, catulus enim verbi causæ, ante septimum diem, est proprium subiectum visus ac cæcitatis, cum tamen ante septimum diem nec cœcus, nec videns appelletur) nec rursus ita sunt affecta, vt contraria mediata. Nam si priuatiue opposita comparentur cum proprio subiecto in tempore, in quo a natura constitutum est, vt forma insit, necesse est alterum eorum in ipso reperiri, non tamen alterum definite; sed vtrumvis eorum. Non tamen colligas ex dictis, omnium contrariorum mediatorum, quorum alterum inest à natura, alterum definite inesse semper proprio subiecto. Nec enim omnia hanc legem obseruãt. vt calidum & frigidum, comparatione aquæ cui a natura frigiditas conuenit: non tamẽ aqua est perpetuo frigida. Intelligendum est igitur in quibusdam contrarias, respectu alicuius, vt in calido & frigido comparãtione ignis, candido & nigro respectu niuis & alijs similibus.

Præterea inter contraria.) Alia ratione idem confirmat in hunc modum. Inter contraria potest fieri commutatio in eodem subiecto; nisi alterum insit a natura. Nam alba possunt fieri nigra, & frigere quæ calefiunt & è contrario. Ex probo etiam improbus, & vicissim ex improbo bonus effici potest. At inter priuatiue opposita nulla commutatio fieri potest, cum a priuatione ab habitum, non fiat naturaliter regressus; quanquam. n. ex videnee quis fiat cæcus: ex cœco tamen nemo fit naturaliter videns. Igitur priuatiue opposita non opponuntur veluti contraria. Vnde colliges Arist. hoc c. de ea tantum priuatione disserere; a qua non potest fieri ab habitum naturaliter regressus.

Atqui patet.) Contulit priuatiue opposita, relatiue & contrarie oppositis: comparat modo contradictorie opposita cum reliquis tribus. Argumentatur autem hoc modo, contradictorie oppositorum necesse est alterum esse verum, & alterum falsum; sed in reliquis tribus oppositorum generibus hoc non cernitur, igitur contradictorie opposita a cæteris distinguuntur. Maior est nota minor probatur, quia si relatiue contrarie & priuatiue opposita accipiantur secũdum se, id est, extra propositionem, nec sunt vera nec falsa: cum propositiones non sint; si vero accipiantur in propositione, id est, tanquam particula propositionum, constantium subiecto aliquo singulari, tum quidem fient propositiones. Cæterum non erit opus, vt earum altera sit vera, & altera falsa. Nam si subiectum non existat, vtraque erit falsa, vt si dicamus de Socrate non existente: Socrates est pater: Socrates est filius: Socrates est albus: Socrates est niger: Socrates est videns: Socrates est cæcus: oẽs ppositiones sunt falsæ. At vero

ro si contradictor opposita sint prædicata propositionum singularium: semper altera propositionum erit uera & altera falsa: siue subiectum existat, siue non existat. Vt si dicas, Socrates est albus, Socrates est non albus; Socrates currit, Socrates non currit.

At uero malum] In tertia tandem parte huius capitis regreditur Arist. ad naturam contrariorum magis declarandum. Affert igitur hoc loco quinque contrariorum attributa, quæ quidē rebus ipsis, quæ contraria nominantur, accommodanda sunt. Eorum primum est, bono non nisi malum contrarium: at malo interdum bonum, interdum malum esse contrarium. Cuius prior pars non intelligenda est, quasi omni bono aliquod malum aduersetur. Etenim dantur bona, quibus nihil est contrarium, vt intelligendi ac uolendi facultates, & huiusmodi alia. Sensus igitur est, si quid bono contrarium est, illud malum esse debere. Vbi loquitur Aristo. de bono & malo materialiter acceptis, hoc est, de rebus quæ bonę & malæ accidentaliter dicuntur.

At obijciet aliquis bonum est propria entis affectio; ac proinde omni enti conueniens; nihil ergo est, quod bonum non sit; quare bono non aduersatur malum, sed aliud quoddam bonum. Dicēdum est tamen etsi omnia entia, qua ratione entia sunt modo aliquo habeant rationem boni, vt alio loco explicandum est, nihilominus multa esse, quæ cum aliquo comparata rationem mali induant. Qua ratione ab eo non appetuntur, sed repudiantur, vt calidum, si cum aqua comparetur, & frigidum, si cum igne comparetur. & sic in cæteris huiusmodi. Posterior autem pars eiusdem attributi hoc exemplo declaratur. Nā auaritiæ, quæ malum quoddam est, aduersatur non solum liberalitas, quæ bonum quippiam est; sed etiam uitium extremum pecuniarum scilicet effusio: quę aliud quoddam malum est. Vnde colligē uni multa esse contraria, non simpliciter ac proprie sed imperfecte ac minus proprie. Virtus enim medici neutri extremorum proprie aduersari dicitur.

Præterea non necessarium] Alterum cōtrariorum attributum est; si alterum contrariorum in rerum natura existit nō esse opus, vt alterum etiam existat. Nec enim si candor existit, necesse est nigredinem quoque existere, & sic in cæt. Tertium uero est, non posse duo contraria in eodem subiecto singulari simul inesse: Intellige perfecte, nam imperfecte, non est negandum: vt in poster. lib. de generat. & corrupt. ostēdendum est. Hinc colligitur particula quædam in definitione contrariorum collocanda, nimirum uicissim insunt. Quartum attributum est: cōtraria recipi solere in subiecto eodē, specie, vt iustitiam & iniustitiam in hominis anima: aut eodem genere, vt sanitatem & morbum in animali, albedinem & nigredinem in corpore.

Contraria insuper omnia] Postremum attributum est: contraria omnia aut proxime sub eodem genere contineri, vt albedinem & nigredinem sub colore: aut sub contrarijs generibus, vt iustitiam & iniustitiam: quarum illa sub uirtute, hæc sub uitio collocatur: aut denique esse ipsa genera contraria; vt bonum, & malum. Sed de ijs contrarijs, quæ in tertio mēbro prædicantur, dubitatio quædam existit. Nā & illa contraria ita sunt diuersa genera: vt sub vno alio comprehendantur: aut non. Si comprehenduntur, numeranda sunt in contrarijs primi & secundi mēbri; si vero non comprehenduntur sub vno aliquo genere: certe nō sunt contraria. Quare aut tertiū membrum redundat; aut de uere contrarijs non est intelligendum. Ad hanc dubitationem occurrit Iamblicus dicens: Arist. addidisse tertium membrū ex sententia Pythagoreorum: qui bonū & malum duo quędā summa genera asserebat, Aristot. sæpe aliorum exemplis utitur. Potest etē hoc modo occurri; si dicas, eiusmodi attributum ita esse explicandum. Omnia contraria aut sunt species infimæ sub aliquo genere proxime collocatæ, vt candor & nigror sub colore: aut species infimę sub diuersis generibus proxime contentæ, vt iustitia & iniustitia, quarū illa sub uirtute, hæc sub uitio comprehenditur: aut denique sunt genera quædam, non ita collocata sub uno tertio vt species infimæ sub suis generibus ac bonum & malum, seu virtus & uitium.

De Oppositione.

VT accuratius percipiantur ea, quæ de quatuor oppositorum generibus Aristo. hoc loco docuit, dicendum est, in primis de oppositione in communi; deinde de oppositionum diuisione; tum denique de singulis oppositionum generibus. Quod attinet ad primum admouendum est, rerum quasdam esse repugnantes, idest, oppositas, quasdam non repugnantes. Repugnantes sunt duo extrema simplicia; quæ de eadem re vere affirmari non possunt, vt album & nigrum, lapis & lignum: dictum est, [duo extrema simplicia,) vt excludatur oppositio seu repugnantia propositionum, de quibus hoc loco sermo non est. Hic enim agitur de vocibus aut rebus simplicibus: de propositionibus vero in libris sequentibus. Cum dicitur. (quæ affirmari non possunt;) intellige simul seu in eodem tempore, & eodem modo. Cum additur, (de eadem re,) intellige de eadem re singulari secundum eandem partem, & respectu eiusdem, vt doctus & modestus, simplex & prudens. Vnde colliges: opposita & repugnantia idem omnino esse, vt Boetius existimat hoc loco. Sic enim definit opposita; Opposita sunt, quæ in eodem secundũ idem, in eodem tempore circa vnam, eandemque rem, hoc est, respectu eiusdem, simul esse non possunt. Quæ definitio eundem sensum habet cum ea, quæ a nobis tradita fuit, quæ sententia ex Aristo. colligitur cap. 12. huius lib. vbi eiusdem generis species oppositas vocat, quod tamen verum non esset, nisi idem esset oppositum, quod repugnans. Hinc etiam colliges virtutes ac colores mediorum cum extremis comparatos contineri sub oppositis, siue repugnãtibus, item simile & dissimile, æquale & inæquale, hic pater, hic filius, hæc albedo & hæc nigredo, & huiusmodi alia, cum his omnibus repugnantium seu oppositorum definitio tradita aperte conueniat. Denique ex dictis colliges definitionem oppositionis in communi, vt nomine abstracto significatur, hoc modo: Oppositio seu repugnantia est relatio duorum extremorum simplicium: quæ de eadem re vere affirmari non possunt. Cuius definitionis particulæ sic intelligendæ sunt: vt eas in definitione oppositorum seu repugnantium exposuimus.

De diuisione oppositionis.

SEquitur vt de diuisione oppositionis dicamus. Oppositio igitur in quatuor genera diuisa est ab Aristo. in relatiuam videlicet, contrariam priuatiuam & contradictoriam: quibus quintum genus addendum est, nempe, repugnantia eorum, quæ disparata appellantur. Cum enim oppositio & repugnantia omnino idem valeat; atque repugnantia non solum quatuor illa ab Aristote. tradita comprehendat, sed etiam repugnantia disparatorum, vt hominis & lapidis, æqualis & inæqualis, similis, & dissimilis; planum est, illis quatuor generibus oppositionis ab Aristote. traditis, quintum etiam addendum: cuius propterea Aristo. non meminit, quia eas tantum oppositiones recensere voluit, quæ magis tritæ sunt & a Philosophis maxime vsurpatæ: quales sunt illæ quatuor duntaxat. Est autem oppositio analogum quippiam ad hæc oppositionum genera; quod & maxime ex eo patet: quod quædam oppositiones sint entia realia; quædam entia rationis vt alibi docebimus, ad quæ nihil vniuocum esse potest.

Sed aduersus traditam diuisionem concretis nominibus signatam, obijciet aliquis eam vitiosam videri: quoniam vnum membrorum diuidentium non solum de diuiso, sed etiam de reliquis membris diuidentibus naturali prædicatione enunciatur. Nam cũ diuisum huius diuisionis sit quoddam relatum, ac simili modo singula membra diuidentia, omne autem relatum relatiue opponatur, consequens est, vt relatiue opositum quod vnum membrum est huius diuisionis non solum de diuiso, sed etiam de cæteris membris diuidentibus, naturali prædicatione enuncietur. Quod tamen incommodum esse videtur, cum nullum diuisum sub vno membrorum diuidentium contineri debeat; nec alia membra diuidentia, sub eodem. Occurrendum est tamen non esse incommodum: quod diuisum accidentaria subiectione sub vno membrorum diuidentiũ contineatur, & reliqua mem-

membra diuidentia sub eodem: quo modo oppositum in communi & reliqua membra diuidentia sub relatiue oppositis continentur. Etenim hæ prædicationes: oppositum in commune est relatiue oppositum,& contrarie,priuatiue,contradictorie,ac disparate opposita sunt relatiue opposita,non sunt essentiales sed accidentariæ. Similem obiectionem fecimus. & dissoluimus apud porphyr. quæst.6.in præf.

De relatiua oppositione.

QVod attinet ad oppositionem relatiuam illud est admonendum, eam esse relationem æqualis comparationis, Fundatur autem relatiua oppositio in solis relationibus, non tamen in omnibus, sed in ijs tantum, quæ non sunt relatiuæ oppositiones,vt verbi causa, fundatur in paternitate filiatione,contrarietate & alijs huiusmodi, quæ non sunt ipsæ relatiuæ oppositiones. Quemadmodum enim paternitas non est oppositio relatiua, nec constituit concretum,quod, quatenus tale est, relatiue opponatur, adhuc eget quadam relatiua oppositione, qua pater formaliter dicatur relatiue oppositus, at relatiue oppositiones (in qua scilicet dicitur relatiua oppositio in communi,) quoniam sunt relatiue oppositione, non egent alia relatiua oppositione: qua earum concreta formaliter dicantur relatiue opposita, sed ipsa constituunt concreta quædam; quæ quatenus talia sunt,relatiue opponuntur. Nam ab hac relatiua oppositione,verbi causa,deducitur hoc concretum, hoc relatiue oppositum, quod quidem quatenus tale est, opponitur relatiue,alteri relatiue opposito. Hinc potes colligere,omnia correlatiua esse relatiue opposita,sed alio atque alio modo. Quædam enim denominatiue dicuntur relatiue opposita, vt pater & filius, duo contraria,vt contraria sunt duo contradictoria vt contradictoria sunt, & alia huiusmodi, quædam vero essentialiter dicuntur relatiue opposita, vt hoc relatiue oppositum & eius correlatiuum, quatenus talia sunt.

De oppositione contraria.

COntraria in hunc modum definiri solent: Contraria sunt opposita,quę sub eodem genere maxime distant,& eidem subiecto vicissim insunt, nisi eorum alterum insit a natura, vt calor & frigus, candor & nigor, virtus,& vitium: quæ quidem definitio partim ex c.de quantitate, partim ex hoc cap.colligitur. In ea vero opposita siue repugnantia ponitur loco generis: qua particula excluduntur ea,quæ repugnantia nõ sunt. Cum dicitur: (sub eodem genere,intelligendum est genus proximum, aut remotum, per quam definitionis particulam excluduntur contradictorie. & priuatiue opposita: quoniam hæc sub nullo eodem genere, cum vero additur,(maxime distant,) intellige maximam distantiam non secundum locum, sed secundum naturam & essentiam. Quanquam enim duo candores loco sint seiunctissimi; tamen non dicentur maxime distantes: quo pacto distantia hic accipitur, quoniam natura sunt coniunctissimi,cum sint eiusdem speciei,at vero candor & nigror propter naturæ distantiam maximam,censentur maxime distare, etiam si in eodem subiecto accipiantur. Vnde fit vt contraria etiam imperfecta maxime distent naturam,quæ huius distantiæ causa existit, Per hanc igitur definitionis partem excluduntur mediata inter se si multa fuerint: tum etiam cum extremis cõparata,vt flaus color & fuscus, flaus color & candor,fuscus color & nigror,& huiusmodi alia,quoniam hæc non maxime distant, quippe cum sub eodem genere maior distantia, secundum naturam inueniatur. Cum audis(eidem subiecto,) intellige singulare subiectum & secundum eandem partem, cum vero additur (vicissim insunt,) seu recipiuntur,sic intelligendum est, vt contraria possint eo pacto in subiecto recipi, vt possint vere seu per se in subiecto produci, aut saltem sint ipsæ productiones,quod addiderim,propter actiones contrarias, quæ sunt vere ac proprie cõtrariæ. Qua particula excluduntur omnia relatiue opposita,vt pater & filius,quoniã hęc non possunt hoc modo vicissim inesse, nec enim relationes possunt per se produci,vt 5. Phys.lib. docebimus, quo loco dictum est

ad relationem non esse per se motum, nec sunt ipsæ productiones, vt planum est. Excluduntur etiam pari ratione relatiua comparata non cum suis correlatiuis, vt simile & dissimile, æquale & inæquale: quoniam hæc ita non insunt vicissim, eo pacto quo diximus. Cum addis (insunt,) intellige perfecte: etenim contraria cum perfecta sunt, hoc est, cum talia sunt, vt ab ipsis subiecta simpliciter denominentur, non simul in eodem subiecto inhærent, sed vicissim insunt. Imperfecta vero simul in eodem esse possunt, vt calor & frigus in aqua tepida, additur tamen, (nisi eorum alterum insit, a natura,) quoniam cum alterum contrariorũ a natura subiecto inest, non potest in eius locum alterum succedere: succedere inquã perfecte, ita scilicet, vt ab eo subiectum simpliciter denominari possit, qua ratione licet aliquid frigoris habere possit, qua ignis nunquam tamen simpliciter frigidus potest nominari; nec cygnus simpliciter niger, qđ hæc alterum contrariorum a natura sibi vẽdicant.

At obijciet aliquis, contraria imperfecta seu vt dici solet, in gradibus remissis sunt contraria: ea tamen non vicissim insunt eidem subiecto. Igitur definitio contrariorũ non est bona. Occurrendum est tamen: contraria imperfecta duobus modis sumi posse. vno quo ad naturas, quibus accidit, vt sint imperfectę, altero qua ratione imperfectæ sunt. Licet enim huiusmodi naturę in eodem subiecto simul esse possint: non tamen perfecte, quod satis est, vt eis definitio contrariorum non accommodetur. posteriori autem modo non sunt contraria, nec illis hoc modo tradita definitio accommodatur. Ita igitur patet, quę potissimum contraria dicantur.

De opppsitis priuatiuè, contradictoriè & disparate.

PRiuatiue opposita sunt habitus & formæ, & priuatio formæ, vt visus & cęcitas, quam definitionem satis in contextu exposuimus. Opposita vero contradictoriæ sunt affirmatio, & negatio simplex: inter quas comparatione cuiusque nullum datur medium, idest quorum alterum de quouis siue ente siue non ente, vt dicatur necesse est, quod quo pacto intelligendum sit in ca. 10. lib. 2. de Interpr. docebimus. Dicitur autem contradictoria oppositio, (simplex affirmatio & negatio:) vt excludantur enunciationes oppositæ, de quibus hoc loco sermo non est: & comprehendantur sola contraria simplicia: qualia sunt, homo, non homo, lapis non lapis, album non album Hæc enim cũ enunciationes sint ita tamen sunt affecta, vt quicquid modo aliquo est, aut fingi potest, aut si homo aut non homo, &c. id quod in superioribus oppositorum generibus nequaquam reperies; Lapis enim (vt vno exemplo rem intelligas) nec dominus est, nec seruus, nec virtute præditus, nec vitiosus, nec rursus cæcus aut videns.

At obijciet aliquis: oppositionem priuatiue sub contradictoria contineri, ac proinde non constituere duo quædam oppositionum genera diuersa: nam. priuatio hoc est negatio formæ in subiecto apto continetur sub negatione absolutè sumpta, sed illa opponuntur priuatiue, hæc contradictorie, ergo priuatiua oppositio sub contradictoria comprehenditur.

Occurrendum est tamen, fundamentum priuatiue oppositionis hoc est, priuationem essentialiter contineri sub fundamento contradictoriæ oppositionis, hoc est, sub negatione absolute sumpta, at vero priuatiue oppositum simpliciter sumptum non contineri sub contradictorie opposito simpliciter sumpto: Nec enim priuatiua oppositio est contradictoria, cum alia sit priuatiue oppositionis relatio alia eorum, quæ contradictorie opponuntur. Disparata vero per negationem aliorum oppositorum sic definiri possunt. Disparata sunt repugnantia, quæ nec relatiue, nec contradictorie opponuntur, vt homo, equus, lapis & ferrum.

CA-

CAPVT VNDECIMVM

De modis priorum.



Rius quippiam alio quatuor dicitur modis. Primo quidē & propriissime, tempore, quo pacto quippiam antiquius aliquo & vetustius dici solet, quia namq; pluris est temporis, ideo antiquius atq; vetustius dicitur. Secundo vero id, quod non conuertitur essendi consequentia, quo pacto vnum duob. est prius: nam si sint duo & vnum continuo sequitur esse: at si vnum sit. non necessario sequitur duo esse. Quare hoc posito, non conuertitur consequentia, vt illud sit. Prius autem id esse videtur, quod essendi consequētia non cōuertitur. Tertio modo, ordine quodam dicitur prius vt in scientijs atq; orationibus intueri licet. In demonstratiuis enim scientijs, prius est nimirum atq; posterius ordine: elementa namq; designationibus ordine priora sunt: quippe cum principia priora sint ordine conclusionibus contemplandis; & in Grammatica syllabis priora sunt elementa, in orationibus etiam exordium simili modo narrationem ordine antecedit. Præterea id quod est præstabilius, honorabilius ve prius natura esse videtur. Vulgus etiam eos, qui sunt honorabiliores, quosq; magis amant vocare priores consueuerunt; quanquam hic modus pene omnium alienissimus esse videtur. Tot igitur fere sunt modi, prioris qui dici solent. Videbitur autem & vltra iam dictos, alius quidam esse prioris modus eorum enim, quæ essendi consequentia conuertuntur, alterum quod est causa quouis m o lo vt alterum sit, prius natura non incongrue dici potest. Atq; esse quædam talia patet. Esse enim hominem, ad orationem de ipso veram essendi consequentia sane conuertitur, nam si sit homo, vera est ea oratio, qua homo dicitur esse: & e contra homo profecto est, si vera est ea oratio, qua hominem dic mus esse. Atque oratio quidem vera, vt res sit, nullo pacto est causa: res tamen aliqua ex parte, vt sit oratio vera causa esse videtur. Ex eo namque quia res est, aut non est, oratio vera dicitur, aut falsa. Quare fit, vt quinque modis ipsum prius dicatur, vt patet.

Hoc capite explicat Aristo. modos quibus aliud alio prius esse dicitur, non autem tradit modos posteriores, quoniam prius & posterius correlatiua sunt, quorum vnum altero cognito facile intelligitur; Quod enim modis dicitur vnum oppositorum, tot dicitur & alterum. Primus qui & aptissimus modus est, quo aliud alio prius tempore esse dicitur, quo pacto dicimus Adamum fuisse priorem cæteris hominibus.

Secundo vero) Secundus modus prioris est, quo aliquid dicitur prius alio existendi conuenientia, hoc est, quod ita est affectum ad aliud, vt ab eo inferatur secundum existendi conuenientiam, non tamen inferat illud, quo pacto superius suo inferiori prius esse dicitur, vt animal homine. Nam si homo est, animal est profecto, non tamen si animal est, necesse est hominem esse. Hoc eodem modo vnum duobus, & duo tribus priora esse dicimus. Etenim si duo sint, continuo sequitur vnum esse: vnum autem si sit, non necesse est esse duo, atque ita in cæteris.

Tertio modo) Tertius modus est, quo aliquid dicitur prius ordine: non quomodocunque (quicquid enim prius est ordine, aliquo prius est) sed ordine cognitionis & doctrinæ, quo pacto in Mathematica priora sunt elementa id est definitiones, & principia, quam conclusiones demonstrationis.

Præterea id) Quartus modus est, quo aliquid dicitur prius dignitate & præstantia, aut secundum naturam, quo pacto dicimus solem esse luna priorem, aut ex hominum opinione, quo pacto solent plerique eos, qui apud ipsos sunt in nomine & gloria, quosque pluris faciunt, priores appellare. Verum hic modus fere omnium alienissimus, Aristoteli videtur: aut quia nonnunquam ex horum arbitrio pendet: aut quia non est adeo vsurpatus, vt digniora, priora nuncupentur.

Videbitur autem) Adiungit quintum modum, quo illud dicitur esse prius, quod est causa eius, cum duo existendi consequẽtia reciprocatur, quo positio subiecta omnia suis proprietatibus priora esse dicuntur; vt homo risibili, eodem modo id quod significatur vera oratione prius est ea ipsa oratione, qua significatur. Quanquam enim vtrique valeat consecutio, vt si res ita habet, oratio sit vera & econtraria, tamen res significata causa est vt oratio sit vera, causa inquam vt exemplar, (quæ ab Aristote. 2. physi. ad formalem causam reuocatur) Non res significata est, quasi exemplar, cuius imitatione oratio vera, tanquam similitudo quædam, ac simulacrum rei significatæ sese accommodat. Hunc modum appellat Arist. prius natura, si qui vero alij fuerint, de quibus Arist. 5. Metaph. lib. c. 11. latius disputat, ad hos facile reuocabuntur, qui vero hoc loco traduntur, hoc disticho continentur. (Tempore, natura, prius, ordine hic, & honore.

Causam causato dicimus esse prius.



CAP.

CAPVT DVODECIMVM

De Modis Simul.



Imul autem ea simpliciter propriissimeq; dicuntur, quorum generatio est tempore in eodem, neutrũ enim ipsorum prius, aut posterius est. Atq; hæc tempore simul dicuntur. Natura vero ea dicuntu simul, quæ essendi quidem consequentia cum cõuertantur: neutrum tamen vt sit alterum, causa est: vt in duplo dimidioq; intueri licet; hæc enim non conuertuntur. Nam si duplum est, dimidium est, & si dimidium est, duplum est: neutrum tamen est causa vt alterum sit. Ea preterea quæ eiusdem generis, diuisione sibi opponuntur, simul esse dicuntur natura. Dicuntur autem eiusdem generis diuisione opposita sibi, quæ in eadem sunt diuisione; qualia sunt volatile, gressibile, atq; in aquis degens; Hæc enim sub eodem genere contra se sunt diuisa: quippe cum animal in hæc, vt patet, distribuatur, nihilq; horum aut posterius sit, sed natura talia esse videantur. Diuidi etiam vnumquodq; talium in species rursus potest, vt volatile, terrestre, aquaticum. Erunt igitur & ipsa simul natura, quæ sub eodem genere collocata, in eadem sunt diuisione. Genus tamen specie prius est semper, non enim in consequentia fit ab illo conuersio. Nam si volatile est, animal est, animal est, at si animal est, non necesse est volatile esse. Simul igitur dicuntur natura, ea quæ in essendi quidem consequentia conuertuntur. Nullo tamen pacto alterum causa est, vt alterum sit: & ea, quæ sub eodem genere collocata, contra sese sunt diuisa. Absolute autem simul sunt, ea quorum generatio eodem in tempore est, vt prius est dictum.

HOc capite traduntur tres modi, quib. aliqua simul esse dicuntur. Primus, & maxime proprius est, quo aliqua dicuntur esse simul tẽpore, qui in tres diuidi potest. Simul enim aliqua incipiunt ac desinunt in eodẽ tempore, vt subiectum & eius proprietas. Simul eodem tempore incipiunt, & si alterum diutius existat, vt gemini fratres. Tandem in aliqua temporis portione simul existũt, etsi nec simul inceperint nec desierint, quo pacto dicimus Arist. & plato. fuisse simul. Quanquam vero Aristo. solum expresse meminerit secundi modi, voluit nihilominus, cæteros ad hunc modum esse referendos.

Natura vero) Tradit duos alios modos quibus aliqua dicuntur esse simul natura, prior est, quo illa dicuntur simul esse natura, quæ reciprocantur, secundum existendi conuenientiam, & neutrum est causa alterius, quo pacto c. de relatione diximus, relata secundum esse, esse simul natura. Posterior est, quo ea dicuntur esse simul natura, quæ sunt membra diuidentia eiusdẽ generis, vt homo & belua. Dicuntur autẽ hæc simul natura: quia ex æquo participant naturam diuisi: Licet enim secundũ suas speciales rationes, vnum possit esse prius natura altero, vt binarius, quaternarius, aut homo quam bestia; participatione tamẽ sui generis non est eorũ alterum prius altero. Hi vero tres modi his versib. continentur (Tẽpore dico simul quorũ generatio nũc est:)

Quæ conuertuntur dicimus esse simul.
Sũtq; simul species genus vnũ cõdiuidẽtes
At generis causa non ratione sui.

CAPVT DECIMVM TERTIVM

De Speciebus Motus.




Otus species sunt sex: generatio, corruptio, accretio, decretio, alteratio, & ea mutatio, quæ loco accommodatur. Atqui cæteri quidem motus, vt patet, diuersi sunt; non enim corruptio est generatio, neque accretio est decretio: neque ea mutatio, quæ loco accommodatur: cæteriq; motus similiter. De alteratione vero dubitatio quædam existit, ne forsitan necessarium sit id, quod alteratur, aliquo reliquorum motuum alterari, nullo motuum cæterorum communicante, neq; enim incrementia, neque decrementia suscipere necesse est, id quod passione mouetur. Et simili in cæteris modo, quare alteratio diuersus est a cæteris motus, nam si esset idem continuo id, quod alteratur, crescere, aut decrescere, aut aliquo alio moueri cęterorum motuum oporteret, at non est profecto necessarium. Similiter & id, quod augetur, aut aliquo alio motu mouetur, alterari oportet. At sunt quædam, quæ augentur, non alterantur autem, quadratum enim gnomone circumposito creuit quidem, at non est alteratum; similiter & cæteris in rebus huiusmodi fit. Quare diuersi sunt hi motus omnes, vt diximus. Simpliciter autē motus quidem contrarius quieti est, singulis autem singuli aduersantur, generationi quidem corruptio, accretioni vero decretio & mutationi accommodatæ loco, quies in loco, & maxime vt videtur ea mutatio, qua contrarium ad locum itur, vt in motui quo sursum itur is motus quo deorsum itur, & è conuerso opponitur. At reliquo assignatorum motuum quid nam contrarium sit, non est facile assignare. Nihil autem ipsi contrarium esse videtur, nisi quispiam & in hoc quietem in qualitate dicat opponi ei mutationi, quæ ad qualitatem est oppositam, mutationemq; eam, quæ est ad qualitatem contrariam: perinde atque in mutatione loco accommodata quietem in loco & mutationem, qua ad contrarium locum itur, contraria diximus esse. Alterationem namque mutationem esse in qualitate, constat. Quare motui in qualitate, quies in qualitate opponitur, aut ea mutatio, qua ad qualitatem contrariam itur; quo pacto album quippiam fieri, & nigrum quippiam fieri, inter se opponuntur. Alterantur enim hæc atque in qualitatis contrarios terminos mutatio fit.

Tra-

Tradit hoc cap. sex species motus, id est, sex membra diuidentia mutationum. Sumitur autem hoc loco species pro membro diuidente motus, aut pro quacunque mutatione, siue in substãtia rei, cuiusmodi sunt generatio & corruptio, siue in quantitate, vt accretio & decretio, siue in qualitate, vt alteratio, siue in prædicamento Vbi, quod dicitur loci mutatio.

Atque cæteri quidem:) Docet has motus species esse inter se diuersas, idq; patere in omnibus motibus præterquam in alteratione. Fuerunt enim quidam Philosophi: qui alterationem a cæteris motibus nõ distinguebant. Idcirco immoratur Aristo. aliquantulum in eius sententiæ impugnatione, multo accuratius dicturus ea de re 1. & 2. de generat. Ostendit itaque duabus rationibus alterationem a cæteris motibus distingui, Prior est, si alteratio esset eadem, cum cæteris motibus quicquid alteraretur oporteret moueri aliquo aliorum motuum sed hoc non requiritur; igitur nec illud. Minorem probat, quoniam secundum omnes fere quantitates tertiæ speciei, quas hic vocat passiones, potest quispiam alterari, cum nullo cæterorum motuum moueatur; Dixit, (fere) quoniam interdum cum alterationibus sunt coniunctæ generationes, & corruptiones.

Similiter & id) posterior ratio est, si alteratio esset eadem cum cæteris motibus, quicquid accresceret alteraretur; sed quędam accrescunt, & non alterantur; Ergo alteratio non est eadem cum cæteris motib. Minorem probat. Nam quadratum addito gnomone augetur apud Mathematicos, & tamen non alteratur, cum non mutetur figura, tunc enim dicunt Mathematici figuram augeri, cum fit maior, tunc vero alterari, cũ mutatur in aliam figuram. Cæterum hoc exemplum non pertinet ad accretionẽ proprie dictam: quæ in solis viuentibus reperitur per conuersionem elementi in substantia alimenti: eo tamen vsus est Arist. quoniam veteres quidem existimabant accretionem fieri per solam, iuxta positionem. Vnde colliges Aristo. in hoc lib. admodum populariter loqui. Quadratum est figura constans quatuor lateribus æqualibus rectos angulos constituentibus; gnomon vero est supplementum, quod ita additur laterib. quadrati, vt figura quadrati non mutetur, sed maneat æquilaterum, vt apparet in subscripta figura.



Simpliciter autem) Docuit numerum, & distinctionem partium subiectarum motus: docet nunc motus in communi contrariam esse quietem, motibus autem specialibus tum speciales quietes, tum speciales motus esse contrarios. Quo loco aduerte, quietem esse priuationem motus, & ex consequenti non esse proprie contrarium motui, sed minus proprie, quo pacto priuatiue opposita interdum contraria appellantur. Animaduerte deinde omnem motum esse inter duos terminos, quorum alter dicitur (a quo,) alter dicitur (terminus ad quem.) Animaduerte tertio non quamuis quietem esse motui contrariam, sed eam, quæ mobile quiescit in termino a quo, vt eam, qua lapis quiescit in terra, contrariam esse motui, quo lapis sursum pellitur. Postremo aduerte, eos motus esse contrarios, quorum termini ad quos sunt contrarij, Physce, & late accepto contrariorum nomine. Hoc modo generatio contraria est corruptioni, & accretio, decretioni, frigefactio, calefactioni, & motus sursum, motui deorsum.

CAPVT DECIMVMQVARTVM

De Modis Habere.





Abere pluribus modis, aut vt habitum dispositionemque vel aliquam aliam qualitatem dicitur: scientiam enim habere aliquam dicimur, & virtutem aut vt quantum, velut eam, quam quisque magnitudinem habet: nam cubitorum trium vel quatuor habere magnitudinem: dicitur: aut, vt ea quæ circa corpus ponuntur, vt vestem, tunicam, & gladium & similia, aut in parte, velut in manu annulum, aut vt partem, vt manum vel pedem; aut vt in vase, vt modium habere triticum dicimus, aut dolium vinum: hæc enim habere vt in vase dicuntur; aut possessionem: habere enim dicimur domum, fundumvè. Dicitur & vir vxorem & vxor virum habere; qui quidem remotissimus omnium habendi modus esse videtur. Nihil enim aliud dicendo virum habere vxorem significamus, quam virum vna cum vxore habitare. Forsitan & alij quidem habendi modi esse videbuntur: sed qui dici solent, omnes fere sunt nunc à nobis enumerati.

VT vocabulum habendi explicet octo eius significationes tradit, quarum solum tertia & quarta ad vltimum Prædimentum spectant. Nam reliquæ significationes ad alias categorias pertinent. De his habendi significationibus, plura sunt apud Aristo. 5. Metaphysic. cap. 10. & 23.

Prædicamentorum Libri Finis.



COMMENTARII
IN PRIMVM LIBRVM
DE INTERPRETATIONE.



VM Aristo. in libris Dialectitæ, qui ad nos peruenerunt de sola argumentatione simpliciter differat: eius autem partes minimæ, quæ sunt notiones simplices in superiori libro sint explicatæ, consequens est, vt in hoc lib. qui apud Græcos vnus est & a Latinis in duos diuisus, de maioribus partibus, quæ sunt enunciationes simplices, agendum sit. Vnde perspicuum est subiectum huius lib. esse enunciationem simplicem, quam vocant categoriam; cuius partes subiectæ sunt affirmatio & negatio; passio vero quæ demonstrari potest, posse alteri opponi oppositione complexa.

Hinc potest colligi secundo loco; Arist. seruasse tum naturæ, tum doctrinæ ordinē; cum a lib. Prædicamentorum per hunc librum ad libros priorum fecerit transitum; Progressus est enim a minimis per maiora, ad maiora vsque, qui ordo in naturæ operibus seruari solet, explicauitq; enunciationem post voces simplices, & ante syllogismum simplicem; quoniam nec enunciatio simplex sine vocibus simplicibus, nec syllogismus simplex sine enunciatione simplici accurate cognosci poterat.

Inscriptio horum lib. hæc est; [perihermenias,] idest, [de interpretatione.] Sed non satis connenit inter interpretes quid nomine [interpretationis] intelligat Arist. Et quidem sententia Boetij, interpretatio est vox articulata aliquid significans ex instituto, siue complexa sit siue incomplexa. Vnde fit, vt nec voces naturales hominum & brutorum, vt gemitus & boatus, quoniā non sunt articulatæ, nec voces articulatæ, quæ ad significandam non sunt impositæ, vt blictri, nec catego:ɛmata, quæ per se non significant aliqua, nec coniunctiones interpretationis nomine censenda sint, sed reliquę voces siue simplices sint, vt nomen & verbum, siue coniuncta, vt oratio.

Cæterum, quoniam voces simplices potius sunt partes orationis interpretantis quam interpretationis, multo probabilius est id, quod Ammonius quem Albert. magnus & D. Thom. secuti sunt, hoc loco asserit; Putat enim interpretationem esse solam enunciationem simplicem, quippe cum hæc sola significet, verum & falsum; simpliciter ac proprie. Dicendum est igitur inscriptos fuisse lib. de Interpretatione, quasi de enunciatione simplici, de qua vt de subiecto in his libris disputatur.

Quod si quis obijciat, orationem optatiuam, vocatiuam, interrogatiuam & imperatiuam esse mentis interpretes, cum explicent perfectam sententiam eius, qui loquitur, & præterea nomine interpretationis esse comprehendendas. Occurrendum est tales orationes potius affectus appetitus, quam conceptionem intellectus interpretari. Vnde fit, vt ad Logicam non pertineant. Sed quoniam Aristo. de ea solum interpretatione disputat hoc loco, quæ ad Syllogismum simplicem conducit; efficitur, vt nomine interpretationis sola simplex enunciatio sit intelligenda.

Diuiditur autem huiusmodi opus in præfatiunculam; quæ paucis verbis continetur, in qua proponit nonnulla eorum, de quibus est acturus, & in ipsam tractationem, in qua singula persequitur, & alia multo plura.

CA-

CAPVT PRIMVM

DE SIGNIS.



Rimo definire oportet, quidnam sit nomen & quid verbum: deinde, quid affirmatio & negatio, quid enunciatio & oratio: Ea igitur quæ in voce versantur, signa sunt affectuum, qui in anima sunt: & ea, quæ scribuntur, notæ sunt eorum, quæ in voce versantur. Atque vti non eædem sunt apud omnes homines literę, sic neque voces eædem sunt; affectus autem, quorum hæc signa sunt, primo apud omnes homines ijdem sunt; res quoque quarum hę similitudines sunt, easdem itidem esse constat; verum de ijs in libro de Anima dictum est, alterius enim sunt negotij. Quemadmodum autem in anima conceptus interdum sine veritate falsitateve est, interdum vero talis, vt alterum horum ei competat necessario, sic & in voce esse videtur; nam verum & falsum in compositione diuisioneque consistit. Igitur nomina ipsa, verbaque ei conceptus, qui sine compositione diuisioneque est, similia sunt: velut hoc nomen album, vel homo, cum nihil additur ipsi; nondum enim verum est aut falsum. Cuius quidem hoc indicium est; hippocentaurus enim aliquid quidem significat: at nondum verum est aut falsum, nisi esse aut non esse additum, aut simpliciter aut respectu temporis fuerit.

AIT Aristo. in hac tractatione se Geometrarum more antequam proprietates enunciationis pertractet, positurum definitionem, verbi, nominis, negationis, affirmationis, enunciationis & orationis, ex quarum definitionum suppositione cetera sunt ostendenda. Cæterum dubitabit aliquis, cur Aristot. hic velit agere de nomine, & verbo, quæ sunt voces simplices cum superiori libro de his vocibus simplicibus disputauerit. Cui dubitationi occurrendum est, voces simplices tribus modis considerari posse, primo vt significant res simplices, deinde vt sunt partes enunciationis simplicis, tertio vt sumuntur in syllogismo tanquam maior, minorve extremitas, aut medius termino: in præcedentibus actum est de vocibus simplicibus primo modo spectatis, quo pacto solam vocum simplicium appellationem sortiuntur, hic a. de ijsdem secundo modo sumptis disputatur: qua ratione solam nominis & verbi appellationem accipiunt; denique in libris priorum de ijsdem tertio modo acceptis disserendũ est, sub terminorum appellatione.

Ea igitur quæ] Aggreditur ipsam tractationem. Sed quia definiturus est nomen & verbum, & orationem per vocem significatiuam ex instituto: idcirco tria supponit hoc capite: quæ pertinent ad vocum significationem explicandam. Primum est huiusmodi. Voces immediate significare affectus animi, idest, conceptus: scripta autem immediate significare voces ipsas. Hoc documentum pertinet ad explicandum ordinem, quem voces & scripta seruant, in significandis rebus, rerumque conceptibus. Quod vt planius intelligas aduerte, quatuor esse hic consideranda, res, conceptus, voces & scripta. Res sunt, quæ significantur, conceptus autem sunt naturales similitudines rerum, quibus ipsæ significantur, sed quoniam homines non possunt in societate aliorum viuere, nisi sua cogitata ijs, qui viuunt interpretentur: idcirco datæ sunt a natura voces, facultasque ad vocabula pingenda, quibus quisque suos conceptus alijs significet, sed quia homines non solum cum præsentibus, sed cum absentibus & futuris communicare suas conceptiones

nes volunt: quod vocibus fieri non potest: inuenta sunt scripta quibus & voces & conceptiones significantur. Ex quibus intelliges: eum esse ordinem in significatione conceptuum, vocum & scripturarum: vt conceptus res ipsas immediate significent: voces autem, quia inuentæ sunt ad significandas res, vt apprehenduntur conceptibus, significant res interuenientibus conceptibus indicando videlicet, quem conceptum de re per vocem significatum habeat, aut habere debuerit is, qui vocem protulit, scripta denique quia inuenta sunt, vt loco vocum res significarent, immediate voces significant, mediate conceptus, ac tandem res ipsas.

Aduertendum est deinde: voces non ita significare conceptus: vt conceptus ipsi sint præcipua vocum significata, pro quibus voces prolatæ accipiuntur. Cum enim dico, homo est albus, non est sensus, quod conceptus hominis, sit conceptus albedinis: esset enim propositio falsa: sed quod res apprehensa per conceptum hominis, sit res apprehensa per conceptum albi: Dicuntur igitur significare conceptus, quia significando res tanquam præcipua significata insinuant conceptus, significamus enim vocibus res, secundum quid ipsas concipimus.

Atque vti non eadem] Secundo loco supponit voces & scripta non esse eadem apud omnes; conceptus vero eosdem esse, vt res quæ concipiuntur. Quo loco aduerte cum voces, & scripta possint naturaliter accipi: vt res quædam sunt de Prędicaměto. Qualitatis, cum formaliter, vt habent relationem significantis, Aristo. non negare uoces & scripta materialiter sumpta esse eadem apud omnes, id est, eandem ubique naturam retinere: cum id paulo post rebus affirmabitur, sed solum negare uoces et scripta, formaliter sumpta, siue vt significatiua sunt esse eadem: quasi dixerit; voces & scripta non eandem naturam omnibus significare, uerbi causa, hæc uox, homo, apud Latinos significat naturam humanam, at apud alias nationes aut nihil significat, aut aliquid lõge diuersarum, quod in conceptibus longe aliter accidit, vnus enim & idem conceptus idem omnibus significat.

Sed dicat aliquis: Si Astrologus & rusticus solem concipiunt, conceptus vtriusque idem est: at non eandem rem significant; Conceptus enim Astrologi de sole repræsentat illi solem maiorem tota terra: rustici vero paruæ cuiusdam magnitudinis; Vnus igitur conceptus non eandem rem omnino significat. Ad hoc argumentum neganda est maior, nec enim Astrologus & rusticus eundem conceptum formãt de sole, sed potius diuersos: cum non eodem modo solem concipiant. Diuersi autem conceptus de eadem rè habiti, nõ idem significant omnibus: at uero unus idemque conceptus, vt ille, quem Astrologus de sole format idem omnibus significat: Si enim conceptus alicuius in cuiusuis mente ponatur siue græci, siue Latini, siue cuiusuis alterius, idem omnibus significabit. Nam imago & similitudo alicuius rei, vbicunque sit suapte natura significat & repræsentat rem, cuius est imago & similitudo: Vnde conceptus quem rusticus efficit, si poneretur in mente Astrologi, significaret illi solem paruæ cuiusdam magnitudinis: contra uero si conceptus, quem Astologus formauit poneretur in mente rustici, significaret illi solem tota terra maiorem, quod tamen in vocibus & scriptis aliter contingit: Vna enim & eadem uox ab hominibus diuersarum nationum audita, uni quidem rem aliquam significat: alij vero vel omnino nihil, vel aliquid longe diuersum, quod casu aliquo contingit, vt idem vocabulum apud diuersas notiones ad eandem rem significandam impositum sit, tamen nullum omnino reperietur, quod omnibus nationibus idem significet. Ex dictis a posteriori licet colligere diuersum esse modum significandi vocum scripturarum, & conceptuum: hoc est, conceptus significare naturaliter: voces autem & scripta non nisi ex instituto: Quæ enim suapte natura non significant, sed ex hominum arbitrio, fit, vt non significent idem omnibus. Hoc loco aduerte Aristo. cum negat uoces esse easdem apud omnes non agere, de quibusdam vocibus naturaliter significantibus vt sunt, gemitus: solum enim agit hoc loco de signis, quæ in doctrina, scientijsque vsurpantur, cuiusmodi non sunt voces, quæ naturaliter significant.

Quemadmodum autem] Secundum quod supponit huiusmodi est. Vt quidam conceptus sint veritatis, & falsitatis expertes: quidam autem veri ac falsi, sic etiam quasdam esse voces, quæ veritatem, falsitatemque nõ signi-

significant, alias uero quę significant verum & falsum. Cum enim uoces sint signa conceptuum, vt in prima suppositione dictum est: quemadmodum conceptus sé habuerit ad veritatem & falsitatem significandam: ita etiam necesse est uoces ipsas, quę concebtibus respondent se habere. Hoc documẽtum eo spectat, vt intelligamus doctrinam significandi vocum. Nomen enim & verbũ, non significant uerum aut falsum: tota vero complexio ex nomine & uerbo significant uerum & falsum.

Nam verum est falsum] Ostendit quinā sint conceptus, qui veritatem aut falsitatem significent, & qui non significent: vt inde doceat, quæ voces verum, aut falsum significent, & quæ non significent. Docet igitur illos conceptus, in quibus cernitur compositio, aut diuisio significare uerum aut falsum. Cum autem in conceptibus, qui spectant ad ipsam operationem intellectus, non sit compositio aut diuisio: in ijs etiam veritas aut falsitas non erit. Per compositionem intellige propositionem mentalem affirmantem: quia cum aliquid de aliquo affirmamus, prædicatum cum subiecto coniungimus: per diuisionem autem intellige propositionem mentalen negantem: quia in propositione negante prædicamentum separatur & quodammodo diuiditur a subiecto. Huiusmodi autem compositio & diuisio ad secundam intellectus operationẽ spectant, nec ijs obstat, quod Aristo. lib. 3. de anima, omnem secundam operationem intellectus dixit esse compositionem, accepit enim eo loco compositionem pro complexione prædicati, ac subiecti, siue prædicatum affirmetur de subiecto, siue negetur.

Ipsa igitur nomina] Colligi ex dictis nomine & verba & cæteras voces simplices carere veritate, & falsitate, respondent enim conceptibus simplicibus, in quibus compositio & diuisio, & ex consequenti, ueritas & falsitas non reperitur. Vnde etiam colligitur: affirmationes & negationes vocales significare uerum & falsum, quia respondent compositionibus & diuisionibus mentalibus, in quibus ueritas aut falsitas cernitur: Quo loco aduertendum est primo ueritatẽ nihil aliud esse, quam conformitatem rei conceptæ ad intellectum concipientem, aut contra intellectus ad rem. Cum enim conceptio, per quam res intelligitur, sit natura lis quædam similitudo & imago ipsius: si inter imaginem illam, similitudinemve (seu quod idem est) inter intellectum, vt habet illam imaginem & rem, cuius est ipsa imago, fuerit conformitas, & adæquatio, conformitas illa dicetur veritas: econtra vero difformitas, quæ plerunque reperitur inter rẽ & intellectum dicitur falsitas.. Aduerte secundo veritatem ac falsitatẽ hoc modo sumptam, vt etiam docet hoc loco D. Thom. reperiri non solum in cõceptione, in qua cernitur composito aut diuisio: verum etiam in conceptione simplici. Quemadmodum enim illi conceptus, in quibus compositio & diuisio cernitur, conformes sunt, aut difformes rebus, sic etiam illi, quibus res simplices apprehenduntur. Ea autem veritas, quæ in conceptibus simplicibus reperitur, appellatur incomplexa, quæ vero cernitur in compositione & diuisione, dicitur ueritas complexa, de qua solum Aristo. locutus est hoc loco, cum dixit, [ueritatem & falsitatem in sola compositione & diuisione reperiri.] Locutus est autem de hac ueritate solum: tum, quia huiusmodi ueritas est, quę in scientijs omnibus & disciplinis quæritur, vnde etiam inferius per eam. Enunciationem definit: tum vero, quia ab hac sola denominatur intellectus, tanquam iudicās uerum. Magis aut proprie intellectus dicitur uerus, quia indicat verum: quam quia intell git, aut apprendit verum.

Cuius quidem] probat argumento a maiori, nomina & uerba non significare uerum aut falsum: quia si vox aliqua simplex significaret aliquid verum aut falsum, maxime esset hæc, hippocentaurus, tum quia compositę figuræ est: tum quia rem fictitiam, atq; adeo falsam significat: sed hæc, nisi verbum addatur non significaret verum aut falsum; Ergo nulla vox simplex verum aut falsum significat. Cum autem ait, [esse aut non esse, aut simpliciter & respectu temporis,] intellige quod vis verbum siue sit, affirmatum, aut siue negatum, aut in tempore præsenti quod Aristo. simpliciter uerbum appellat, aut in tempore præterito aut futuro, quod casum verbi, potius quam verbum uocat, vt inferius patebit.

CAPVT SECVNDVM

DE NOMINE.



Omen igitur vox est significatiua, ex instituto sine tempore, cuius nulla pars significat separata; nam hoc in nomine equiferus, nihil per se ipsum equus significat: sicut hac in oratione equus est ferus. Verum non vt simplicibus nominibus, sic & in compositis est; in illis enim nullo pacto pars est significatiua, in compositis vero videtur quidem: nihil tamen separata significat, vt in exemplo patet antea dicto. Ex instituto autem diximus, quia nullum nomen est signum natura, sed cum est positum. Nam significant & ij soni, qui scribi non possunt vt bestiarum, quorum nullum est nomen. Hoc autem, non homo, non dico esse nomen: ac neque nomen est positum, quo ipsum appellare oportet. Neque enim est oratio, neque negatio, sed infinitum nomen vocetur; quoniam & quod in ratione rerum est, & quod non est, sine discrimine vllo significet. Hoc etiam Philonis, aut Philoni, & hisce similia non sunt, sed nominis casus. Atque ratio eius cætera quidem est eadem, illo autem differt; quoniam si vel Est, vel Erat, vel Erit addideris, nihil neque verum neque falsum euadit; at in nomine euadit semper, vt Philonis est aut non est, nondum enim hæc verum aut falsum dicit.

ACTVRVS Arist. de enunciatione, quæ huius lib. de subiectum est: primo differit de nomine & verbo, ex quibus enunciatio componitur. Prius autem de nomine agit quam de verbo: quia nomen, respectu verbi, in enunciatione se habet, velu ti materia respectu formæ: materia autem prius est forma. Caput hoc tres habet partes; in prima definit nomen, in secunda definitionis aliquot particulas declarat, in tertia, reijcit aliqua a definitione nominis: quibus tamen proposita difinitio poterat accommodari: nisi aliquid aliud adderetur. primo igitur nomen definit hoc pacto. [Nomen est vox significatiua ex instituto sine tempore, cuius nulla pars significat separata,] In qua definitione loco generis ponitur[vox,] vt placet D. Thomæ qua particula quam plurima excludimus a ratione nominis, vt sonos: qui ab inanimis corporibus redduntur: non sunt enim voces: excludimus preterea nomina mētalia & scripta: de quibus non agit Aristo. quod non perinde deseruiant Dialecticæ, ac nomina vocalia: est enim Dialectica ars differendi, quod munus uocibus maxime præstamus.

Significatiua] Per hanc particulam, quæ secunda est in definitione reijciuntur voces non significantes, vt blictri; reijciuntur etiam voces æquiuocæ, quia significatiua debet accipi, pro voce vniuoca, seu ratione simpliciter vnam significante, voces autem siue casu æquiuocæ, siue analogæ non significant rationem aliquam simpliciter vnam, quanquam voces analogæ, quibus in mēte unus conceptus formalis rñdet, quoquomodo ad hanc definitionem reuocari possint. Per particulam vero ex instituto, quæ tertia est in definitione, reijciuntur voces, quæ naturaliter significant; vt risus, qui significat gaudium, & gemitus, qui significat dolorem.

Sine tempore) Hæc est quarta particula definitionis, qua nomen a verbo distinguitur. Hactenus enim expositæ, communes sunt nomini & verbo. Quo loco notādum est: aliud esse significare tempus; aliud significare cum tempore, significare tempus est tempus aliquod, aut aliquam temporis differentiam, præsentis, scilicet præteriti aut

futuri.

futuri ex primaria significatione explicare. quo pacto, annus, dies, præteritum, futurum &c. dicuntur significare tempus. Significare autem cum tempore est præter precipuum significatum certam alicuius temporis differentiam, præteriti, scilicet præsentis aut futuri, vt talia sunt indicare, quo pacto, valet, valuit aut valebit, dicuntur significare cum tempore: significant enim valetudinem in tali tempore. Quamuis igitur multa nomina significent tempus, vt annus, dies, hora &c. omnia, tamen significant sine tempore. Quare per hanc particulam nullum eorum nominum reijcimus, sed tantum uerba, participia, & orationes, quæ cõstant verbo aut participio, quæ omnia significant cum tempore.

Cuius nulla pars) Hæc est vltima particula huius definitionis: qua nomen ab his orationibus seiungitur, quæ verbo carent aut participio. Nam cæteræ per præcedentem particulam reiectæ sunt. Quo loco aduerte, cum Aristo. dicit (nullam nominis partẽ per se significare separatim:) non ita esse intelligendum: quasi nulla pars nominis, si a toto separetur aliquid significet; (patet enim, id esse falsum, in nominibus compositæ figuræ vt in republica & equifero. Nam vox, (equus,) separata ab hoc nomine (equiferus,) significat equum) sed vult dicere nullam partem separatam significare, hoc est, per se spectatam: in ipso tamen composito, seu vt pars est, quod tamen in orationibus aliter euenit. Nã vox, (albus,] in hac ratione (homo albus,) per se etiam spectata in ipso toto aliquid significat. Itaque partes orationis dicuntur separate significare, quia quatenus partes sunt ita significant, vt totius orationis significatio conficiatur, ex significationibus partium, quod in nominibus minime cernitur; nec enim significatio huius nominis (dominus,] aut (equiferus) constituitur ex partium significatione.

Nam in hoc nomine) hæc est secunda pars huius capitis, in qua duas particulas positas in definitione nominis declarat, tertiam scilicet & vltimam: Duæ enim priores primo c. expositæ sunt: quarta autem in sequens caput reseruatur. Postremam igitur particulam declarat primo, probans argumento a maiori, partes nominis separatas non significare, quia si aliquod esset nomẽ, cuius partes significarent separatæ, maxime esset nomen compositæ figuræ, vt, verbi gratia equiferus, sed huius nulla pars significat separatim, cum enim dico equiferus, Particula (ferus) nihil per se significat, quẽ admodum significat in hac oratione equus & ferus, ergo nullum est nomen, cuius aliqua pars significet separatim. Docet tamen nomina compositæ figuræ eo differre a cæteris, quod horum partes non significant, nec videntur significare; aliorum vero, quæ non sunt omnino simplicia, non significant quidem, sed significare videntur. Cuius ratio est: quia cum ex duabus dictionibus fit nomen compositæ figure, haberi solet ratio significationis, quam habeant partes, antequam fieret ex illis unum nomen. Verbi gratia qui imposuerunt hoc nomen, armiger, significans gerentem arma, propterea potius ex his duabus vocibus, [gerens & arma,] composuerunt illud nomen, quam ex alijs, quia illæ duæ voces illud idem significabant non coniunctæ. Quia ergo nomina compositæ figuræ fieri solent ex nominibus quæ illud idem significabãt; propterea eius partes videntur significare separatim, cum tamen reuera non significet.

Ex instituto autem] Tertiam definitionis particulam declarat: nomina scilicet ex instituto significare. Fuerunt enim inter veteres nonnulli, qui nomina a natura significare crederent, vt patet ex eo dialogo Platonis, qui Cratillus inscribitur, cõtra quos sic Arist. argumentatur, Vox quæ non significat aliquid, nisi quo imponitur ad significandum, non naturaliter sed ex instituto significat; sed nullum nomen qua nomen est, significat aliquid, nisi quo imponitur ad illud significandum, vt patet in sonis bestiarum, qui quamuis significent naturaliter, tamen quia non sunt impositi ad significandũ non dicuntur nomina: ergo nullum nomen, qua nomen est, significat naturaliter, sed tãtum ex instituto.

Hoc autem non homo] Hæc est tertia pars cap. in qua Arist. nonnulla reijcit a definitione nominis, quibus tamen explicata nominis definitio conuenire uidebatur. Primum igitur reijcit nomina infinita a definitione nominis. Sunt autem nomina infinita voces quædam, quæ ex aliquo nomine & particula negante componuntur, vt non homo, non lapis: quæ cum non sint orationes aut negationes, sunt enim incomplexæ

nec

nec item simpliciter nomina: Aristo. nomina infinita, hoc est; neque definita, nec certa vocanda eßet, quia dicuntur & de ijs, quæ sunt, & de ijs, quæ non sunt. Non homo enim dicitur tam de veris, quam de fictis rebus, etenim bestia est non homo & chimera est non homo. Aduerte autem hoc loco duo requiri, vt aliquod uocabulum sit nomen infinitum, alterum vt ex modo ipso significandi negatiue significet; alterum, vt dicatur de his quæ sunt, & de his, quę non sunt, quæ duo in hac voce non homo reperiuntur. Habet enim modum significandi negatiuum, vt patet, & dicitur de his, quæ sunt, & de his, quę non sunt. Hinc colliges primo nomina, quę super transcendentia dicuntur, vt opinabile, imaginabile non esse infinita, quia licet dicuntur de his, quę sunt, & de his, quæ non sunt, non tamen habent modum significandi negatiuum, sed potius positiuum. Secundo colliges, nomina transcendentia, vt ens bonum &cæ. non posse reddi infinita, quia quamuis significent negatiue, tamen non possunt dici, nisi solum de rebus fictis. Si enim enti negationem addas, & dicas non ens, vox illa solum de non entibus dici potest. modo accipiatur ens, vt pertinet ad essentiam omnium rerum verarum. Nam si sumatur vt est actu existens; non est cur nomen infinitum effici non possit. Tunc enim non ens, hoc est, nō existens, non solum de rebus fictis, vt de chimer, uerum etiam de veris, vt de Adamo & de Alexandro dicitur. Adde præterea, nomina infinita & nomina negata partim conuenire, partim differe; Conueniunt enim quatenus vtraque naturam aliquā tollunt, differunt tamen, quatenus nomina negata orationis potius rationem habet, quia eorum partes per se sumptæ in ipsis significant, nomina uero infinita non item: nulla enim eorum pars significat separata, cum unicam solum dictionem efficiant. Differunt secundo, quod nomen infinitum, adiuncto uerbo, efficit propositionem affirmatiuam, at vero nomen negatiuum, si addatur verbum, semper efficit, propositionem negantem: Si enim dicas, (non homo currit, si non homo,]sit nomen infinitum, sensus propositionis est, res cui conuenit negatio naturæ humanæ currit. Negatio enim, quæ reddit vocabulum infinitum solum id negat, quod vocabulo significatur. Si uero sit nomen negatiuum: sensus propositionis est, nullus homo currit. Negatio enim cum per se significat, quicquid post se inuenit, negat.

Hoc etiam Philonis) Docet in definitione nominis adhuc aliquid esse collocandū, alioqui totum conuenire casibus nominum qui vere nomina non sunt, est autem hoc collocandum. (Nomen est vox, quę addito verbo est, efficit orationem verum aut falsum significantem,]quod casibus nominum non conuenit. Si enim dicas, est Platonis, nondum verum aut falsum significas, si adijcias Platonis est liber, aut aliud simile. Vult ergo Aristo. hoc ipsum in definitione nominis suppleri, ut tota definitio nominis sic exponatur. [nomen est vox significatiua ex instituto sine tempore; cuius nulla pars significat separata, finita & quę addito uerbo est, uerum aut falsum significata. Reijciuntur autem per hanc ultimam particulam non solum casus nominum, uerum etiam omnia syncategoremata, ut omnis, aliquis, docte, sapienter, imo & omnia adiectiua adiectiue sumpta; nihil enim horum addito uerbo, est, efficit orationem, uerum aut falsum significantem. Quanquam sunt, qui uelint adiectiua adiectiue sumpta, esse uere nomina, satisque esse, si aut per se aut per sua synomina efficiant orationem uerum aut falsum significantem. Dicunt autem synomina cuiuscunque adiectiui adiectiue accepti esse adiectiuum substantiue acceptum, addito uerbo est, orationem ueram aut falsam efficere, unde hi in definitione nominis loco illius particulæ, adijciunt particulam recta. Sed probabilius est adiectiua adiectiue accepta nomina non esse, quia secundum se, addito uerbo, non efficiunt orationem ueram, aut falsam. Præterea genus neutrum adiectiue sumptum non est nomen, nisi cum sumitur substantiue; pro suo materiali significato. Per hanc etiam particulam excluduntur pro nomina, quia hæc non ratione sui, sed ratione nominum, pro quibus in oratione ponuntur, efficiunt orationem, qua uerum aut falsum significatur.

Situe

Sitne bona definitio Nominis.

QVAESTIO VNICA.

QVOD definitio nominis non sit bona, probatur: quia nullum ens rationis, recte definitur per id, quod reale est; sed nomen est ens rationis, vox autem ens reale, vt constat; non debuit igitur nomen per vocem definiri. Quod ex eo confirmari potest: quod in definitionibus aliarum secundarum intentionum, vt in definitionibus vniuersalium, non collocatur eorum fundamentum; Vox igitur cum sit nominis fundamentum, non debuit in definitione nominis collocari.

Secundo nomen infinitum est complexum quoddam; ergo reijcitur a definitione nominis, per particulam, [cuius nulla pars significat separata,] quę superuacanea adijcitur; postea particula [finita] ad excludenda iterum infinita: Antecedens patet, quia nomen infinitum mentalem est complexum quoddam, si enim conceptus, qui habetur de homine adhuc per se separatur, significat naturam humanam, cum sit imago ac similitudo ipsius,& non necessario significat negationem. Ergo nomen infinitum mentale est complexum.

Tertio casus obliqui in mente sunt nomina; Ergo pari ratione in voce; & propterea male reijciuntur. Antecedens patet, quia idem conceptus respondet in mente nomini vocali in recto, & obliquo, cum eandem rem significent; sed conceptus rectus est nomen; Ergo & conceptus obliquus.

Quarto, hæc ratio [albus est,] vera, aut falsa; igitur adiectiuum adiectiue acceptum adiuncto verbo, [est) aut [non est,) efficit orationem veram aut falsam. Quare noo bene reijciuntur a ratione nominis. Antecedens probatur; nam (albus,) aliquid significat orationis. Ergo significato ipsius vere aut falso dixeris, hoc est, oratio igitur, (albus est,) verum aut falsum significat.

Pro solutione horum argumentorum aduertendum est in primis signum, doctrinale, quod nihil aliud est, quam significatiuum alicuius rei, pro qua in oratione accipi potest; Significat enim formaliter relationem, & innuit fundamentum, quod est conceptus, vox, aut scriptum, diuidi, vt quoddam analogum in conceptus, voces & scripta, vt significantes sunt, de quibus locutus est Aristot. cap. præcedenti. Diximus, (vt quoddam analogum,) quia conceptus analogice conuenit cum vocibus & scriptis in ratione significandi. Cum enim conceptus significent naturaliter ex se, vt imagines ac similitudines rerum: voces vero & scripturæ solum ex instituto & arbitrio hominum: & rursus scripta vocum interuentu significent; planum est, diuisum illud primo dici de conceptibus, deinde de uocibus, ac tandem de scriptis. Quod si quæras vtrum huiusmodi relationes sint reales, an rationis; respondendum est relationem quidem conceptum esse oralem, ac transcendentem, quia non est aliud, quam ipsa natura conceptus. Cæteras vero esse relationis rationis, & de significationibus quidem, quæ cernuntur in uocibus & scriptis, cum solum pendeant ex hominum arbitrio, non est dubium, quin sint relationes rationis. Quod uero significatio conceptuum realis sit ex eo patet, quia conceptus ex sua natura, & non ex operatione intellectus significant sua significata; quod autem sit transcendens ex eo patet, quia relatio transcendes conceptus ad rem conceptam realiter existit, tam cum res concepta existit, quam cum non existit.

Aduertendum est preterea, sicut uox significatiua, seu significatiuum, quod cernitur in uocibus, diuiditur in nomen uocale, uerbum uocale, & orationem uocalem; ita etiam conceptus diuidi in nomen mentale, uerbum mentale, & orationem mentalem; & & scripturam in nomen scriptum, verbum scriptum & orationem scriptam. Vnde patet triplex esse nomen: Vocale, scriptum & mentale: idem dicendum est de verbo & oratione. Quod ergo attinet ad nomen uocale; de quo solum Aristot. hoc libro differit, cum sit connotatiuum quoddam, formaliter significat relationem rationis significantis, taliter ad tale significatum: materialiter vero innuit res, quibus accidentaliter conuenit.

Quod

Quod si quis hanc definitionem velit ad mentalia nomina & scripta transferre, non erit difficile, si pro voce significatiua ex instituto ponatur in definitionibus, scriptum significatiuum ex instituto, aut conceptum significantem naturaliter hoc modo: nomen scriptum est scriptum significatiuum ex instituto sine tempore: nomen mentale est conceptus significatiuus, naturaliter sine tempore &c.

Respondendum igitur est ad quæstionem, definitionem nominis esse bonam. Quare ad primum argumentum & eius confirmationem dicendum est penuria uocabulorum poni pro genere totum illud: (uox significans ex instituto,) loco alicuius uocabuli simplicis, quo significetur relatio significantis ex instituto ac tali modo significatum, & iuuat uocem, cui accidentaliter conuenit ita significare. Vnde fit vt particula VOX ponatur in definitione nominis ea tantum ratione qua innuitur ab eo cuius loco, tanquam genus tota illa aggregatio in definitione nominis collocatur.

Ad secundum, negandum est antecedens nomen scilicet infinitum esse complexum: & ad probationem dicendum est, ex conceptu hominis & conceptu negationis in mente non effici nomen infinitum mantale, sed solum nomen negatiuum, licet in uoce, & hac uoce, (homo,) & negatione efficiatur nomen infinitum uocale, cuius rei illa est ratio, quod conceptus significent naturaliter, non est in potestate hominis ex illis efficere alium tertium conceptum incomplexum, qui sit nomen infinitum mentale: amitterent enim illi conceptus suas significationes naturales, quod non potest fieri: sed complexionem ex illis duobus conceptibus & proinde non erit nomen infinitum solum, sed negatiuum: eiusque partes separatæ significabunt in illo toto, & si eis accedat uerbum, efficietur propositio negatiua in uocibus, aut cum significent ex instituto, & horum usu poterit ex duabus una effici tertia incomplexa: quæ sit nomen infinitum, [vt non homo,] cui in mente non respondet complexio illa mentalis, quam diximus: sed unicus conceptus, quo apprehenditur negatio naturæ humanæ concrete sumpta: sicut albo respondet unus conceptus: quo apprehenditur albedo concrete sumpta, & talis conceptus respondens nomini infinito vocali, est nomen infinitum mentale.

Ad tertium, negandum est antecedens, & ad eius probationem dicendum est: diuersos esse conceptus: qui in mente respondent nomini in recto & obliquo, quamuis non eadem nec illis significetur, tamen quia diuerso modo significant, sunt & conceptus ipsi diuersi. Quemadmodum enim alius est conceptus: qui respondet in mente huic uoci [albedo:) ac alius, qui respondet huic voci (album:) quamuis vna & eadem res significetur, vtroque conceptu: quia altero significatur albedo, quasi per se subsistens: altero uero, ut adiacet corpori: eodem modo alius conceptus respondet in mente huic, (homo) alius huic voci, (hominis, quia altero significatur natura humana nude, altero vero significatur, vt huius, & sic in cæteris casibus.

Ad quartum negandum est antecedens; & ad confirmationem neganda est consequentia. Nam significatum, (albi,) aliter significatur hac voce, (albus:] aliter vero pronomine, (hoc.) Etenim uoce[albus,] adiectiue significatur; quomodo non accipitur pro aliquo habente se, vt quod: sed solum applicat suum significatum alteri: at uero pro nomine (hoc) substantiue significatur illud ipsum, tanquam id, quod tale est. Quocirca ex pronomine (hoc] adiuncto verbo (est,) efficitur oratio uera aut falsa: nō autem ex voce (albus,) eodem uerbo adiuncto.

CAPVT TERTIVM

De Verbo.



Erbum autem est, id quod insuper tempus significat: & cuius nulla pars seorsim significat; atque semper eorum, quæ de alio dicuntur, est signum. Dico autem ipsum insuper tempus significare, quia Valetudo quidem est nomen, Valet autem verbum; significat enim insuper non esse. Atque semper eorum, quæ de alio dicuntur, est signum: vt eorum, quæ de subiecto dicuntur, aut eorum, quæ in subiecto dicimus esse. Non valet autem & non ægrotat, non dico verbum esse: nam tempus quidem significat, semperque de aliquo dicitur, at differentiæ huic nullum nomen est positum. Sed verbum infinitum vocetur, quoniam de quocunque & de eo, quod est, & de eo quod non, similiter dicitur. Simili modo Valuit atque Valebit, non verba, sed verbi casus appello. Differunt autem a verbo, quoniam illud quidem præsens significat tempus: hæc autem id, quod est circa corpus, exactum inquam, atque futurum. Ipsa igitur verba cum per se dicuntur, nomina sunt & aliquid sane significant (nam & qui dicit amare, verbo hoc intellectum aliquem constituit, & qui id audit, rem certam audiuisse se credens, quiescit.) sed vnum sit qui ames, nec ne, nondum significatur. Nam amare, non amare, nondum esse qui amet, non amet, significat; non si esse ipsum, aut ens ipsum nude protuleris. Nam qui vel esse, vel est, nude dicit, nihil dum existere significat, tantum compositionem quandam innuit, quam sine adiunctis compositisque intelligere est impossibile.

HOc cap. agit Aristot. de verbo altera Enunciationis parte integrante, initio autem tradit verbi definitionem, quem paucis declarat. Deinde additis quibusdam particulis excludit nonnulla a uera ratione verbi proprijssime sumpti, definitio verbi hæc est. [Verbum est id, quod insuper tempus significat, & cuius nulla pars significat seorsim atque semper eorum, quæ de aliquo dicuntur, est signum.] In qua definitione particula [insuper] satis aperte declarat, genus huius definitionis esse petendum ex definitione nominis. Itaque solum illud, vox significans ex instituto, est collocandum in hac Verbi definitione: per quam particulam ea ipsa excluduntur, quæ a superiori nominis definitione reijciebantur.

Dico autem.] Explicat Aristot. paucis uerbis primam & tertiam particulam expresse in contextu: omittit autem secundam, quia in cap. superiori fuit explicate. Primam ergo declarat ex comparatione nominis, verbalis & uerbi; conueniunt enim in primario significato, vt ualetudo & valet distinguũtur, aut quemadmodum verbum importat insuper certam differentiam temporis. Vt autem intelligas id, quod circa tertiam particulam docet Aristo. aduerte eam hunc habere sensum, verbum semper est signum eorum, quæ de aliquo dicuntur, hoc est, semper significat id, quod per se & sine ope alicuius potest de aliquo prædicari, vt si dicas, Socrates est, Socrates disputat, vbi verbum [est] & verbum [disputat,] predicantur de aliquo sine ope alicuius vinculi extrinsecus assumpti. Diuisione ergo quadam declarat Aristotel. hanc ipsam particulam dicens, verba semper significare id, quod per se potest prædicari, uelut de subiecto,

subiecto, hoc est, essentialiter, vt in hac propositione, currens mouetur: aut vt id, quod est in subiecto, hoc est, accidentaliter, vt si dicas; Socrates currit. Per primam igitur particulam excluduntur a definitione omnia nomina, quæ non significant cum tempore, vt homo albus; per secundam vero, quam Aristotel. superiori capite explicauit reijciuntur reliquæ orationes, quæ significant, cum tempore, vt homo docet. Plato audit; per tertiam reijciuntur participia præsentis temporis, quæ licet cum tempore significent, nō tamen sunt signa eorum, quæ de aliquo dicuntur, quia sine adminiculo verbi prædicari non possunt nec enim efficeris prædicationem, si dixeris; Socrates disputans, nisi adiuncto verbo dixeris, Socrates est disputans. Dictum est participia præsentis temporis: nam reliqua per particulam, cum tempore, excludenda sunt, vt infra patebit.

Non valet autem.] In hac secunda parte capitis reijcit a perfecta ratione verbi, uerba infinita, & casus verborum. Docet ergo primam & tertiam particulam positas in definitione conuenire verbis infinitis. Nam secundam & cæteras, quæ ex superiori capite repetuntur eisdem cōuenire dubium non erat. Quia vero huiusmodi verba, certum nomen non habeant, aut uocari posse verba infinita, quia dicuntur de ijs, quæ sunt, & de ijs, quæ non sunt. Vult ergo Aristot. ad definitionem verbi adijciendam esse particulam, [finita,] vt hæc a definitione reijciantur. Quo loco aduerte, quemadmodum ad rationem nominis infiniti duo requiruntur: alterum vt significet negatiue, alteram vt dicatur de his, quæ sunt, & de his, quæ non sunt: ita ad rationem verbi infiniti eadem desiderantur. Quod si alterum defuerit non dicetur verbum infinitum; Defectu prioris conditionis hæc verba, [intelligitur, cogitatur,] & alia huiusmodi non dicuntur infinita: quæ quamuis non dicantur de his quæ sunt, & de his quæ non sunt, quia Socrates cogitatur, & chimera: tamen non significant negatiue, sed potius positiue: defectu posterioris conditionis verbum est si accipiatur, vt dicit, aptitudinem ad existendum, non potest, fieri infinitum: Quamuis, enim addite negatione, significat negatiue: tamen non potest dici, nisi de his solum, quæ non sunt enim vera; Ijs enim solum competit non esse, id est, non esse apta ad existendum; quamuis verbum [est,] fere semper pro actu existendi, & raro, pro huiusmodi aptitudine accipiatur: non tamen videtur negandum, ex verbo sic accepto & negatione posse fieri unicam dictionem; quemadmodum ex nominibus transcendentibus, addita negatione fit etiam vnica dictio: quæ voces cum non sint infinitæ, non est cur nomina & verba non dicantur: Nihil enim est, per quod a nominis & verbi definitione reijci possint.

Simili modo valuit.] Reijcit deinde casus verborum a perfectissima verbi ratione. Sunt autem casus verborum, quæcunque non sunt temporis præsentis indicatiui modi. Quo loco aduerte, hic non omnes verbi casus reijci: sed eos solum, qui non sunt temporis præsentis Reliqui enim particula illa, [& semper eorum, quæ de aliquo dicuntur, est nota,] exclusi sunt. Ex dictis igitur hæc colligi potest verbi definitio: [Verbum est vox significans ex instituto, definite ac cum tempore præsenti: cuius nulla pars significat separatim, ac semper eorum, quæ de aliquo prædicantur est nota.

Ipsa igitur verba.] In hac vltima capitis parte tradit duas verbi conditiones verbo cum nomine conuenientes. Prima est: verba per se dicta, nulla scilicet particula adiecta, sunt nomina. Quo loco, vt placet Ammonio, & D. Thomæ, nomen generaliter sumitur, pro quacumque uoce significante aliquid: quasi dixerit, verba per se sumpta significant aliquid, quod Aristot. præcedentibus verbis statim declarauit: Dixit enim verba per se sumpta nomina sunt, & aliquid sine significant. Hanc conditionem probat, tum ex partes dicentis, tum ex parte audientis. Nam qui profert aliquod verbum, firmat mentem auditoris, quia in ipsius mēte conceptus alicuius rei imprimit, & is, qui audit, quiescit, saltem quoad operationem intellectus, quia percipit aliquam rem, quamuis nondum percipit perfectam sententiam.

Sed si est aut non est.] Posterior conditio est, quod verba non significent verum aut falsum, ut Aristotel. loquitur, non significent rem esse, aut non esse. Hoc autem probat hoc argumento: quia si uerbum EST, verbi gratia, significaret ve-

rum aut falsum, seu rem esse aut non esse, significaret formaliter non solum ipsum esse, sed etiam rem, quæ diceretur esse; consequens est falsum: Ergo & antecedens. Maior huius argumentationis probatur a simili primo, quia ens, quod est participium verbi est, non significat formaliter rem, cui competit existentia, sed solum connotatiue, existentia uero ipsam formaliter. Vnde subiungit, [ipsum enim nihil est,) id est, ens secundum suum formale significatum non est res, cui competit existere, cum ea solum connotet; eodem igitur modo uerbum E S T non significabit formaliter rem, cui competit existere, sed formaliter ipsum existere, rem autem, cui competit existere connotatiue, quæ non significabit verum aut falsum.

Significant autem.) Quia probauit proxime verbum E S T non significare rem, cui competit esse, ex eo, quod participium ipsius scilicet E N S, non significet illam, nec quis inde colligat, uelle Aristotel. eandem omnino esse significationem verbi & participij. Docet hoc loco uerbum E S T, præter præcipuum significatum, in quo conuenit cum participio, significare compositionem quandam, coniunctionemve prædicati cum subiecto, quã participium non significat, ne tamen aliquis inde inferat, verbum E S T ratione illius coniunctionis significare uerum aut falsum, etsi nihil aliud adiungatur, addit Aristotel. coniunctionem illam, compositionemve non posse intelligi sine compositis, id est, sine ijs, quæ coniungantur, vt inde intelligamus, quamuis verbum E S T eam consignificet, tamen non significare uerum aut falsum, nisi alterum saltem extremum, id est, subiectum addatur, cum coniunctio ratione cuius maxime videretur significare verum aut falsum, nisi addito extremo non posset intelligi.



Vtrum definitio verbi sit recte assignata.

QVAESTIO PRIMA.

QVod non sit recte tradita probatur in primis, quia verbum E S T in propositione necessaria, vt in hac, [homo est animal, homo est rationis particeps] est verbum, & tamen non conuenit ei definitio verbi. Ergo definitio non est bona. Probatur minor, quia verbum E S T in huiusmodi propositionibus non importat aliquã differentiam temporis. Sic enim aliquam importaret, esset maxime temporis præsentis, quam si importaret, sequeretur, nullis hominibus existentibus, hanc esse falsam, (homo est:) erit enim sensus, (homo est nunc existens animal,) quod tamen data illa hypothesi falsum est; Quare cum illa propositio sit necessaria, ac perpetuo uera, non est dicendum, verbum est, in ea importare tempus præsens.

Secundo uerbum adiectiuum continetur sub uerbo ab Aristo. definitio, & tamen non potest ei competere definitio, cum sit complexum; Ergo definitio non est bona. Minor probatur ex Aristote. 5. Metaph, cap. 3. vbi asserit, idem esse [valet, & est valent) sed (est valens,) est complexum; Ergo & ualet, erit complexum.

Tertio, verba impersonalia videntur esse verba, cum enunciationem efficiant, omnisque enunciatio constat nomine & verbo vt Arist. hoc cap. affirmat: definitio autem verbi eis non conuenit, nec enim sunt notæ eorum, quæ de aliquo dicuntur, uitiosa est igitur tradita definitio.

Ad quæstionem nihilominus respondendum est. verbum recte ab Aristot. fuisse definitum. Pro solutione argumentorum aduertendum est, fuisse nonnullos qui propter argumentum primo propositi excluderent verbum, vt in propositionibus necessarijs vsurpantur, nec esse ab Aristotel. definitum crederent Cæterum non est credibile, cum Aristotel. uoluerit partes simpliciter Enunciationis explicare, omissam ab eo esse partem potissimæ Enunciationis, cuiusmodi est perpetuo necessaria. Accedit huic qđ Aristotel. post definitum a se uerbum subiungit

iungit paulo post, verbum interdum esse signum eorum, quæ de subiecto dicuntur idest, quæ prædicãtur essentialiter. Alij igitur vt tueantur huiusmodi etiam verba ab Arist. fuisse definita, respondent, verba in propositionibus necessarijs, importare differentiam temporis, non vnam tamen aut alteram, sed omnes simul, præteriti scilicet, præsentis & futuri, & quartam quam addunt, temporis possibilis. Dicunt igitur propositionem illam, [homo est animal,] habere hunc sensum, [homo est, aut fuit, aut erit, aut potest esse animal,] & hoc est, inquiunt, quod dici solet verbum in propositionibus necessarijs absolui a tempore. Sed hæc etiam sententia non placet, quia satis constat, si eorum omnium sensus consulatur, propositionem illam non facere illum sensum, nec verbum illas omnes temporis differentias importare.

Pro solutione igitur argumentorum, aduertendum est, verbum E S T, vbicumque reperiatur, tria semper sibi vendicare, in primis ut significet esse aut existere, deinde vt consignificet aliquam temporis differentiam; tertio vt consignificet coniunctionem prædicati cum subiecto, quod de cæteris etiam verbis proportione quadam dicendum est. Amo enim præterquam quod significet amorem, consignificat tempus, & vnionem. Dicendum est igitur, uerbum E S T, in propositionibus contingentibus illa omnia officia exercere, accipitur enim pro existentia, quam formaliter significat: efficit præterea, vt connexio prædicati cum subiecto in certa differentia temporis accipiatur, vt in hac propositione, (homo est albus,) sensus enim est, (homo in tempore præsenti existit albus: At in propositionibus necessarijs, licet illa tria officia habeat, tamen solum tertium exercet, copulandi scilicet prædicatum cum subiecto; necessitas enim connexionis non permittit, vt verbum est priora duo officia exerceat. Itaq; sensus huius propositionis (homo est animal) nõ est, quod homo in tempore præsenti existat animal, sed quod uendicat sibi naturam animalis, nulla habita interim ratione neque existentiæ, quam verbum Est, formaliter significat, nec differentiæ temporis præsentis, quam importãt; Et hoc modo intelligendum est illud vulgatum dictum, verbum scilicet in enunciationibus necessarijs absolui a tempore, non quod non importet tempus, sed quod pro illo non accipiatur.

Ex dictis colligi potest verbũ est, in quibusdam propositionibus esse integrũ ac totum prædicatum, in alijs partem prædicati, in nonnullis nec totum nec partem, sed solum exercere officium copulandi. Nã in propositionibus de secundo adiacente, in quibus præter subiectum & verbum nihil sequitur, verbum est, erit integrũ prædicatum, vt in hac, Deus est, Socrates est. In propositionibus uero de tertio adiacẽte, in quibus post uerbum ponitur aliquod prædicatũ aliud, si propositio sit contingens, vt hęc (homo est albus,) verbum est, erit non quidem totũ prædicatum, sed pars prædicati, quia ibi accipitur pro existentia, quam significat. Quod si propositiones sint necessariæ, vt (homo est animal,) Verbum est, neq; erit totum prædicatum, nec pars, quia non accipitur pro existentia, quam significat, sed solum exercet officium copulãdi, vt patet ex dictis. Nec uero ex eo recte quis colliget, verbũ est in his propositionibus esse syncategorema, quia non est subiectum, nec prędicatum, sed solum extrema coniungit. Nã illud est syncategorema, qđ ita coniungit, vt nunquam possit esse prædicatum, aut subiectum, quod uerbo est non conuenit, quãuis enim in his propositionibus non prædicetur, tamen in alijs prædicetur, & in oĩbus, præter vnionem, uere significat existentiam.

Ad argumenta igitur initio proposita, facile est respondere. Nam ad primum patet ex dictis, quid sit dicendũ. Ad secundum uero antecedens negandum est, scilicet uerba esse complexa. Quamuis enim nulla uideantur significare, non tamen significant illa omnia per se primo. Nam differentias temporis & copulam potius consignificant, atque innuunt, quam significent, ut sæpe diximus, nec est absurdum significari multa eadem uoce incõplexa, quorum unum præcipue significatur, cætera uero innuuntur, ut patet in hac uoce (album,) respectu albedinis ut subiecti. Ad probationem uero illius antecedentis dicendum est, Aristot. intelligendum esse, (ualet & est ualens,) non differre, quoad rem significatam: significat enim idem, sed differre, quo ad modum significandi. Nam uerbum (ualet,) significat incomplexe id, quod significatur com-

plexe oratione illa, [est ualens, sicut hoc nomen [homo,] significat incomplexe id, quod significatur hac oratione complexe, [animal rationis particeps.

Ad tertium neganda est maior propositio; etenim verba impersonalia nō sunt uerba, qualia ab Aristotele definiuntur. Cum vero Arist. ait, omnes enunciationes constare nomine & verbo, intelligendum est, aut formaliter aut uirtualiter.

Vtrum verbum infinitum in enunciatione maneat infinitum.

QVAESTIO SECVNDA.

SEquitur alia dubitatio, vtrū verbum infinitum in enunciatione positum maneat infinitū, in qua dubitatione Boetius D. Th. & alij plerique graues autores, partem negatiuam ueriorem putant. Dicunt enim primo c. lib. sequentis, uerbum infinitum non manere infinitum in enunciatione, sed trāsire in uerbum finitum negatiuum, vt v.g. cū dicimus, Socrates nō ualet, dicunt non posse esse verbum infinitum illud [non valet,) sed complexionem quandam ex uerbo finito & particula negante, nō facientibus una dictionem. Quorum sententia cōfirmari potest in primis ex initio 2. lib. de Interpret. ubi ait Aris. omnem enunciationem constare ex nomine & uerbo, aut ex nomine infinito, nullam faciens mentionem verbi infiniti in enunciatione collocati. Existimat ergo Arist. uerbum infinitum non posse in enunciatione positum permanere infinitum. Deinde hac ratione uerbum infinitum significat negationem uerbi finiti; Ergo si addas subiectum efficietur propositio negatiua, in qua finitum verbum negetur de subiecto nunquam igitur uerbum infinitum affirmabitur de subiecto, sed mutabitur in uerbum finitum negatum.

Recentiores tamen affirmatiuam partem amplectuntur: Dicunt enim verbum infinitum posse manere affirmatiuum in enunciatione, quod ita suadent. Verbum infinitum est signum eorum, quæ de aliquo dicunt, ut Aristo. docuit, igitur suaptè natura potest prædicari de subiecto, sine adminiculo alicuius copulæ. Quare ex mente Arist. uerbū infinitum, ut infinitum est, potest poni & manere affirmatiuum in enunciatione. præterea Arist. affirmat hoc loco uerba infinita dici de ijs, quæ sunt, & de his, quę non sunt; igitur uerba infinita possunt manere infinita in enunciatione. Præterea uerbum infinitum extra enunciationem est infinitum, vt omnes fatentur; quod si ponatur subiectum, adhuc manebit infinitum. Probatur consequentia, quoniā non uidetur uerisimile illud subiectū, quod proponitur, mutare uerbum infinitum in uerbum finitum negatum. Propter has rationes probabilior existimatur hoc tpe posterior sententia.

Pro resolutione uero rationum, quæ oppositam partem confirmare uidentur, notāt recentiores, in primis uerbum infinitum hoc differre a uerbo negato, quod infinitū est una tantum dictio, verbum autem negatum duæ dictiones notant. Deinde omne uerbum resolui posse in participium, quod est eius primarium significatum, & in copulam uerbalem, qua significatur ab huiusmodi uerbo. Vnde colligitur alterum discrimen inter uerbum infinitum & negatū, quod in uerbo infinito non negatur copula uerbalis, sed solum participium: in uerbo autem negato utrumque negetur, quod satis ostendunt solutiones uerbi infiniti & negati. Nam si [non currit,] in hac propositione (Socrates non currit,] sit uerbum infinitum, tunc hoc modo exponitur propositio, (Socrates est non currens,) si autem sit negatum, ita exponitur, (Socrates non est currens.)

Soluunt igitur recentiores priorem obiectionem hoc modo; nimirum omnem enunciationem constare ex nomine & uerbo aut ex nomine infinito & uerbo, scilicet infinite, ita enim dicunt locum Aristotelis esse intelligendum.

Ad posteriorem obiectionem dicunt, in uerbo infinite negationem negare uerbum infinitum, quoad participium, non autem, quoad copulam uerbalem. Vnde fit, ut enūciatio, in qua ponitur uerbum infinitum sit affirmatiua, quia copula uerbalis affirmatur, quamuis præcipua uerbi significatio negetur; nec enim enunciatio est negata, nisi cum copula negatur.

CAPVT

CAPVT QVARTVM

De Oratione.



Ratio est vox significatiua, cuius partium aliqua separata significat, vt dictio, sed non affirmatio vel negatio; homo namque significat quidem aliquid, at non aut esse, aut non esse: sed erit affirmatio aut negatio, si aliquid ipsi addideris. Vna vero syllaba hominis nihil significat; nec enim hac in dictione, Musica, mus significat aliquid, sed vox tantum est. In compositis autem significat quidem, sed non per se, vt antea diximus. At vero omnis oratio significatiua quidem est, at non vt instrumentum, sed vt institutio, quemadmodum diximus. Non omnis autem enunciatiua, sed ea tantum quæ vera est, aut falsa. Quod quidem non omnibus orationibus competit. Non fit quidem oratio, cum quispiam optat, non tamen vera est aut falsa. Orationes igitur cæteræ omittantur; ad oratoriam enim artem, aut poesin, illarum magis consideratio pertinet. Enunciatiua vero præsentis est propria contemplationis. Est itaque vna prima enunciatiua oratio, affirmatio, deinde negatio; cæteræ vero omnes coniunctione sunt vna. Necesse est autem, enunciatiuam omnem orationem ex verbo aut casu verbi constare. Etenim & ipsa hominis ratio, nisi. Est, vel Erat, vel Erit; aut aliquid tale addideris; nondum est enunciatiua sane oratio: quia vnum quid est & non multa, animal gressibile bipes; non enim quia partibus coniunctis pronunciata est, erit vna; verum id pertractare, ad aliam pertinet facultatem. Est autem enunciatiua vna oratio, aut ea, quæ vnum significat, aut ea, quæ coniunctione est vna: plures vero, eæ quæ plura & non vnum significant, aut eæ, quæ carent coniunctione. Nomen igitur aut verbum, dictio tantum vocetur; quippe cum fieri nequeat, vt is, qui aliquid nomine vel verbo significat, sic dicat, vt enunciat: siue interrogatus fuerit siue non, sed ex sese voluerit dicere. Harum autem alia erit enunciatio simplex, aliquid, inquam, dicens de aliquo, aut aliquid, ab alio remouens: alia autem ex his composita, veluti composita iam est oratio quædam. Atque simplex enunciatio est, vox significatiua essendi quippiam, vel non essendi vti tempora sunt distincta. Affirmatio vero est, de aliquo alicuius enunciatio, Negatio autem, enunciatio, qua aliquid ab aliquo dimouetur. Quoniam autem fieri potest, vt quod competit, enuncietur vt non competens: & econtra quod non competit, vti competeret, & quod competit, vti competens, & quod non competit, vti non competens: & circa ea tempora, quæ sunt extra præsens similiter, fieri sane potest, vt omne, quod affirmauit quispiam, negetur; & quod negauit quispiam affirmetur. Quare patet, cuilibet affirmationi negationem, & cuilibet negationi affirmationem esse oppositam. Atque hoc sit contradictio, affirmatio inquam, & negatio, quæ opponuntur. Opponi autem eam dico, quæ eiusdem de eodem & non æquiuoce, & quæcunque alia determinauimus ad sophistarum molestias euitandas.

EXplicatis partibus enunciationum integrantibus, nomine scilicet, & verbo, ad quas cæteræ omnes modo aliquo reuocantur, acturus nunc est de enunciatione, ipsamque definiturus agit prius de oratione, quæ genus est enunciationis. Tres igitur partes continet hoc c. primam in qua agit de oratione, secundam, in qua de enunciatione, eiusque partibus subiectis differit, tertiam, in qua de oppositione complexa, quæ passio est enunciationis pertractet. Orationem igitur hoc modo definit: [Oratio est vox significãs ex instituto, cuius pars aliqua separatim significat.] Loco generis ponitur [vox significans ex instituto,] vt diximus c. de nomine, id a. quod sequitur loco differentiæ adhibetur, per quam particulam reijciuntur nomina & verba, atque participia & reliquæ voces simplices, [in quibus nulla pars significat separatim.] Sed obijcies, si oratio est vox, vna oratio, vna vox quod tamen est falsum, cum oratio vna sit potius multæ voces quam vna. Occurrendum est tamen unamquamque orationem esse vnam vocem, non quidem secundum prolationem, sed secundum aliquem unum sensum, aut vnam significationem totalem, quæ non cernitur, nisi ubi partes, nexu aliquo grammaticali sunt copulatæ, quemadmodum dicitur una domus, quia eius partes ordine quodam coniunctę sunt. Vnde colliges uoces dissipatas, & nullo nexu cohęrentes, non constituere orationem, vt si quis dicat, terra, aqua, aer, ignis. Hinc etiam fit, vt oratio, quæ multos habet sensus, non comprehendatur in definitione tradita, eo quod non est vox una secundum vnum sensum, siue vnam significationem totalem, habet enim multas significationes totales, vt hæc:

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Vt dictio] Exponit quo pacto partium aliqua orationis debeat significare, aitque non opus esse, vt aliquid sit oratio, quod aliqua pars significet, vt affirmatio, aut negatio, sed satis esse, si significet, vt dictio simplex. Quanquam enim in quibusdam orationibus partes aliquæ significent, vt affirmatio, aut negatio, vt in ijs, si sol lucet, dies est, si sol non lucet, dies non est, tunc quælibet oratio constat partibus saltem remotis, quarum aliqua separatim significat, vt dictio.

Vt homo.] Non subijcit nunc exemplum orationis, sed declarat orationis partem aliquam significare separatim, dicens hanc vocem (homo,) in oratione aliqua, vt in hac uerbi gratia, [homo albus,] significare separatim, veluti dictionem, in tota ipsa orationis structura.

Vna uero syllaba.] Docet definitionem traditam non conuenire vocibus, siue simplicibus, siue compositę figurę, eo quod partes earum non significet separatim. Hoc tamen inquit interesse, inter uocabula simplicis ac compositæ figuræ, quod in illis nulla pars significet, aut significare uideatur; in ijs autem significet, quidem, scilicet, primo aspectu, re autem uera non significat per se, vt dictum fuit in capitulo de Nomine.

At uero omnis oratio.] Quoniam in definitione orationis prætermiserat particulam [ex instituto,] ne quis crederet, ipsum cũ illis sentire, qui orationẽ naturaliter significare credebant, docet hoc loco, orationem non significare naturaliter, sed ex instituto. Vtebantur autem, qui oppositum sentiebant hoc argumento, vt autor est Ammonius facultatis naturalis instrumenta naturalia sunt; sed oratio est instrumentum facultatis interpretatricis, quæ naturalis est: Ergo oratio est naturalis, atque adeo naturaliter significat. Vt huic argumento satisfacias, aduerte, orationem interdum naturaliter accipi pro voce ipsa, interdum formaliter pro significatione, quæ est in uoce, uirtutem etiam interpretandi nonnunquam, accipi pro uirtute corporea, quæ motione pulmonis & ministerio arteriæ vocalis, palati, linguæ, dentium & labiorum voces articulatas efformat, nonnunquam vero pro intellectu, qui sua cogitata alijs manifestat concessa igitur maiore, nominis si facultas sumatur pro facultate mere naturali, hoc est, ita naturali, ut sine arte operetur (alioquin enim non erit vera) distinguenda est minor. Si enim nomine facultatis interpretatricis, intelligatur uirtus illa corpoream, negandum est orationis significatum formale esse instrumentum illius, quãuis quo ad materiale sit ipsius efficiens. Si autem nomine facultatis interpretatricis intelligatur intellectus, concedendum quidem est orationis significatum formale non solum esse illius effectum,

qua-

quatenus ab intellectu efficitur eius significatio, verum etiam esse ipsius instrumentum, quatenus est id, quo intellectus sua cogitata profert. Negandum tamen est intellectum esse facultatem mere naturalem, ita scilicet naturalem, vt sine arte operetur, quo modo facultas naturalis accipienda erat in maiori, vt esset vera: Operatur enim intellectus per par artem. Vnde quemadmodum vtuntur instrumentis non quidem a natura productis, sed a se fabricatis, vt serra & securi ? ita intellectus vtitur instrumentis, non a natura profectis, sed a se institutis, huiusmodi est oratio, & hoc est, quod ait Aristo. orationem non significare vt instrumentum naturale sed ex instituto.

Non omnis autem.] Initio huius secundæ partis paucissimis verbis complectitur Aristote. & diuisionem orationnis & enunciationis definitionem. Diuisio est orationum, quasdam esse enunciatiuas, quasdam vero non. Definitio autem hæc est, Enunciatio, seu enunciatiua oratio (nam idem valet) est oratio verum aut falsum significans, vt: Deus est summum bonum. Aduerte tamen hoc loco id quod habetur lib. 3. Institu. Dialectic. cap. 2. Orationum quasdam esse perfectas, quæ scilicet integram sententiam declarant; quasdam uero imperfectas, quæ scilicet non declarant integram sententiam, perfectarum rursus alias esse optatiuas, alias interrogatiuas, alias deprecatiuas, alias denique enunciaciatiuas, ex quibus solam definit enũciationem Aristote. hoc loco, quoniam eam solum pertractat Dialecticus, cæteris omissis quæ ad oratores & poetas pertinent. Quod si aliquando interrogatiuis propositionibus Dialecticus vtitur, id ideo facit, vt a respondente enunciationes, quibus argumentetur, obtineat.

Est itaque vna.) Hoc loco diuidit Aristotel. enunciationem, quam proxime definiuit in enunciaaionem vnam primam, id est, enunciationem simplicem, qualis est hæc homo est albus; & in enunciationem vnam coniunctiene generalis, cuiusmodi est hæc: si sol lucet dies est. Rursus enunciationem simplicem diuidit in affirmationem & negationem. Prior diuisio est analogi, quoniam ratio enunciationis vnius verissime quidem competit enunciationi simplici: enunciationi vero coniuncti non nisi quodammodo: posterior vero diuisio est generis in species, quamuis Alexander existimet, enunciationem non esse genus ad affirmationem & negationem quia species contentæ sub eodem genere sunt simul natura, vt patet ex cap. de modis simul. Affirmatio autem est prior negatione, vt innuit Aristot. illis verbis, (Affirmatio, de inde negatio,) sed eius ratio nihil concludit, Nam quemadmodum homo natura sua prior est perfectione quam bestia. vt autem rationem animalis participat est simul cum ea, sic affirmatio est prior negatione, non tamen secundum quid conuenit ei in communi ratio enunciationis, quo pacto species, quæ genus aliquod diuidunt, debent esse simul.

Necesse est autem.) Ne quis fallatur existimans vnam simplicem enunciationẽ simplicem esse debere, vt compositione verbi careat, docet Aristo. necesse esse omnem enunciationem simplicem verbo aut casu verbi constare, quod probat argumento a maiori hoc modo: si aliqua esset una simplex enunciatio, quæ uerbo, aut casu uerbi non constaret, maxime esset definitio, sed definitio non est enunciatio nisi addatur verbum, aut casus uerbi, igitur nulla simplex enunciatio est, quæ non constet uerbo aut casu uerbi. Maior probatur, quia definitio, ut patet ex cap. 8. lib. 1. Poste est proprium demonstrationis, ac proinde uidebitur enunciatio, minorem uero probat Aristote. hoc modo: significatum definitionis est unum quippiam, acceptum scilicet per modum unius extremi: at enunciatione simplici significantur multa per modum scilicet plurium extremorum, prędicati inquam, & subiecti, quorum aliud de alio dicitur: igitur definitio non est enunciatio simplex, nisi addatur uerbum, aut casus uerbi.

Non enim quia.) Dixerat Aristo. definitionem significare unum quippiam, nõ autem plura, ubi quæstio de unitate definitionis sese tractanda offerebat. Cæterum eam omisit, quoniam ad aliam pertinet facultatem, scilicet ad 7. & 8. Metaph. Obiter tamen confurat rationem quorundam dicentium, definitionis significatum esse unum, quia partes definitionis nulla interiecta mora proferuntur, nec enim ratio

huius

huius est hæc: ratio tamen est, quia definitio constat genere & differentia, quæ se habent, vt materia & forma, ex quibus necessario efficitur vna quædam natura per se, Arist. 2. de anima affirmat.

Est autem enunciatiua] Hoc loco Aristot. enunciationem latissime sumptam diuidit in enunciationem vnam & enunciationem plures, quæ diuisio est æquiuoci a casu, quia enunciatio plures non est vere enunciatio, sed enunciationes. Vtrumque autem membrum diuidens declarat per eas partes subiectas, quas amplectitur; & quia enunciatio vna sub se continet enunciationem simplicem, & coniunctam, dicit enunciationem vnam duobus modis dici vnam, aut quia dicit vnum de vno, aut quia coniunctione est vna, quibus verbis comprehendit omnes enunciationes simplices, in quibus vnum de vno prædicatur, & omnes hypotheticas, siue coniunctas, quæ sunt cõiunctione vnæ. Censetur autem hoc loco vnum, quod aut est vnum per se, vt homo animal rationale, aut per accidens, vt homo albus, aut vnum coniunctione aliqua, vt risibilis & flebilis. Itemque enunciatio plures eam amplectitur; quæ est plures, ratione alicuius extremi, & eam ratione coniunctionis, dicit enunciationem plures duobus modis esse plures, altero quia significat plura; & non vnum quod fit, cum prædicatum aut subiectum, aut vtrumque est æquiuocum, aut certè constat duabus propositionibus, vt gallus est interfectus, homo est risibilis flebilis, altero modo, quia significet ea quæ carent coniunctione idest, quia constat ex pluribus enunciationibus simplicibus nulla coniunctione cohærentibus, vt Socrates disputat, Socrates non disputat. Enunciatio, quæ priori modo est plures, contraria est enunciationi simplici; in qua vnum de vno prædicatur; quæ vero est plures posteriori modo, contraria est enunciationi coniunctæ.

Nomen igitur] Confert hoc loco nomen & verbum cum enunciatione, aitque eo differre: nomina & verba ab enunciationibus quod sint tantum enunciationes, hoc est, significent quidem rem aliquam, non tamen enuncient, siue quis ea proferat rogatus, siue sua sponte, nemine scilicet rogante. Vnde colliges nullum nomen aut aut verbum per se sumptum esse enunciationem. Quamuis enim verba 1. & 2. personæ, imo etiam cæteræ voces, cum ad interrogationem respondentur, videantur significare verum aut falsum, non significant tamen, nisi ratione aliarum dictionum, quæ subintelliguntur; vt si quis rogatus, disputet nè Socrates respondeat, disputat: vbi verbum illud (disputat) non significat verum aut falsum, sed propterea dicitur significare, quod ex vi interrogationis præcedentis subintelligitur nomen Socratis, ac si responsum fuisset, Socrates disputat.

Harum autem) Antequam definiat affirmationem & negationem, quæ sunt species enunciationis simplicis, affert rursus diuisionem enunciationis vnius in enunciationem simplicem, quæ dicit aliquid de aliquo, aut aliquid ab alio remouet, id est, in qua vnum affirmatur aut negatur de vno; & in enunciationem coniunctam, quæ ex pluribus simplicibus, coniunctione aliqua copulatis constat, qualis est, si dies est, lux est; in quarum numero & illæ ponendæ sunt, quæ constant ex nominibus, quæ facile ad simplices reuocari possunt, vt si dies esset lux esset huiusmodi enim enunciationes coniunctæ si non actu, saltem potestate ac virtute ex simplicibus componuntur. Deinde enunciationem simplicem diuidit in affirmationem, & negationem. Affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo, id est in qua vnum tribuitur alteri; negatio vero est enunciatio, in qua aliquid ab alio remouetur.

Quoniam autem fieri) Hactenus egit Aristoteles de his omnibus quæ in præfatione proposuerat; acturus vero deinceps de oppositione complexa, quæ inter enunciatione cernitur, deque partibus subiectis ipsius, differit in extremi parte huius cap. de contradictoria oppositione, quæ inter partes subiectas oppositionis potissima est; cuius rei causa hanc proponit regulam: Omni affirmationi opposita est negatio aliqua: & omni negationi affirmatio, quam ita probat: fieri potest, vt omne, quod affirmatur, negetur, & omne quod negetur, affirmetur, igitur omni affirmationi opposita est negatio aliqua & omni negationi affirmatio. Consequentia patet, antecedens probatur hoc modo; fieri potest vt id, quod est enuncietur non esse, & id, quod non est, enuncietur esse, & id, quod est, esse, & id, quod

quod non est, non esse, igitur fieri potest, ut omne, quod affirmatur, negetur, & omne, quod negatur, affirmetur. Vnde colligitur omnem simplicem enunciationem posse alicui alteri opponi aliquo oppositionis genere, Illud tamen verum est, non omnem enunciationem simplicem habere aliquam sibi oppositam contrarie aut subcontrarie, quoniam nulla particularis habet contrariam, nec ulla uniuersalis subcontrariam, sed tamen quamcunque habere aliquam sibi oppositam contradictorie, ut ex sequentibus patebit. Vnde efficitur, ut inter hæc tria oppositionum genera, sola contradictoria sit passio enunciationis simplicis, oppositio autem in communi, quia conuenit etiam omnibus enunciationibus simplicibus ratione oppositionis contradictoriæ, in qua essentialiter includitur, sit quidem passio enunciationis simplicis, cæterum fluat contrario ex natura ipsius.

Atque hoc sit contradictio] Sunt qui velint hoc loco definiri ab Arist. oppositionem conuenientem tribus illis generibus, de quibus modo diximus, sumitque nomen contradictionis late, ut comprehendat omnem oppositionem, in qua sententia fuit Alb. Magn. & plerique alij ex recentioribus, sed magis placet sententia Boetij & aliorum, qui dicunt, solam contradictionem proprie sumptam hoc loco definiri, præsertim, quia nomen contradictionis nunquam solet usurpari, ut contrariam & subcontrariam oppositionem comprehendat. Accedit etiam quod Aristot. statim post traditam definitionem eas particulas adhibeat quibus solam contradictionem, 1. Elench. lib. cap. 8. aperte explicauerat; Vult ergo contradictionem esse affirmationem, & negationem maxime oppositas, per quas excluduntur tum contrariæ, tum subcontrariæ oppositiones. Contrariæ enim & subcontrariæ oppositiones non sunt maxime oppositæ, cum illis non repugnet: ut simul falsæ his uero non repugnet, ut sint simul uere Aduertendum est tamen definitum huius definitionis tum abstracte, tum concrete sumi posse, si accipiatur abstracte, significabit habitudinem, relationemvè contradicentium enunciationum; & sic sensus definitionis erit. Contradictio est habitudo, qua affirmatio simplex negationi simplici opponitur. Si vero concrete, tunc cōtradictio idem erit, quod contradictorie opposita, quomodo nomen contradictionis sæpe ab Aristot. vsurpatur. Census autem definitionis erit, contradictoriæ sunt affirmatio & negatio maxime opposita.

Opponi autem eum dico] Explicat Aristot. quo modo acceperit verbum illud (oppositæ,) in definitione contradictionis, docetque ita esse accipiendum, ut ea enunciatio dicatur hoc loco opponi alteri, quæ est eiusdem prædicati & subiecti, secundum eandem omnino uocem. Vnde hæ enunciationes, Socrates disputat, Plato non disputat, non sunt oppositæ, & hæc uestis est attrita, indumentum non est attritum, quia in illis hæc conditio desideratur. Addit non equiuoce, ut intelligamus subiectum, & prædicatum, non solum quo ad uocem debere esse eadem, verum etiam, quo ad significationem, propterea non sunt oppositę enunciationes hæ, Cato interfecit se Cato non interfecit se, accepto uocabulo Catonis, in altera pro Vticensi, in altera pro Censorio. Docet præterea, addendas esse quatuor illas particulas, quas in 1. libro Elench. cap. 4. ad uitandas Sophistarum calumnias posuimus. Particulæ sunt, (ad idem: secūdum idem, similiter, & in eodem tempore: Ad idem) significat subiectum, & prædicatum debere sumi comparatione eiusdem, hinc fit, ut non sint contradictoriæ huiusmodi enunciationes, Plato est præceptor, plato non est præceptor, si plato in priori conferatur cum Aristotele, in posteriori cum Socrate. (Secuudum idem,) idest secundum eandem partem. Vnde non sunt contradictoriæ hæ enunciationes, hic Aethiops habet albedinem, hic Aethiops non habet albedinem, si in priori intelligas Aethyopem habere albedinem in dentibus, in posteriori, non habere albedinem in facie: Tertia particula est, (similiter,) idest. eodem prorsus modo, defectu cuius conditionis hæ non sunt contradictoriæ Socrates currit, si intelligas lentes, Socrates non currit, si intelligas, uelociter. Quarta particula est (eodem tempore,) ad quam reduci potest quinta, (eodem loco,) defectu harum conditionum hæ non opponuntur contradictorie; Socrates uigilat, si intelligas interdiu, Socrates non uigilat, si intelligas noctu: hac hora polum, si intelligas in Gallia, hac hora non

non pluit, si intelligas in Lusitania. Hæ uero omnes particulæ eo tendunt, vt Aristot. doceat, se accepisse vocabulum, (opposite,) pro maxime oppositis.

Diuidatur nè vox significatiua ex instituto diuisione generis in nomen, & verbum & orationem.

QVAESTIO PRIMA.

IN hac quęstione primo est aduertendum, dubitationem non excitari, de voce significatiua ex instituto, si accipiatur, pro quodam coniunctio ex voce, quæ ens quoddam reale est & significatione, que, vt supra diximus, est relatio nominis: perspicuum est enim eam esse compositum per accidens, nec posse diuidi in nomen, verbum & orationem diuisione generis, sed excitari de voce significatiuæ ex instituto, si accipiatur loco vnius vocis simplicis, quæ formaliter significet relationem significantis ex instituto, & connotet uocem, in qua fundatur. Secundo loco aduertendum est, nomen verbum & cæteras uoces simplices eo differre ab oratione quod illarum significatio non constetur ex aliquarum partium significatione, sed omnino simplex sit: at vero orationis significatio, ex suarum partium significatione cōficiatur, ita vt earum partium significationes formaliter excludat, verbi gratia: significatio huius orationis: (homo est albus,) coniuncta ex significatione huius vocis, (homo,) & alterius vocis, (albus,) quod sane satis affirmatur ex definitione orationis: vbi Aristo. docet: partes orationis separatim significare in ipso toto, quasi totius orationis significatio, ex partium significationibus conficiatur. Quod etiam ex eo confirmatur, quia si cuiuslibet partis earum, quæ in oratione sumuntur, significatio mutetur, nemo dubitat totius orationis significationem mutari.

Quod si quis obijciat: orationem posse confici ex dictionibus non significatiuis, vt si dicas (blictri) est (blictri:) dicendum est, voces non esse partes enunciationis, sed ratione aliarum dictionum, quæ in prolata oratione subintelliguntur. Cum enim dicimus, (blictri) est (blictri,) tam in subiecto, quam in prædicatio, intelligitur aliqua alia particula; vt hæc uox, hæc dictio, ratione cuius uox non significatiua videtur assumi in oratione, vt patet ex 1. lib. Insti. Dialect. cap. 16. Quod pari ratione dicendum est in cæteris orationibus, in quibus vox qua materialiter, id est, pro se ipsa accipitur. Quod si mauis eas voces secundum se esse partes orationis, dicendum est, tunc temporis orationis significationem conflati, partim ex significatione copulæ partim ex significatione materialis subiecti & prædicati, dicique orationem significatiuam ex instituto saltem ratione alicuius partis: nec enim potest esse oratio, quæ saltem aliqua parte ex instituto significante non constet, sed prior solutio magis placet.

Aduertendum est tamen: orationem prę ter partium significationem dicere ordinem quendam ipsarum partium inter se: quo mutato, quamuis singularum partium significatio eadem maneat: totius tamen orationis significatio mutatur atque adeo ipsa oratio alia esse censetur. Nemo enim negat aliam esse hanc enunciationem, homo est animal, aliam vero hanc, animal est homo, cum tamen partium significationes sint eædem, & præter ordinem nihil mutetur. Porro hic ordo non tam ex ipsarum partium situ sumitur, quam ex conceptione intellectus. Fit enim interdum, ut manente eodem situ, quo ad voces aut scripta, tamen propter diuersum concipiendi ordinem alia, & alia oratio censeatur. Alia enim est hæc enunciatio, homo albus est, vt respondet enunciationi mentali, qua albus, sumitur ut pars subiecti; alia uero, ut respondet enunciationi, qua albus sumitur vt prædicatum, quamuis in voce aut scripto idem semper seruatur situs. Potest etiam interdum mutari situs in voce aut scripto, & oratio erit eadem, si tamen non mutetur ordo in conceptione, cui oratio aut scriptum respondet, ut in proposito exemplum, si albus, semper sumatur pro prædicato, eadem est oratio, homo est albus, & homo albus est, quamuis situs in uoce aut scripto sit diuersus. Hoc quod uulgo dicitur ut Dialectici, & Aristot. 1. cap. lib. 2. affirmat nomina & uerba transposita idem signi-

significare, quo scilicet non mutatur ordo conceptionis, non tamen est negandum, ipsum etiam situm partium non ita esse liberum, ut iam magna ex parte non sit definitus, & certus ex hominum constitutione, & communi consuetudine loquendi, ac fere iuxta regulas, quas Grammatici ex uulgaris sermonis usu collegerũt in singulis idiomatis, uerum is non tam astrictus, & angustus est, ut eo seruato non adhuc in plurimis liberum sit cuique, hoc, aut, illo modo partes concipere; & sensum totius orationis, atque adeo ipsam orationem mutare. Ex his patet, orationem etiam formaliter sumptam, cum ipsius significatio nihil aliud contineat, quam plurium partium significationes inter se ordine quodam coniunctas, non tam esse unum per se, quam unum per aggregationem & ordinem, seu unum aggregatum ex pluribus ordinatis.

Ex dictis facile est ad propositam quæstionem respondere. Dicendum est enim uocem significatiuam ex instituto non diuidi in nomen & uerbum & orationem, diuisione generis, quæ conditio ex eo patet, quia quod est unum per se in aliqua natura, non potest in eadem uniuoce conuenire, cum eo, quod in illa natura non est simpliciter, ac per se unum, sed tantum secundum quid; sed nomen & uerbum sunt unum per se significatiue ex instituto, oratio uero est unum per aggregationem; igitur non possunt in eodem uniuoce conuenire. Quod si quis petat, quomodo sint constituenda diuisio adæquata uocis significatiuæ ex instituto, aut potius significatiui ex instituto connotando uocem; Dicendum est significatiuum ex instituto si tam late accipiatur ut omnia comprehendat, posse diuidi, diuisione analogi in anlaogata, in significatiuum omnino unum, & significatiuum unum secundum quid, scilicet uuum ordine quodam partium significantium. Hoc posterius membrum conuertitur cum oratione, diuiditurque ijsdem diuisionibus, quibus oratio diuiditur in orationem scilicet perfectam & imperfectam. Perfecta uero in enunciationem imperatiuam, optatiuam, & enunciatiuam &c. rursus enunciatiuam in affirmationem & negationem, quæ omnia, quãuis nec ueræ species sint, nec uera genera, cum omnia sint aggregatione, & ordine partium conflata, solent tamen genera; & species appellari propter similitudinem, quam habens cum ueris generibus, ac speciebus: quemadmodum domum dicimus esse speciem ędificij & exercitum esse genus ad uarias species in se contentas, quæ iuxta diuersos ordines componendi milites distinguuntur. Significatum uero ex instituto, quod est omnibus unum, diuiditur diuisione generis in significatiuum ex instituto sine tempore, & in sigificatiuum ex instituto cum tempore. Priori membro continetur nomen ab Aristo. definitum & casus nominum & nomina etiam infinita, aduerbia & quæcunque significant sine tempore. Posteriori uero membro continentur omnia, quę cum tempore significãt, utrum autem significatiuum sine tempore, & significatiuum cum tempore genera sint, an potius infimæ species, parum interest.

Sitnè recta tradita Enunciationis Definitio?

QVAESTIO SECVNDA.

NON uidetur recte tradita Enunciationis definitio, nec enim omnibus, nec solis enunciationibus accommodari uidetur. Quod non omnibus conueniat sua detur in primis: quoniam si hæc voc, (homo,) imponeretur ad siguificandum totum hoc, (homo est animal rationale,) esset enunciatio, cum significaret uerum aut falsum? & tamen non esset oratio: Ergo definitio enunciationis non omnibus conuenit. Aliter probatur: quia partes huius vocis nihil significarent separatim, ut nunc etiam nihil significant. Præterea hęc oratio, (hæc propositio est falsa,) pronomine illo, (hæc,) demonstrante eandem enunciationem, in qua ipsa ponitur, est enũciatio: & tamen neque significat uerum, nec falsum; Ergo definitio tradita non conuenit omnibus Minor probatur. Nam si dixeris, eam esse falsam, cum significet se esse falsam, ita se res habebit, ut ipsa significat, ac proinde erit vera & non falsa: Quod si veram dixeris, ergo ita se res habet a parte rei, ut ipsa significat; sed ipsa significat esse falsam; Ergo est falsa & non vera. Eadem obiectio fieri potest in hac oratione, (ergo men-

mentior,) seu quod idem est, (ego nunc dico falsum,) demonstrando per verbum DICO, hanc ipsam orationem, quam profero. Nam si dicas, me falsum dicere, cum ego significem me dicere falsum, dicam verum & non falsum, quia ita dico, vt est, si autem dicas, me dicere verum, ita se habebit res, vt ego dico: quare cum dicam, me dicere falsum, falsum dicam & non verum. Postremo hæc oratio, Socrates disputabit cras, est enunciatio, & tamen non significat verum aut falsum cum sit de futuro cōtingenti, quod in vtramque partem euenire potest; Ergo definitio tradita non conuenit omnibus enunciationibus. Quod vero nec solis accommodetur, cōfirmatur hoc modo: Nam hoc completum verum aut falsum, est oratio significās verum aut falsum, & tamen non est enunciatio, cum non constat verbo igitur non solis enunciationibus conuenit tradita definitio.

Secundo, hæc oratio Socratem currere, significat Socratem currere, sed Socratem currere est uerum, aut falsum: Ergo hæc oratio Socratem currere significat uerum aut falsum. cum tamen non sit enunciatio, sed oratio imperfecta, ergo institutum. Tertio hæc oratio Socrates est prudens & doctus, est oratio significās uerum aut falsum, vt patet, & tamen non est enunciatio vna, quæ sola ab Arist. definitur; Ergo definitio tradita non solis accommodatur enunciationibus. Minor probatur. Nam nec est vna simplex, dicens scilicet unum de vno nec coniuncta, quippe cum ex simplicibus enunciationibus non componatur.

Dicendum est tamen, definitionem enunciationis recte traditam esse, cum omnis oratio sit instrumentum intellectus, quo scilicet sua explicat cogitata, instrumentum autem per proprium officium accommodatissime definiatur enunciatio, quæ oratio quædam est, per proprium officium, quod est significare verum aut falsum, accommodatissime definietur. Ponitur ergo loco generis Oratio scilicet, vocalis (definitur enim enunciatio vocalis) per quam particulam excluduntur nomina & verba, denique omnes voces simplices, & conceptus omnes & scripta itemque enunciationes simplices, quoniam enunciationes plures, non sunt oratio vna. Loco differentiæ ponitur, (significare uerum aut falsum,) per quam particulam reijcitur quæcunque oratio non enunciatiua: quare ad primam obiectionem dicendum est, facta illa hypothesi vocem (homo,) non esse enunciationem ab Aristotele definitam. Definit enim Arist. in his lib. solum uoces, quibus homines communiter uti solent ad hoc, aut ad illud significandum, non solemus autem vnica voce simplici ex ui ipsius uerum aut falsum significare. Quod si voluisset etiam definire uoces, quæ finge possent ad hoc, aut ad illud significandum, aliter fortasse definitiones tradidisset.

Ad secundum dicendum est pronomen hæc, ex communi vsurpatione nunquam demonstrare eam enunciationem, in qua ponitur, sed aliam quandam pro qua accipetur. Cum enim ab alio enunciatio profertur, quærere solemus, de qua nam propositione ille loquatur, quapropter si pro alia quadam enunciatione accipiatur, verbi gratia, pro hac Socrates non est animal, dicetur esse uera; sin uero pro ac accipiatur, Socrates est animal, dicetur esse falsa. Itaque si huiusmodi propositiones in eo sensu accipiatur, quo cōiter vsurpari solēt. verū aut falsū significare dicitur, vt cæteræ.

Sed si quis velit vocabulis abuti, & uero sensu enunciationum, & pronomine ille, hæc, ipsam orationem, cui adiungitur demonstrare: Ad hoc, sunt qui dicant eas orationes esse falsificantes: neque in definitione enunciationis ab Arist. tradita comprehendi, quoniam ex earum ueritate, falsitas ipsarum colligitur, & ex falsitate ueritas. Potius tamen dicendum videtur, eas non esse falsificantes, nec ex ueritatem falsitatem colligi, aut est contra, sed eas esse tantum ueras aut falsas, Pro cuius intelligentia aduertēdum est: orationem, cui aliquod pronomen, aut uox demonstrans adiungitur, nec ueram esse, nec falsam, si particula demonstrans, nihil demonstrare ponatur: quoniam hoc pacto nullum habebit sensum perfectum, qualis ad ueram aut falsam orationem requiritur, ut si dicas, hic homo habet duo capita, nullam rem demonstrando, pro quo pronomen, hic, accipiatur, nec ueram nec falsam orationem efficiens. Quod si aliquis homo eo pronomine demonstretur, tum pro ueritate aut falsitate rei demonstratę ueram aut falsam orationem efficiens. Pari ratione, hæc oratio. (Hæc propositio

positio est falsa,) si absolute sumatur, ita vt pronomen hæc, nihil demonstret, nec vera, est falsa. Quod si aliquid demonstret, pro veritate aut falsitate rei, quæ ostenditur, dicetur vera aut falsa. Nam si demonstret rem falsam, erit vera, si autem veram, neque falsam, erit falsa, cum significet rem illam esse falsam.

Ad argumentum igitur dicendum est; illam orationem, (hæc propositio est falsa,) esse falsam: si pronomen demonstret totam orationem, cui adiungitur: quoniam significat ipsam orationem, vt tali pronomine demonstratur, & absolute acceptam, esse falsam: quod quidem est falsum, cum illa demonstratur & vt absolute sumitur, nec vera est, nec falsa; quandoquidem, & sub hac ratione, illo pronomine, hæc, nihil demonstratur. Eodem modo respondendum est, ad alteram orationem, quam adduximus scilicet, (ego nunc dico falsum.) Si enim verbum, (dico,) demonstret aliam quandam orationem diuersam ab ea, cui ipsum adiungitur: dicetur illa oratio vera aut falsa, iuxta veritatem aut falsitatem orationis demonstratæ. Si vero eandem orationem, cui adiungitur, ostendat: dicatur illa oratio falsa: non quod rem falsam significet: sed quod illa oratio, vt significat & demonstrat seipsam, ostendit seipsam, vt significatam: quæ quidem sub ea ratione, nec falsa est, nec vera.

Ad tertium dicendum est, eam enunciationem esse, non quidem determinate, sed indeterminate, seu confuse ueram, aut falsam, quod satis est vt comprehendatur in hac definitione. Pro cuius intelligentia aduerte particulam, aut positam in definitione enunciationis non accipi disiunctiue, sed disiunctim. Nam si acciperetur disiunctiue, definitio non posset vniuersaliter prædicari de definito; esset enim sensus, aut omnis enunciatio esset vera, aut omnis enunciatio esset falsa, quod tamen non vere dixeris: accipietur ergo disiunctim eritque definitionis sensus, omnem enunciationem significare aut verum aut falsum. Vnde non valet hæc consequentia, hæc enunciatio est vera, hæc non est falsa; igitur non est vera aut falsa; non valet, non est necesse mori in hoc anno, nec est necesse mori in illo, & sic de cæteris: Ergo non esse necesse mori in hoc, aut illo anno, & sic de cæteris

Ad primam reliquarum obiectionem dicendum est, complexum illud nempe verũ aut falsum esse orationem, significareque verum aut falsum, hoc est, veritatem ipsam aut falsitatem in concreto, quod alij vocãt, significare verum aut falsum in actu signato quomodo enunciatio non dicitur significare verum aut falsum, quia significat id, cui accidentaliter conuenit, esse verum aut falsum, quod alij vocant significare verum aut falsum in actu exercito, hoc est, quatenus rebus applicatur, quomodo complexum illud non significat verum aut falsum, & propterea non est enunciatio.

Ad secundum dicendum est, Socratem currere non esse verum aut falsum, quatenus significatur hac oratione Socratem currere, sed quatenus significatur hac oratione, Socrates currit. Ad postremam dicendum est, eam orationem esse simplicem enũciationem, si particula hæc accipiatur copulatiue, hoc est, vt cõiungit partes vnius prædicati, sic enim significat vnũ de vno. Quod si particula accipiatur copulatiue, ut scilicet coniungit diuersas enunciationes, quasi sensus sit huiusmodi, Socrates est prudens, & Socrates est doctus, erit coniuncta propositio, conflata ex vocibus simplicibus.



CA-

CAPVT QVINTVM DE SVBIECTIS,

& prædicatis enunciationum.



Vm autem rerum aliæ sint vniuersales, aliæ particulares (atque vniuersale dico, quod de pluribus aptum est prædicari, quale est homo: singulare autem id, quod illam legem subire nequit, quale est Callias) sitque necesse interdum vniueruersalium, interdum singularium cuidam aliquid inesse, vel non inesse enunciare; si quispiam vniuersaliter quidem de vniuersalibus enunciat, competere inquam aut non competere quippiam, erunt enunciationes istæ contrariæ. Atque de vniuersalibus, vniuersaliter enunciare quempiam dico hoc modo, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus. Quando autem in vniuersalibus non vniuersaliter non sunt contrariæ: quæ autem significantur, possunt esse contraria. Dico autem non vniuersaliter enunciare in his, quæ sunt vniuersalia, hoc modo. Homo albus est: homo albus non est, homo quidem est vniuersale, at ille non vtitur vt vniuersali ipsa enunciatione. Hæc enim vox, omnis, *non significat ipsum vniuersale, sed vniuersalis prædicationis est nota, Et vero, quod vniuersaliter prædicatur, si vniuersalis prædicationis addideris notam, enunciationẽ non efficies veram, nulla enim erit affirmatio vera, in qua prædicationis nota vniuersalis ei adiungitur; quod vniuersaliter prædicatur, vt omnis homo est omne animal. Affirmationem igitur & negationem opponi contradictorie quidem dico, cum vniuersaliter altera significat de eodem, vt omnis homo albus est: Non omnis homo albus est: Nullus homo albus est, quidam homo albus est, Contrarie vero, cum vniuersaliter vtraque significat de eodem, vt omnis homo albus est; Nullus homo albus est.*

Omnis homo albus est.	*Contrariè.*	Nullus homo albus est.
	Contra dictoriè. Contra dictoriè.	
Aliquis homo albus est.	*Subcontrariè.*	Non omnis homo albus est.

Egit

EGit Arist. in fine superioris c. de oppositione contradictoria, nunc cetera etiã genera explicare instituit: sed quoniam oppositio aliter cernitur in enunciationibus de subiecto vniuersali, aliter in ijs, quæ cõstãt subiecto singulari, diuidit initio huius c. enunciationem in eam, quæ constat subiecto vniuersali, & eam, quæ constat subiecto singulari, quam diuisionem colligit ex diuisione rerum, in vniuersales & singulares: quo loco obiter definit, quid sit vniuersale, quid singulare, sed ea de re multa dicta sũt apud Porphyrium. Illud aduertendum est; res diuidi in vniuersales & singulares: non secundum esse, quod habent a parte rei (sic enim omnes sunt singulares, aut per se aut per accidens.) Sed secundum id quod habent cum apprehẽduntur ab intellectu: aut secundum quid significantur per voces, quo modo aliç vniuersales sunt, aliç singulares. Quædam enim concipiuntur conceptu vniuersali, repræsentante scilicet rem sine differentijs indiuiduantibus: aliæ concipiuntur conceptu singulari, in quo scilicet ipsæ indiuiduantes differentiæ repræsentantur; & pari ratione, quædam significantur voce vniuersali, vt, homo: quædam voce singulari, vt Socrates. Est autem hæc diuisio subiecti in accidentia.

Si quispiam.) Ex diuersitate subiectorum colligit diuersa oppositionum genera, quo loco recole ea, quæ libr. 3. institutio. Dialect. tertia, quarta, & quinta, itemque sesto, & septimo, & explicata sunt. Ait igitur eas enunciationes opponi contrarie, in quibus idem affirmatur & negatur de eodem subiecto vniuersali, vniuersaliter accepto, siue affecto signo vniuersali, vt si dicas; Omnis homo est candidus. Nullus homo est candidus.

Quando autem) Tradit hoc loco quintum oppositionis genus, docens eas enunciationes oppositas, quarum vtrumq; subiectum est vniuersale non vniuersaliter acceptum, non esse contrarias, appellantur tamen sub contrariæ, si subiecta sint particulariter affecta, hoc est, affecta signo aliquo particulari, ut quidam homo est iustus, quidam homo non est iustus. Vocantur autem subcontrariæ, quoniam sub contrarijs collocantur, vt hæc, quidam homo est iustus, sub hac omnis homo est iustus. Hæc vero, quidam homo non est iustus, sub hac nullus homo est iustus. Quod si subiecta enunciationum accipiantur indefinite, id est, sine aliquo signo, vocantur contradicentes ab Arist. c. sequenti. Sed intellige esse contradicentes indefinitas, quarũ non est opus alteram veram esse, & alteram falsam. Recentiores tamen etiam has vocant subcontrarias quoniam, eandem seruant legem cũ subcontrarijs, quo ad veritatem aut falsitatem. Cæterum Aristoteles hoc loco potissimum videtur loqui de indefinitis.

Quæ autem significantur) Docet Aristot. hoc loco, etsi enunciationes indefinitæ non sint contrariæ, earum tamen sihnificata posse esse contraria, quoniam, vt exponunt. Alexander & alij, enunciationes indefinitæ in materia necessaria, modo subiectum non latius pateat, quam prædicatum, & in materia impossibili, idem valent atque contrariæ, non quidem in modo significandi, sed in veritate & falsitate. Vnde quod attinet ad veritatem & falsitatem, idem est dicere, hominem esse animal, atque omnem hominem esse animal. Dixi in materia necessaria, modo subiectum non latius pateat, quã prædicatum, quoniam si subiectum latius pateat, non idem valebit indefinita, in materia necessaria, quod vniuersalis, vt hæc, animal est homo, non idem valet, quod hæc omne animal est homo.

Omnis non significat.) Reddit rationẽ, cur enunciationes indefinitæ non sint vniuersales, quoniam etsi constent subiecto vniuersali, non constant subiecto, affecto signo vniuersali. Nam quamuis signa vniuersalia non significent res vniuersales, tamen sunt notæ vniuersalis prædicationis, hoc est, denotant prædicatum conuenire naturaliter omnibus singularibus contentis sub subiecto, cui opponuntur.

Et vero.) Tradit obiter documentum quoddam, nempe si prædicato enunciationis vniuersalis affirmatiuæ, addatur signum vniuersale, non posse fieri veram enunciationem, vt si dicas, omnis homo est animal, omnis homo est omne risibile. Dixi enunciationis vniuersalis affirmatiuæ, quoniam si prædicato vniuersalis negatiuæ addiderit quispiam signum vniuersale, poterit efficere enunciationem veram, vt si dicat: nullus homo est animal. Intelligendum est etiam hoc, quando prædicatum enunciationis, non conuenit vni tantum, alioquin

poterit esse vera, vt si dicas, omnis Deus est omnis creator, vbi prædicatum vni soli conuenit. Illud tamen aduerte, nulla signa accommodate ad naturam ipsorum adiungi cum prædicato; Nam vt affirmatio, & negatio, in quibus qualitas enunciationum posita est, pertinent ad prædicatum, quod est, veluti forma enunciationis, sit etiam vniuersalitas & particularitas, in quibus qualitas enũciationum cernitur ad subiectum quod est veluti materia enunciationis, aptissime referuntur.

Affirmationem igitur) Tertio loco docet oppositas enunciationes, quarum altera est vniuersalis, altera particularis, esse contradicentes, vt omnis homo est albus, quidam homo non est albus: Nullus homo est albus, quidem homo est albus. Deinde repetit id, quod dixit de contrarijs, nulla facta mentione subcontrariorum, quoniam putat eas, non esse proprie oppositas, quod altera non proprie negat, quod altera affirmat. Præterea, quoniam non repugnant in veritate, in quo cernitur vera, ac propria oppositio, quo fit, vt Arist. 2. lib. priorũ c. 15. merito dicat, subcontraria, enũciationes nõ esse reuera oppositas, sed voce duntaxat.

Quid oppositio in communi, & de singulis oppositionum generibus.

QVAESTIO VNICA.

QVanquam omnibus oppositionum generibus explicatis, non erat difficile intelligere, quid esset oppositio in communi, ac propterea ipsius definitio omissa sit hoc loco ab Arist. uidendum est tamen breuiter, quo pacto ea definiri possit. Recentiores igitur putant, oppositionem propositionum ita definiendum esse. (Oppositio est repugnantia duarum propositionum,) vtroque termino participantium, aut in quantitate tantum, aut in qualitate tantum aut in quantitate & qualitate simul dicunt in quantitate tantum propter eas propositiones, quas vocant subalternas, quæ cum constent eisdem extremis, & eadem qualitate, altera tamen est vniuersalis, & altera particularis cuiusmodi sunt hæ, omnis homo est iustus, aliquis homo est iustus, nullus homo est iustus; aliquis homo non est iustus. Dicunt (in qualitate tantum) propter contrarias & subcontrarias, quæ cum in quantitate conueniant, quia aut ambæ sunt vniuersales, aut ambæ particulares, in qualitate tamen differunt, quia altera est affirmatiua, altera negatiua. Addunt autem (in quantitate, & qualitate simul) propter cõtradictorias, quarum altera est vniuersalis, altera particularis, altera affirmatiua, altera negatiua.

Sed quoniam subalternæ propositiones non debent inter oppositas numerari, quia nec in veritate pugnant, nec in falsitate, imo vero ex veritate vniuersalis, quam vocant subalternantem, infertur veritas particularis, quam vocant subalternatum, & contra ex falsitate huius falsitas illius, melius definietur oppositio hoc modo. (Oppositio est duarum enunciationum vtroque termino participantium repugnantia secundum affirmationem & negationem.) Pro genere ponitur, (repugnãtio,) additur (duarum enũciationum,) excludendam repugnantiam inter duos terminos. Additur (vtroq; termino participãtium,) quia debent constare eodem subiecto & prædicato: Addit postremo, (secundum affirmationem, & negationem,) ad excludendas propositiones subalternas, quæ ambæ sunt affirmatiuæ, aut ambo negatiuæ. Diuiditur autem oppositio in tria membra, scilicet in oppositionẽ contrariam, & subcontrariam & contradictoriam oppositionem, quæ diuisio est analogi in analogata. Constat enim rationem oppositionis primam participari ab oppositione contradictoria, quæ enũciationes, quibus conuenit, nec simul veras, nec simul falsas esse patitur: Deinde ab oppositione contraria, quæ patitur quidem oppositiones, quibus inest, esse falsas simul, non tamen simul veras: Postrema ab oppositione subcontraria, quæ vix oppositionis nomine digna est, quia quãuis propositiones simul falsas esse non patiatur, patitur tamen esse simul veras. Ad hoc tertium genus pertinet oppositio, quæ cernitur inter propositiones indefinitas, eadem enim ratio est de indefinitis, ac subcontrarijs.

Oppositionem contradictoriam definiuit Arist. in fine cap. superioris cum dixit, contradictionem esse affirmationem, & negationem maxime oppositas, at ex hoc cap. licet

licet hanc contradictionis definitionem colligere: (Contradictio est oppositio inter duas propositiones, quarum altera est vniuersalis, altera particularis.) Cæterum aduerte, priorem illam definitionem latius patere, quam hanc posteriorem. Hæc enim solum complectitur contradictionem, quæ cernitur inter propositiones simplices cõstantes subiecto vniuersali, siue communi, vt patet; solæ enim illæ propositiones possunt dici vniuersales aut particulares. Illa autem prior comprehendit & contradictionem, quæ cernitur inter propositiones singulares, imo etiam inter propositiones cõiunctas, quas Arist. hoc cap. omnino præter misit. De quibus, vt aliquid dicamus, sciendum est in primis, propositionibus singularibus, & cõiunctis non posse conuenire oppositionem contrariam, aut subcontrariam, quia tales enũciationes non sunt vniuersales, nec particulares, quod requiritur ad oppositionem contrariam, & subcontrariam. Superest ergo, ut solum eis cõueniat oppositio contraria: Cõuenient autem quando cõstiterint eisdem terminis: & una fuerit negatiua, & altera affirmatiua, ut patet in ijsdem propositionibus: Socrates est iustus: Socrates nõ est iustus. Si Sol lucet dies est, si sol non lucet, dies non est.

Aduertendum est autem enũciationem coniunctam, fieri negatiuam, quando copula præcipue negatur. Ea uero præcipue negatur, quæ cõnectit simplices propositiones inter se. Quemadmodum enim negatio copulæ uerbalis facit negatiuam simplicem; sic etiam in propositionibus cõiunctis negatio copulæ illius, quæ simplices propositiones nectit, facit propositionem negatiuam coniunctam: Non potest autem id facilius fieri, quam si propositioni coniunctæ, negationi præponatur. Ad enũciationes cõtradictorias constantes subiecto singulari, reducuntur & illæ, quarum substantiæ, licet sint vniuersalia, sumuntur tamen simpliciter, pro vt loquuntur Dialectici, seu quod idem est, pro natura communi, quasi seiuncta a rebus singularibus, vt si dicas homo est species, homo non est species. Sunt enim similes propositionibus, quia pro vno solo accipiuntur: Atque hæc de oppositione contradictoriæ.

Quod vero attinet ad oppositionem contrariam & subcontrariam, possunt ipsarum definitiones colligit ex his, quæ Aristo. hoc cap. dixit, in hunc modum. (Oppositio cõtraria est oppositio, qua enunciationes vniuersales opponuntur,) vt omnis homo est iustus; nullus homo est iustus. (Subcontraria vero oppositio est, qua duæ enunciationes particulares inter se opponuntur,) vt quidam homo est iustus; quidam homo non est iustus. Quod si velis nomine subcontrariæ oppositionis eam etiam comprehendere, quæ cernitur inter oppositiones indefinitas, dic, (Subcontrariam oppositionem esse, qua duæ oppositiones particulares, aut indefinitæ opponuntur.) Illud solum aduertendum est hoc loco, oppositiones subcontrarias, & non esse uere oppositas, si modo proprie de oppositione loquẽdum sit, quia quamuis simul falsæ esse non possunt, ueræ tamen esse possunt, quod non congruit cum oppositionis ratione, maxime vero, quia vna non proprie negat, quod altera affirmat; qua forte ratione Aristotel. nihil fere hoc cap. de oppositione subcontraria dixit, imo uero secundo libro priorum cap. 1. & 5. ait eas non esse reuera oppositas sed uoce tantum. Quod si quis uelit enunciationes subalter definire; (quamuis illæ, ut initio diximus, non sint oppositæ) dicat (enunciationes esse, quæ ijsdem omnino terminis constant, aut ambæ affirmatiuę, aut ambæ negatiuæ, quarum altera est uniuersalis, altera particularis,) ut omnis homo est iustus; aliquis homo est iustus; nullus homo est iustus; aliquis homo non est iustus, ex quibus uniuersales dicuntur subalternantes, particulares uero subalternatæ. Ex dictis facile patet, quod propositiones constantes subiecto communi dicanrur cõtradictoriæ, quæ contrariæ, quę subcontrarię, imo & subalternæ, quod etiam clarius in subiecta figura inspici potest. Constituatur enim figura quatuor angulorum, & in primo angulo superiori collocetur uniuersalis affirmatiua, in secundo superiori, uniuersalis negatiua in primo inferiori ponatur particularis affirmatiua, in secundo inferiori particularis negatiua, ut patet in subiecta forma.

Subalternans.

Omnis homo est iustus. Contraria *Nullus homo est iustus.*

Subalterna *Contra dicentes.* *Contra dicentes.* *Subalterna*

Quidam homo est iustus Subcontrariæ *Quidam homo non est iustus.*

Subalternata.

His constitutis cernes duas superiores esse contrarias: duas inferiores, subcontrarias; eas vero, quæ sunt in angulis oppositis per diametrum, opponi contradictorie; quæ vero sunt in angulis superioribus, esse subalternantes earum, quæ in angulis inferioribus sibi subiectis collocantur. Dicendum fuerat hoc loco aliquid de oppositione exclusiuarum propositionum, & earum, quæ exceptiuæ appellantur, sed de his satis dictum in institu. Dialectic. libro 3. capit. 13. & cæteris, quæ sequuntur, quare inde eorum explicatio petatur.

CAPVT SEXTVM

De regulis oppositionum.



Vapropter fieri quidem non potest, vt hæ simul sint vera, At fit, vt his oppositæ veræ nonnunquã sint de eodem; veluti, non omnis homo albus est; & aliquis homo albus est. Contradictiones igitur ea, quæ vniuersalium vniuersaliter sunt ita sese habent; ut altera pars earũ sit necessario uera altera falsa: Eandẽ conditionem et in singularibus esse constat, ut Socrates est albus Socrates non est albus. Ad eæ, quæ uniuersalium, uniuersaliter sunt, non ita se habent, ut semper altera pars ipsarum sit uera, altera falsa. Hæ namque simul sunt ueræ, homo albus est, homo albus non est: homo pulcher est, homo pulcher non est. Si enim turpis sit homo, pulcher non est, & si quippiam fit id profecto nondum est. At enim absurdum ilico cuippiam hoc esse uidebitur: propterea, quod hæ, homo albus non est, & nullus homo albus est, idem significare uidentur. At nec idem sane significant, nec sunt simul necessario ueræ. Patet autem & unius affirmationis; unam esse negationem. Idem enim oportet negationem negare, quod affirmauit affirmatio ipsa, & ab eodem siue singulare sit, siue uniuersale: aut uniuersaliter, aut non uniuersaliter sumptum.

Quod.

Quod si quippiam aliud ab eodem negauerit, aut idem ab alio, non erit hæc illi, sed alia sane opposita. Huic enim Socrates est albus, illa aduersatur profectò, Socrates non est albus; vt huic, Omnis homo albus est, illa, non omnis homo albus est; & item huic, aliquis homo albus est, illa, nullus homo albus est; & huic rursus homo albus est, illa, homo albus non est. Dictum est igitur, vnam affirmationem vni contradictorie opponi negationi: & quænam sint illæ; & contrarias alias esse, & quæ sint etiam illæ, & item non omnis contradictionis alteram partem veram, alteram falsam esse: & cur ita fit, & quando rursus vera est aut falsa.

CONstitutis oppositionum generibus, docet nunc quo pacto singula genera pugnent inter se, habita ratione veritatis, & falsitatis: Quod ergo attinet ad contrarias, tradit hanc regulam; Contrariæ nō possunt esse simul veræ, adde aliquando eas posse esse simul falsas: vtrumque in his propositionibus patet, omnis homo est albus, nullus homo est albus. Secundo docet subcontrarias aliquando posse esse simul veras, adde eas nunquam posse esse simul falsas. Vtrumque probat in ijs propositionibus, aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus. Pro contradictorijs tradit hanc tertiam regulam: Contradictoriæ ita se habent, vt semper altera vera sit, altera falsa, nunquam autem simul veræ aut simul falsæ, siue illæ constant subiecto communi, siue singulari, exempla sunt; omnis homo est albus; aliquis homo non est albus; Socrates est iustus; Socrates non est iustus. Vltimo loco tradit quartam regulam pro indefinitis, quas hoc loco apellat contradicentes improprie, dicitque eas, vt subcontrarias simul veras esse posse, adde non posse esse simul falsas, exemplum est, homo est albus, homo non albus.

Et si quippiam fit.) Ostendit has duas enunciationes, homo est albus, homo non est albus, posse esse simul veras, quia si aliquo homine existente albo, alius quidam fiat albus, vtraq; erit vera, affirmatiua quidem ratione eius, qui iam albus est, negatiua uero, ratione eius, qui iam, albus fit. Nam quod fit tale, nondum est tale, quod quidem intellige in rebus permanentibus, quæ fiunt per motum. Nam res successiuæ tunc sunt, quando fiunt, res vero permanentes, quæ non per motum, sed in instanti efficiuntur, similiter fiunt, & facta sunt.

At enim absurdum.) Excitat obiectionem, aduersus id, quod dixit eas esse simul veras, homo est albus, non est homo albus. Cum enim hæc posterior idem valeat, atque hæc, nullus homo est albus, quæ non potest esse simul vera, cum illa priori, efficitur, vt duæ illæ non possint esse simul veræ. Huic obiectioni occurrit, dicens, eas duas enunciationes, non est homo albus, & nullus homo est albus, non idem valere, qđ intellige, quo ad sensum, in quo ipse priorem negatiuam acceperat; nimirum, quasi dixerit, homo nō est albus. Nam si negatio intelligatur præfigi initio totius enunciationis, idem profectò vtraq; significabit. Cū enim dicimus: non est qui rempublicam defendat, non est qui faciat bonum, intelligimus exēplum propositionum nullum esse.

Patet autem.) Volunt aliqui Aristotel. hoc loco dicere, vnam affirmationem tantum habere negationem sibi oppositam, in eodem genere oppositionis, hoc est, non habere duas contrarias, sed vnam, nec duas cōtradictorias, quamuis non sit incommodum vnam affirmationem habere multas negationes, quarum vna opponatur contrarie, & altera contradictorie: Quod etsi verum sit, tamen Aristote. de solis contradictorijs loquitur, vt patet ex ipso contextu, propterea magis placet expositio D. Thomæ, & Aegyp. qui dicunt, ne quis forte existimaret, propterea, quod multa genera oppositionum tradita sint, vni affirmationi posse multas negationes simpliciter opponi, idem Aristot. hoc loco dicere, vnam affirmationem habere tantum vnam negationem simpliciter oppositam, quāuis preter illam possit habere aliam oppositam, secundum quid, quod probat, quia negatio simpliciter opposita illud iam debet negare, quod affirmatio affirmare, sed in vno tantūmodo fieri potest; Ergo una affirmatio vnam tantum habet negationem. Aduerte autē hoc loco Arist. inter contradicentes numerasse

propositiones indefinitas, quia, vt ait D. Thomas, voluit eadem subiecta pro eodem indiuiduo sumi, quo pacto sunt contradictoriæ. Quod si contra documentum illud Aristotel. obijcias, huic affirmationi, omnis homo est albus, opponi contradictorie has tres negationes, non omnis homo non est albus, homo est albus; aliquis homo non est albus: Dicendum est, has tres enunciationes idem valere, ac propterea reputari pro vna tantum negatione. Quæ autem propositiones de inesse idem valeant, dictum est de institu. Dialectic. lib. 3. cap. 3.



CAPVT SEPTIMVM

De affirmatione & negatione vna.



A autem vna est affirmatio & item vna negatio, quæ vnum de vno significat, siue, sit siue non sit vniuersaliter. Vniuersale, vt Omnis homo albus est; Non omnis homo albus est; Homo albus est; Homo albus non est: Nullus homo albus est; Quidam homo albus est; modo album vnum significet. Quod si duobus nomen vnum est positum, ex quibus vnum non constat, non est vna affirmatio, nec vna negatio, veluti, si quispiam æquo aut homini posuerit nomen, tunicam, oratio. Tunicæ est alba non erit vna affirmatio, nec etiam vna negatio. Hæc enim, homo & equus est albus, ab illa nihil differre videtur, at hæc nihil ab hisce differt, Equus est albus, & homo est albus. Quod si hæc plura significant, & sunt plures, patet & primam illam aut plura aut nihil significare, non est enim aliquis homo equus. Quare nec in his affirmationibus, negationibusve necesse est alteram veram, alteram falsam esse.

DIxerat vni affirmationi vnam tantum negationem simpliciter opponi posse; docet modo quænam affirmatio aut negatio sit vna dicitque eam esse vnam, in qua vnum aliquid affirmatur aut negatur de vno, vt: Omnis homo est albus: aliquis homo non est albus, quas docet esse vnas, si modo albi vocabulum vnum idemque declaret: Quoniam si nomen, inquit, unum imponatur ad significandas duas res, ex quibus non efficiatur una enunciatio, cuius illud nomen erit subiectum aut prædicatum non erit una. Vt si hæc uox, (tunica;) Imponatur ad significandum hominē, & equum, hæc enunciatio, tunica est alba, non erit Vna. Cum enim ex homine & equo non efficiatur res una, idem significabit illa enunciatio atque hæ duæ: Homo est albus, equus est albus. In fine docet in contradicentibus, quæ multa significant, non necessario alteram partem esse ueram, alteram falsam, quod in superiori capite dictum fuerat de indefinitis: hæ enim, omnis canis latrat, aliquis canis non latrat, ambæ sunt ueræ, si in prima accipiatur uocabulum pro cane terrestri, in secunda uero pro marino.

Vtrum vera sint Regulæ Enunciationum oppositarum?

QVAESTIO VNICA.

ADuersus regulas enunciationum oppositarum ab Aristotel. traditas sic licet

licet argumentari. Hæ enunciationes sunt contrariæ; cuiuscunque hominis altera manus ex dextera, cuiuscunque hominis altera manus non est dextera, & tamen sunt simul ueræ; igitur contrariæ possunt esse simul ueræ. Præterea hæ sunt subcontrariæ: Quidam homo est albus: quidam homo nō est albus: & tamen sunt ambæ simul falsæ, igitur subcontrariæ possunt esse simul falsæ. Minor probatur accepto subiecto pro quodam Aethiope: posterior uero, sumpto subiecto, pro quodam homine Hispano.

Tertio hæ sunt contradicentes, omnis homo uigilat; quidam homo non uigilat; & tamen sunt simul ueræ, igitur contradicentes enunciationes simul ueræ esset possunt. Minor probatur. Nam supposito, quod homines omnes, qui nunc uiuunt, hac ora uigilent, erit uera, hæc enunciatio: omnis homo uigilat, & hoc ipso tempore hæc est uera; quidam homo non uigilat. Nam Adamus non uigilat, & Adamus est homo; igitur quidam homo non uigilat. Postremo hæ sunt contradictoriæ, omnia elementa non sunt quatuor, aliqua elementa non sunt quatuor; sunt enim oppositæ, quarum altera est uniuersalis, altera particularis, altera affirmatiua, altera negatiua, & tamen sunt simul ueræ; Ergo contradictoriæ sunt simul ueræ. Probatur minor, quia uniuersalis primum uerissima est particularem uero ex eo constat esse ueram quia aqua & terra sunt aliqua elementa, nec tamen sunt quatuor.

Nihilominus, tamen dicendum, regulas oppositarum enunciationum ueras esse, & quod attinet ad contradicentes, statuendum est tanquam primum proprium, eas nec esse simul ueras, nec simul falsas, nemo enim potuit unquam concipere duas contradicentes simul ueras aut falsas. Quod uero attinet ad contrarias, constat, nec non posse esse simul ueras, posse tamen esse simul falsas. Prior pars ita ostenditur, si enim contrariæ posent esse simul ueræ, earum etiam particulares essent simul ueræ, ut patet ex dictis; sed particularis unius contrariæ, est contradictoria alterius contrariæ, igitur darentur duæ contradicentes simul ueræ. Posterior pars exemplis ostendi potest. Nam hæ sunt simul falsæ: Omnis homo est albus: nullus homo est albus.

Cæterum dicunt nonnulli, contrarias posse esse simul falsas in materia contingenti, non autem in materia necessaria, quod tamen non est usque quaque uerum: nam & in materia necessaria possunt esse simul falsæ, quando subiectum latius patet quam prædicatum, ut si dicas; Omne animal est homo; nullum animal est homo.

Quod autem attinet ad subcontrarias, facile ostenditur, eas posse esse simul ueras, non tamen simul falsas. Prior enim pars ostenditur: nam hæ sunt simul ueræ; Quidam homo est albus, quidam homo non est albus: Non putes tamen solum in materia contingenti posse subcontrarias esse simul ueras; Nam & in materia necessaria, ubi subiectum latius patet, quam prædicatum, possunt esse simul uere, ut si dicas: Quoddam animal est homo; quoddam animal non est homo. Posterior pars probatur: nam si subcontrariæ posent esse simul falsæ, earum uniuersales esent quoque simul falsæ; ex falsitate enim particularis colligitur falsitas suæ uniuersalis: sed altera illarum enunciationum uniuersalium est contradictoria alterius subcontrariæ; Ergo darentur duæ contradictoriæ simul falsæ. præterea si subcontrariæ esent simul falsæ, earum contradictoriæ esent simul ueræ; sed contradictoriæ subcontrariarum sunt inter se contrariæ, igitur darentur duæ contradictoriæ simul ueræ, cuius oppositum probatum est.

Quapropter ad primum argumentum dicendum est, eas enunciationes non posse esse uniuersales, quia signum uniuersale, cuiusque, non refertur ad totum subiectum propositionis, sed ad quandam eius partem minus præcipuam nempe ad illum casum obliquum hominis, sed esse particulares, quoniam præcipua pars subiecti, quæ est, manus, determinatur per quoddam signum particulare, nempe, altera. Alterum enim nihil aliud, quam aliquid duorum significat: sensus ergo propositionis est, altera manus cuiusque hominis est dextera; altera manus cuiusque hominis non est dextera, quæ sunt subcontrariæ & simul ueræ.

Ad secundum dicendum est propositionem particularem non posse fieri falsam, quod una singularis sit falsa, sed requirit

falsitatem omnium singularium. Si enim aliqua singularis sit uera, particularis etiã erit vera; quamuis de Aethiope falso dicatur album, tamen non erit falsum dicere, aliquem hominem esse elbum, cum id competat Hispano, aut Gallo; nec rursus, quod falsum sit Hispanum non esse album, propterea falsum erit, aliquem hominem non esse album, scilicet Aethiopem.

Ad tertiam distinguenda est maior. Si enim subiectum in vtraque propositione accipiatur præcise pro omnibus existentibus, erunt quidem contradicentes, sed tamen nec poterunt simul esse veræ, nec simul falsæ. Si vero homo in vna accipiatur pro solis existentibus: erunt quidem veræ, sed nõ contradictoriæ, quia subiecta non accipiuntur pro eodem. Est autem maxime aduertendum in omnibus contradictorijs, imo etiam in omnibus contrarijs, vt semper affirmatio & negatio ad eadem contenta sub subiecto referantur: alioquin hæ nec cõtradictoriæ erunt, nec contrariæ; atque adeo poterunt esse simul veræ.

Ad quartum distinguenda est maior. Nam signum, omnia, in illa propositione: omnia elementa sunt quatuor: potest sumi, aut distributiue, aut collectiue. Si sumetur distributiue, efficit hunc sensum: Quibuscũque conuenit, vt sint elementa, sunt quatuor quo pacto efficit enunciationem vniuersalem, & contradictoriam illius, aliqua elementa non sunt quatuor; sed hæc est vera, illa vero falsa: Si autem sumetur collectiue, efficit hunc sensum, tota collectio elementorum est quatuor elementa, quo pacto propositio non est vniuersalis; sed potius reducitur ad singulares, nec est contradictoria illius, aliqua elementa non sunt quatuor, sed potius huius; tota collectio elementorum non est quatuor, quæ tamen est falsa.

CAPVT OCTAVVM

de futuris contingentibus.

IN his igitur quæ sunt, quæque fuerunt, necesse est affirmationem aut negationem veram vel falsam esse, atque rerum quidem, quæ vniuersales vniuersaliter sunt, semper necesse est, alteram veram, alteram falsam esse, & singularium etiam, vti diximus. Nam earum quæ dictæ sunt non vniuersaliter vniuersales, non necesse est alteram verã: alteram falsam esse, atq; de his etiam antea diximus. In singularibus autem atq; futuris non similiter res sese habet, nam si omnis affirmatio vel negatio vera est aut falsa & omne necesse est esse aut non esse. Quare si quispiam quidem dixerit quippiam fore, alius autem illud idem non fore dixerit, necesse est, (vt patet) alterum ipsorum dicere verum: si quidem omnis affirmatio vel negatio vera est aut falsa: in talibus enim non simul ambæ fuerint veræ. Nam si vere quispiam dicit, hoc album aut non album esse, necesse est album aut non album esse: & si est album aut non album, verum vtique dicit affirmando aut negando: & si omnino non est, falsum dicit, & si falsum dicit, non est. Quare necesse est, affirmationem aut negationem veram vel falsam esse; nihil ergo aut est, aut fit a fortuna neque est quicquam, quod æque fieri aut non fieri possit. Nam aut is dicit verum, qui affirmauit, aut is, qui negauit; quare non quicquam omnino tali natura. Etenim si esset, æque fieret, vel non fieret; id enim quod æque fieri atque non fieri potest, non magis hoc quam

illo

illo pacto sese habet aut habebit. Praterea si est nunc aliquid album, vere quispiā prius asseruisset, si fore album dixisset. Quare semper esset verum, si diceretur quoduis ipsorū, quæ facta sunt, esse vel fore. Quod si semper esset verum, si diceretur hoc esse vel fore, fieri non potest, vt istud aut non sit, aut non oriatur. At quod fieri non potest, vt non oriatur, id impossibile est, vt non fiat, sed quod impossibile est, vt non fiat, id fieri necesse est: vniuersa ergo futura necesse est fieri; quare nihil est omnino, quod æque fieri atque non fieri potest: nec a fortuna quippiam eueniet, sed omnia necessario fiunt. Nam si fortuna quippiam euenerit, id non necessario erit. At vero neque dicere quisquam potest neutrum esse verum, veluti neque fore, neque non fore; primo namque cum affirmatio vera non est, negatio vera non erit: & cum hæc est falsa, fit vt affirmatio non sit uera. Et insuper, si vero quispiam dicit album quippiā esse simul & magnum, necesse est esse vtrunque: & si vere dicit cras fore, oportet illud cras fore, quod si neque erit cras, neque non erit, non erit id in ratione rerum, quod æque fieri atque non fieri possit, veluti naualis pugna. oportet enim neque fieri neq; non fieri pugnam naualem. Ea igitur absurda, quæ eueniant, hæc sunt, & istiusmodi cætera, si necesse est enunciationum oppositarum tam in vniuersalibus vniuersaliter, quam in singularibus, alteram veram. alteram falsam esse, nihil inquam in his esse, quæ fiunt, quod æque fieri atque non fieri possit, sed esse ac fieri necessario cuncta. Quare nec consultare opus est, nec aggredi res agendas: veluti si hoc quidem fecerimus, eueniet hoc: si vero non fecerimus, non eueniet hoc. Nihil enim prohibet in annos vsque centies centum, vnum hoc fore, alterum non fore dicere, vt necessario ipsorum eueniat alterum, quod quidem vere tunc diceretur. At vero nihil quicquam hoc refert, si quidem contradictionem ipsam dixere, vel non dixere; certum est enim, ita res ipsas sese habere, etsi non alter quicquā affirmabit, alter negabit. Non enim quia affirmatio dicta est, aut negatio, ideo res erit aut non erit: neque magis; si post annos centies centum, quam quantocunque post tempore, fore aut non fore dicatur. Quare si omni tempore contradictio sic se habebat, vt altera pars ipsius esset vera, necesse erat hoc fieri; & vnumquodque eorum, quæ fuere, sic semper sese habebat, vt necessario fieret: nam si vere quispiam dixit, hoc fore, fieri nequit, vt non oriatur ipsum atque eueniat: & si euenit atque ortum est, semper antea verum erat ipsum dicere fore: Quod si impossibilia sunt hæc, (nam futurorum principium aliquod certum existere, videre cum a consultatione, tum ab actione ipsa licet. Atque omnino hisce in rebus, in quibus interpellatur actio, fieri non fieri aliquid possibile esse, similiter cernimus, in quibus, quia vtrumlibet, & esse & non esse persæpe accidit, etiam vtrumlibet fieri non fieri posse accidat, necesse est. Ac complures ita se res habere perspicuū est. Nam vt exemplo percipiatur, vestimentum hoc possibile est scindi & non scindetur tamen, sed prius conteretur. Similiter & non scindi possibile est. Non enim esse posset prius eam conteri, si non scindi non erat possibile. Quare & in alijs item rebus, quæcunque talem subire potentiam dicuntur.) Si igitur inquam, hæc fieri nequeunt: patet non omnia necessario vel esse, vel fieri: sed quædam talia esse, vt æque fieri atque non fieri possint, quæ siue affirmes siue neges, perinde sit. Quod de genere cum sic habeant aliqua, vt magis quidem, imo plerunque alterum ipsorum eueniat, posse tamen & alterum euenire, alterum vero non euenire constat. Ac necesse est

quidem

quidem id quod est, tum cum est, esse: & id quod non est, tum cum non est, non esse; veruntamen aut omne, quod est, esse: aut omne, quod non est, non esse, necesse non est, non enim idem est, omne quod est, necessario esse, cum est, & simpliciter necessario esse: & de eo quod non est, simili modo; & in contradictione etiam ratio eadem est. Omne namque necesse est esse, aut non esse, & item fore aut non fore: aut tamen distincte alterum dicere necesse est; veluti necesse est quidem, pugnam naualem cras fore, aut non fore; non tamen fieri pugnam naualem, cras est necesse, neque rursus non fieri, at tamen fieri aut non fieri necesse est. Quare cum ita orationes sint veræ, quemadmodum sese res ipsæ habent, patet, & contradictionem ipsam, quæ circa res tas est; quæ sic se habent, vt æque fieri atque non fieri, & esse atque non esse possint, necessarie perinde sese habere, atque res tales sese habent; & eandem cum illis legem subire. Quod quidem in hisce fit, quæ aut non semper sunt, aut non semper non sunt; contradictiones enim rerum earum alteram quidem partem necesse est veram vel falsam esse, non tamen hanc vel hanc, sed vtram contigerit, atque vt altera magis vera, non tamen vera vel falsa distincte, sicuti diximus. Quare patet, non omnium affirmationum & negationum oppositarum alteram necessario veram esse, alteram falsam. Non enim vt in hisce quæ sunt, sic res se habet, & in ijs, quæ non sunt quidem, esse vero aut non esse possunt, sed ita vt dicimus.

Docuerat Arist. in contradicentibus enunciationibus, alteram partem esse veram, alteram falsam, nunc autem, quoniam quæreret aliquis, vtrum in omni contradictione altera pars sit determinate vera, altera vero determinate falsa, dirimit hanc quæstionem in hoc cap. duabus conclusionibus, quarum prior est: In enunciationibus contradicentibus de verbo præsentis temporis aut præteriti, necesse est alteram partem esse determinatam veram, & alteram determinatam falsam quod intellige in quacunque materia. Probat autem conclusionem a partium enumeratione, quoniã scilicet ita cernimus in contradictione vniuersalium & singularium, quæ sunt proprie contradicentes. Nam, vt statim subijcit, contradicentes indefinitæ ab hac lege sunt excludendæ quippe cum simul veræ esse possint, vt cap. 6. dictum est.

In singularibus autem] Posterior conclusio est: In contradictorijs singularibus temporis futuri non similiter se res habet, vt in cæteris, hoc est, non semper altera est determinate vera, altera falsa, quia quando sunt in materia contingenti, neutra est determinate vera aut falsa. Dicit [in singularibus,] non quia non cernatur idem in contradictorijs de subiecto vniuersali, par enim ratio est in illis; sed quia in singularibus res erat facilior & apertior, & præterea, quia prædicata contingentia prius solent conuenire subiectis singularibus, quam vniuersalibus. Quo loco aduerte, contradicentes in materia necessaria, aut impossibili, quamuis sint temporis futuri; tamen ita esse affectas, vt altera sit determinate vera, altera falsa, vt in his; Socrates erit animal, Socrates nõ erit animal, nec id negat hoc loco Arist. Solum enim affirmat in singularibus futuri tẽporis non similiter se rem habere, atque in propositionibus præsentis atque præteriti temporis, quia non in omnis futuri temporis, altera est determinate vera, altera falsa, quemadmodum in omnis præsentis ac præteriti.

Nam si omnis affirmatio.] Probat posteriorem conclusionem duabus rationibus, quarum prior est: Si omnis contradictionis altera pars determinate vera est, aut determinate falsa, omnia necessario euenient, sed hoc est maximum incommodum; Ergo & illud. Maiorem probat ex conuenientia inter enunciationem significantem & rem significatam: Si enim enunciatio est vera, necessario res significata ita se habet, vt ipsa significat, & si falsa est enunciatio, debet res aliter se habere, quam ipsa significat. Rursus, si res significata ita se habet, enunciatio est vera, quod si non ita se habet, falsa erit enunciatio;

ciatio; Vera igitur erat maior, quæ afferebat, si omnis contradictionis de futuro contingenti altera pars est determinate vera, altera falsa, res omnes, quæ per tales enunciationes significantur, necessario futuras esse, aut non esse futuras.

In talibus enim.] Antequam probet minorem propositæ argumentationis, docet obiter, contradicentes de futuro contingenti non posse esse simul veras, quod ostendit ex similitudine contradicentium temporis præsentis. Quemadmodum enim in illis non potest vtraque pars simul esse vera, ita nec in propositionibus de futuro contingenti.

Nihil ergo aut est.] Iam probat minorem scilicet absurdum esse dicere, omnia necessario euenire. Nam eo dato sequeretur, nihil esse, quod raro eueniret, qualia sunt ea, quæ fortuna aut casu eueniũt; nihil etiam, quod æque in vtramque partem contingeret, qđ tamen experimur esse falsum. Quo loco aduerte, tria genera rerum cõtingentium colligi ex Arist. 1. lib. Prior. c. 12. Sũt enim quędã contingentia, quæ frequentius eueniũt, seu vt plurimum, vt homines noctu dormire, interdiu vigilare: Sunt alia, quæ in vtrãque partem ex æquo inclinant, vt de ambulare, & sedere, quæ dicuntur contingentia ad vtrumlibet: Sunt denique alia contingentia, quæ raro eueniunt, vt aliquem habere sex digitos, aut inuenire thesaurum. Aristo. tamen in hoc contextu non meminit expresse eorum, quæ frequentius eueniunt, quia satis fuit meminisse cæterorum duorũ generum. Nam si non sunt ea, quæ raro eueniunt, tolluntur etiam ea, quæ eueniunt plerumque.

Præterea si est.] Posterior ratio est: Si altera pars esset determinate vera, altera falsa, data re alba in tempore præsenti vera fuisset determinate ea pars, qua quispiam antea dixisset, eam fore albam, quare fieri non posset, vt res ipsa non foret alba, & ex consequenti impossibile esset, ipsam non fore albam, & rursus necesse esset ipsam fore albam (nam impossibile non esse, & necesse esse, sunt æquali pollentes, vt secundo libro cap. 3. docebit Arist.) quod tñm de reliquis futuris contingentibus dici possit, efficitur vt res omnes necessario eueniant, quæ eueniunt, & quæ non eueniunt, necessario non eueniant, unde tollitur omnis rerum contingentia.

At vero neque dicere] probauit iam fieri non posse, vt altera pars contradictionis de futuro contingenti determinate sit vera, & altera falsa; nunc ostendit, neque dici posse neutram partem contradictionis esse ueram, ut his duabus partibus impugnatis, propriam statuat sententiam. Illud ergo primo ostendit, quia cum enunciationis, quæ ueræ non sunt, sint falsæ, (est enim omnis enunciatio uera aut falsa) si neutra pars contradictionis de futuro contingenti sit uera, utraque erit simul falsa; quare dabuntur duæ contradicentes simul falsæ, quod est absurdum.

Deinde idipsum probat hac ratione: Si neutra pars contradictionis esset vera, sed vtraque falsa, necessario aliter res futura esset, quam enunciationes significarent. Quare tolleretur omnis contingentia rerum, tolleretur etiam consultatio siue deliberatio, non esset item opus, aggredi res agendas, hoc est, aliquid facere, vnde id sequatur, quod volumus & optamus. Hoc loco aperte affirmat etiam contradicentes de subiecto vniuersali & de futuro contingenti eandem seruare rationem quo ad ueritatis indeterminationem, atque contradicentes singulares, vt in contextu satis patet.

Nihil enim prohibet) Diceret fortasse quispiam alteram partem contradictionis de futuro contingenti necessario futuram, si paruo ante tempore contradictio proferatur, quod si multo tempore ante rei euentũ proferatur, vt si quis dicat, ad decem annorum millia aliquid fore aut non fore, non necessario alteram partem determinate futuram esse. Hoc autem excludit Aristo. docens partem referre, si prope rei aduentum, aut multo antea proferatur contradictio. Nam si altera pars determinate vera est, etiamsi ab omni æternitate dicatur, euentũ habebit necessarium.

At vero neque quicquam] Diceret fortasse aliquis, partem alteram contradictionis necessario futuram esse, modo cõtradictio ante rei euentum proferatur, minime vero si non proferatur, quod quidem Arist. excludit, docens, euentum rei non pendere ex oratione cuiusque neque enim, quia oratio vera est, res ita se habet, sed uice versa.

Siquidem hac esse] Hactenus non ostenderat Arist. esse absurda ea, ad quæ deduxerat

rat eum, qui fateretur oppositum secundæ conclusionis: nunc igitur probat ea esse absurda, tum ex ijs, quæ cernimus in nobis, tū etiam ex ijs, quæ in alijs rebus videmus. Prior ratio est, ea quæ in nobis cernimus è medio tollere absurdum est, at cernimus in nobis deliberationem & actionem esse principia multorum euentuum, igitur deliberationem tollere, & actionem absurdum est. Posterior est; ea, quæ plane videmus in alijs rebus, è medio tollere est absurdum, at contingentiam ad esse scilicet & non esse perspicimus in alijs rebus, ea igitur tollere est absurdum. Minorem suadet exemplo vestis quæ & scindi potest, & non scindi. Quod. n. scindi possit, manifestū est: quod autem possit non scindi, patet, quia potest prius vsu conteri, quam scindatur: quapropter concedendam sunt contingentia in rerum natura, non modo ea, quæ habent æquabilem euentum in alterutram partem, uerum etiā ea, quæ frequentius & raro contingunt.

Ac necesse est igitur] Incipit iam hoc loco Aristo. exponere, quid in hac quæstione sentiendum sit, quo loco aduerte inter res quasdam esse simpliciter, ac sine vlla hypothesi necessarias, vt hominem esse animal, alias uero esse necessarias secundum quid, & ex hypothesi, vt lapidem sursum ascendere, si projciatur. Vult ergo Arist. hoc loco, omnia, quæ sunt, esse necessaria ex hypothesi, & quæ non sunt, non esse necessaria etiā ex hypothesi, quia si ponimus esse ea, quæ sunt, omnia sunt necessario, & si ea, quæ non sunt, ponimus non esse, necessario nō sunt. Admonet tamen id, quod est necessariū ex hypothesi, non esse dicendum necessarium simpliciter, nec ex illo hoc effici. Non enim efficiuntur omnia, quæ sunt, si ea esse ponamus. Necessario sunt; ergo absolule necessario sunt. Est enim fallacia, quæ dici solet, a secundum quid, ad simpliciter: vt si quis ita argumentetur, hæc pictura est homo pictus; ergo hæc picturæ est homo.

Et in contradictione.] Colligit hoc loco Arist. quod quidem omne, quod est, necessario est, hoc addito, quando est, & quando nō est, necessario non est, hoc addito, quando non est, cum tamen neutrum sit simpliciter necessarium, ita etiam in futuris contingentibus, quamuis non necessarium sit ea fore, si nihil aliud addatur, tamen est necessariū fore, aut non fore, verbi causa, si quis dicat, bellum nauale cras fore, aut non fore, necessarium dicet.

Quare cum ita orationes.] Ex his, quæ proxime dixit, infert conclusionem quandam, qua totius quæstionis explicationem continet, ea est hujusmodi. In contradicentibus de futuro contingenti altera pars indeterminate est vera, hoc est, hæc pars aut illa est vera, non tamen hæc determinate, aut illa determinate. Hanc conclusionem probat hoc modo, orationes sunt ueræ aut falsæ ex eo, quod res significatæ ita se habeant, aut non habeant; sed res significatæ per propositiones de futuro contingenti necessario erunt aut non erunt. non tamē necessario erunt, aut non erunt; ergo, vt modo dictum est, in propositionibus de futuro cōtingenti, aut ea erit vera, quæ dicit rem fore, aut ea, quæ dicit rem non fore, indeterminate sumendo vtramque, non tamē eam determinate, quæ dicit rem fore, neque eā determinate, quæ dicit rem nō fore. Docet deinde id, quod iam superius tetigit, quod licet neutra pars contradictionis de futuro contingenti sit determinate vera aut falsa, tamen aliquando magis altera inclinat ad veritatem, quam altera, vt omnis homo erit albus; aliquis homo non erit albus. Postremo concludit, non omnium contradicentiū alteram partem esse veram determinate scilicet, alteram uero falsam, quia quamuis id verum sit in propositionibus præsentis & præteriti temporis, tamen probatum est, propositiones de futuro contingenti non ita se habere, cum neutra determinate vera sit aut falsa.

Deturne in rebus contingentia?

QVAESTIO PRIMA.

QVoniam omnes fere rationes, quibus hoc cap. vsus est Arist. eam vim habent vt tanquam certissimum supponant, danda esse aliqua in rebus, quæ contingentes eueniant, apertu pretium erit, exquirere hoc loco, sitne incommodum ea, è medio tollere: Et quidem nihil contingenter euenire, his argumentis confirmatur.

Primo, si aliqua res esset contingens, aut esse contingens, quando existit, aut quando non existit, non quando existit, quia, vt ait

Arist. res, quando existit, necessario existit, nec etiam quando non existit, quia, vt idẽ affirmat, res, quę non existit, necessario non existit: Ergo nulla res est contingens.

Secundo, nullus effectus, habens causam necessariam, est contingens; sed quicquid est, præter Deũ, efficitur a Deo, qui est causa necessaria omnium rerum; ergo nullus effectus est contingens.

Tertio, omne, quod Deus præcognoscit euenturum necessario eueniet, sed omnia antequam fiant, præcognoscuntur a Deo euentura; ergo omnia necessario eueniunt, atque adeo nihil erit contingens. Minor patet ex illo Ecclesi. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt cognita. Maior probatur, quia si aliquid, quod Deus præcognoscit euenturum, posset non euenire, licet poneremus ij non euenturum, nullum sequeretur incommodum; etenim, ut autor est Arist. positis his, quæ fieri possunt nulla res sequitur impossibilis, at sequeretur Deum falli, quod fieri nullo modo potest; ergo quod Deus præcognoscit euenturum, non potest non euenire, ac proinde necessario eueniet: & confirmatur eadem ratio; quia si quid Deus præcognoscit euenturum, actu non eueniret, Deus actu falleretur; ergo si posset non euenire, Deus posset actu falli, quod est impossibile.

Nihilominus opposita pars quæstionis, scilicet, dandæ esse in rerum natura multa, quæ contingenter eueniant, vsque adeo certa est, vt pluribus rationibus confirmari nõ debeat; nam alioquin; nullum esset meritũ nulla culpa, nulla ratio consilij; nulla prouidentia, frustra essent omnes cohortationes frustra omnis cautio & sollicitudo, sunt igitur in rerum natura ponendæ multæ res cõtingentes, vt ratio probat, & fides catholica docet. Quare, vt primo argumento satisfaciamus, aduertendum est, res contingentes semper esse cõtingentes, quia id, quod per se tale est, semper omnino tale est: res autẽ quæ sunt contingentes, per se sunt contingentes, quare non solum cum sunt, uerum etiam cum non sunt, contingentes sunt. Vnde fit, vt in eo instanti, in quo sunt, possint non esse: & in instanti, in quo non sunt, possint esse. Quod autẽ docuit Arist. res, quando sunt, necessario esse, & quando nõ sunt, necessario nõ esse, solum est verum, si ea esse aut non esse supponamus, quæ hypothesis non tollit rerum contingentium naturã (quamuis enim res cum eam, in aliquo instanti esse ponimus, non possit in eodẽ instanti non esse, tamen si per se spectatur, potest non esse.

Quod si ita obijcias, res spectata sua natura potest non esse in eodem instanti, in quo est, v.g. Socrates non sedere, in eodem instanti, in quo sedet, ponamus igitur illum non sedere, semel igitur sedebit & non sedebit, quod contradictionem continet, dicendum est; spectata rei natura posse Socratem in eodem instanti non sedere; cæterũ hypothesi repugnare, quod Socrates in ipso instanti non sedeat.

Primum igitur argumentum negatione minoris est diluendum; nam res contingentes & cum sunt, & cum non sunt, contingẽtes sunt: licet simul ex hypothesi sint necessariæ, vt patet ex dictis.

Pro solutione secũdi dicendum est, duobus modis causam aliquam dici necessariã. Primo modo, q̃a necessario efficit, quo modo motus cęli dicitur causa necessaria defectionis lunaris, quia non potest, non illam efficere: altero modo dicitur causa necessaria, quia necessario existit, siue efficiat, siue non; Quo pacto Deus dicitur causa necessaria omnium effectuum, non quia necesse a Deo perficiantur, sed quia Deus necessario existit. Ad argumentum ergo dicendum est nullum effectum habentem causam necessariã primo esse contingentem, nisi fortecausa illa possit impediri, at vero res fieri a deo tanquam a causa necessaria, secundo modo, non autem primo; nam Deus cum libere agat, potest agere, & non agere.

Pro solutione tertij argumenti aduertendum est id, quod iam supra annotauimus, rem aliquam duobus modis necessariam dici, aut simpliciter, aut absolute, quando scilicet, spectata rei natura non potest aliter euenire, aut secundum quid, & habita ratione alicuius alterius, quia scilicet, est ex sua natura contingens sit, ac proinde posset aliter euenire, tamen positare re aliqua, non posse, v.c. Socratem moueri, simpliciter est contingens, sed si ponamus, Socratem currere, necessarium est, Socratem moueri. Quæ necessaria sunt hoc posteriori modo, dici solent necessaria necessitate consequentiæ, quia ideo sunt necessaria, quia inferentur necessario ex aliqua hypothesi; quæ uero il-

lo

lo priori, appellantur necessaria necessitate consequentis quia non solum ideo necessaria sunt, quia necessario inferũtur, sed quia per se spectata nõ possunt aliter se habere. Atque in huiusmodi necessarijs solum numerantur ea, quæ natura sua aliter euenire non possunt; in illis uero, quæ dicuntur necessaria necessitate consequentiæ ponũtur omnes tres futuræ, siue natura sua necessariæ sint, siue contingentes, quia omnes necessario inferuntur ex eo, quod Deus illas præcognoscit euẽturas. Possumus etiam aliter dicere, res futuras aut cũ Dei cognitione, aut cum suis causis posse cõparari: quæ causæ interdum sunt contingentes, vt uolũtas, quæ efficit, vt quis loquatur, aut non loquatur; interdum necessariæ, vt qui generat petrum necessario illi tribuit naturam aptam ad videndum: ac priori quidem modo res omnes futuras esse necessarias, posteriori alias contingentes alias necessarias; contingentes quidem illas, quarum causæ sunt cõtingentes, necessarias vero, quarum causæ sunt necessariæ, atque hanc necessitatem dici solere, necessitatem consequentis, illam priorem necessitates contingentiæ.

Dicendum est igitur ad argumẽtum, omne quod Deus præcognoscit euẽturum, necessario euenire necessitate consequentiæ. Nam recte sequitur, hoc pręcognoscitur a Deo euenturum; Ergo eueniet: hoc tamen non obstare, quo minus illud quidem simpliciter & absolute eueniat contingenter, si cum sua proxima causa cõparetur, & proinde possit euenire, & non euenire. Quod vero dicitur in prima partis oppositæ probatione, si potest non euenire, ponamus nũquam esse euenturum, nullo modo est admittendnm. Etenim illud, quod ait Aristot, positis his quæ fieri possunt, nullum sequi incommodum, tantum est verum, quãdo id, quod ponitur alicui rei, a nobis antea positæ, non repugnat, nos autem posuimus Deũ scire aliquid euenturum, cui ponere, illud non esse euenturnm plane pugnat.

Secunda probatio, cõsecutionis negatione facilime dissoluitur. Nã ut Deus nõ possit falli; non est necesse rẽ, quam Deus sciet futuram, simpliciter & per se spectatam nõ posse aliter euenire, etsi Dei scientia nõ esset, sed satis est, quod posita sciẽtia Dei, aliter euentura nõ sit, quare quãuis res aliter euenire possit, Deus non poterit falli.

Vtrum contradictionis de futuro contingenti; altera pars sit determinate vera, & altera falsa?

QVAESTIO SECVNDA.

ADuersus conclusionem secundam, quã Arist. asseruit in futuris cõtingẽtibus non esse alteram partem cõtradictionis veram determinate alterã falsam, sic licet obijcere: Ea pars, quæ significati id, quod Deus determinate cognoscit futurum esse determinate vera est; sed altera pars cõtradictionis determinate vera est; ergo vera pars cõtradictionis determinate altera est: aut determinate falsa. Præterea hæc enũciatio Socrates disputabit cras, significat verũ aut falsũ, vt patet ex definitione enunciationis, & non significat vtrumq; simul igitur significat alterum tantum: aut ergo significat alterum determinate scilicet verum, aut falsum determinate; quare enunciatio de futuro contingenti, determinate vera est, aut determinate falsa.

Contra rationes autem, quibus illa conclusio confirmata est, ab Arist. sic obijcitur: tota uis earum rationũ ad hanc unam redditur; si altera pars determinate esset vera, omnia necessario euenirent; sed hoc est incõmodum, quia tolleretur omnis contingentia rerum; incommodum est igitur, asserere alteram partem esse determinate veram.

Quæ quidem ratio nullius videtur esse momenti. Nam aut Aristo. intelligit, quod omnia euenirent necessario necessitate consequentię aut necessitate consequentis. Si necessitate consequentiæ, id nullum est incommodum, neque enim hinc sequitur, tolli res contingentes, aut tolli deliberationẽ & actionem nostram. Nam reuera omnia eueniunt necessario necessitate consequẽtiæ in ordine ad præscientia Dei, vt quæst. superiori diximus; vnde tamen non fit, vt nihil eueniat contingenter, aut in alijs sit nostra deliberatio & actio. Quãquam.n. Deus sciat, petrum peccaturum, & inde necessario colligatur in bona consequentia, Petrũ esse peccaturum, tamen Petrus contingenter peccabit: & quanquam sciat determinate, Socratem deambulaturum, & inde necessario colligitur in bona consequentia, Socratem

cratem deambulaturum, tamen contingenter deambulabit, quod non tantum in enunciationibus de futuro, verum de presenti & de præterito intueri licet. Quanquam.n. ex hoc instante uideo Socratem sedentem, etiam necessario colligitur in bona consequentia, ipsum sedere; tamen contingenter Socrates sedet: Quanquam etiam ex hoc instanti, determinate uero, Socrates deambulauit heri, necessario colligatur, Socrates heri deambulasse, tamen Socrates contingenter deambulauit. Quamuis igitur omnia necessario eueniunt necessitate consequentiæ, non tamen tollitur proinde rerum contingentia. Si vero intelligat Arist. quod omnia eueniunt necessario necessitate consequentis, id non videtur sufficienter ostendere, immo hac ratione videtur oppositum confirmare. Nam si enunciationes de futuro contingenti essent determinate veræ, res non essent magis necessariæ quam sunt modo in ordine ad præscientiam Dei, qua determinate præcognoscuntur euenturę, sed in ordine ad præscientiam Dei solum sunt necessariæ, necessitate consequētiæ, & non consequentis; ergo si enunciationes de futuro contingenti essent determinate ueræ, res solum essent necessariæ necessitate consequentiæ, & non necessitate consequentis.

Propter has res Gregorius Ariminensis in 1.dist.38.q.2.art. 1. Arist. sententiam usque adeo falsam esse putat, vt eū & in conclusione & in ratione dicat turpiter errasse, existimatque contradictionis cuiusque de futuro contingenti, alteram partem determinate esse falsam, alteram determinate ueram, quam sententiam probat priori argumento a nobis adducte, sed quoniam Aristo. sentētia vera est, & satis in contextu confirmata, dissoluenda sunt argumenta, quæ attulimus. Quod vt facilius fieri possit, aduerte, propositiones duobus modis dici determinate ueras, aut determinate falsas, altero quia eorum significata iam sunt extra suas causas, eo modo, quo esse possunt cuiusmodi sunt significata propositionum præsentis & præteriti temporis. Cum enim dicis, Socrates loquitur, aut est locutus, significas locutionem Socratis a uoluntate, tanquā ab ea, aut proficisci, aut esse profectam: altero, quia eorum significata nondum sunt extra suas causas, tamen eas causas habent, vt ab his aut necessario sint producendæ, vt significata propositionum necessariarū, aut nullo modo possunt produci, vt significata propositionum, quæ uocantur impossibiles; at uero propositiones, quæ significant res futuras, quæ a suis causis produci possunt, non esse determinate ueras, nec determinate falsas, sed quemadmodum significata, & esse possunt, & non esse, sic etiam ipsas & ueras & falsas esse posse.

Aduertendum est secundo respectu Dei Op. Max. nullius propositionis significatum esse futurum, cum illi, non solum, quæ a nobis sunt præterita & futura, præsentia sint, quo fit, vt quæcunq; aliquando extra suas causas futura sunt, ea semper sibi præsentia extra suas causas intueatur. Cum enim sit æternus, suaque æternitate omne tempus comprehendat, necesse est, non solum, quæ sunt in tempore præsenti, sed etiam, quæ apud nos præterierunt, & quæ consequētur suo intuitu, tanquā sibi reipsa pręsentia cōplectatur. Hinc fit vt respectu Dei Op. Max. omnes omnino enunciationes in quacunq; materia sint, & cuiuscunque temporis determinate veræ sint, aut determinate falsæ: quia oīa omnino sibi præsentia extra suas causas, atque in sua naturali existentia intuetur, at vero comparatione causarum propositiones ex præterito tempore, aut præsenti sunt determinate verę, aut determinate falsa, quia earū significata extra suas causas existentia sunt, propositiones item ex futuro necessariæ aut impossibiles, quæ quamuis nondum sint extra suas causas, habēt eas determinatas, at uero propositiones ex futuro contingenti, quia ea significant, quæ cū nondum effecta sint, effici possunt & non effici, nec sunt determinate uerę, nec sunt determinate falsæ, sed vt verę esse possunt, sic etiam falsę. Quod ipsum non solum uerum est in propositionibus de futuro contingenti, uerum etiam eadem ratione in ijs propositionibus quę quamuis constāt, uerbo pręsentis temporis, pendet tamen earum veritas ab aliquo de futuro contingenti, ut in hac, v. g. Petrus est cursurus, qui quamuis habet præsentis temporis uerbum, tamen idem ualet, quod hæc ex futuro. Petrus cras curret & al a huiusmodi.

Ad obiectionem igitur concedēda est maior, si intelligatur in ordine ad causas contingentes rei significatę per alteram contradictionis partem. Quęcunque enim res signifi-


significata per alteram contradictionis partem est de futuro, quę habet causas contingentes, non est altera pars contradictionis determinate uera, vt paulo inferius docebimus.

Ad secundum dicendum est, illam enunciationem significare veram aut falsum, at non significare vtrumque simul, sed alterũ tantum, non quidem determinate hoc, aut determinate illud, sed indeterminate hoc aut illud, quemadmodum concedimus non esse utrumque oculum necessarium ad uidendum, sed alterum tantum, non quidem alterum determinate nempe dextrum determinate aut finistrum determinate, sed indeterminate alterum, dextrum scilicet, aut sinistrum.

Ad tertium dicendum est Arist. intellexisse, quod omnia euenirent necessario, non solum necessitate consequentię, sed etiam consequentis. Ratio uero est, quoniam nulla enunciatio de futuro, est determinate uera apud nos, nisi ea, quę significat rem habentem causas necessarias; id autem quod habet causas necessarias, non solum est necessarium necessitate consequentię, sed & necessitate consequentis. Quare si enunciatio de futuro contingenti, esse determinate uera, certe id, quod per eam significatur necessario eueniret, necessitate consequentiæ & consequentis. Ad rationem uero, quę oppositum uidetur confirmare, neganda est maior. Nam ut enunciatio de futuro sit determinate uera, opus est, vt sit infallibiliter uera, si enim non est infallibiliter vera, non est determinate uera, sed indifferens, ut sit etiam falsa. Infallibilitas autem ueritatis enunciationis de futuro pendet ex necessitate effectus in se spectati, & non è contra, atque hac de causa dixit Aristo. in contextu, [quod si enunciationes de futuro contingẽti esset determinate veræ, res euenirent necessario, istæ enunciationes nunquam proferentur: Res enim non propterea essent futurę, eo quod enunciationes essent determinatę verę, quia res essent necessario euenturę. Quoniam igitur infallibilitas enunciationis de futuro pendet, ex necessitate effectus futuri in se spectati, propterea efficitur, vt si enunciationes de futuro contingenti essent determinate uerę, omnia euenirent necessario, non solum necessitate cõsequentię, sed consequentis: nam id quod in spectandum est necessario eueturũ est necessarium necessitate consequentis. Quãdo uero infallibilitas scientię diuinæ non pendet ex infallibilitate & necessitate effectus futuri in se spectati, sed potius effectus futurus infallibiliter eueniet, quia a Deo est præcognitus futurus, efficitur propterea vt quanquam res futuræ præcognitæ sint a Deo, solum eueniant necessario necessitate consequentiæ.

Finis Primi Libri de Interpretatione.

COMMENTARII IN SECVNDVM LIB. DE INTERPRETATIONE.



EGit Arist. superiori libro de Enunciatione simplici & de patribus illi subiectis, item que de oppositione propositionum, hoc vero lib. quasdam alias enunciationis diuisiones aggreditur, vt tota de enunciatione simplici tractatio absoluatur. Admonendum est igitur inter enunciationes simplices quasdam appellari, de esse scilicet, absolutas, vt homo altus; quasdam modales, vt contingens est hominem esse album, quod Arist. docet cap. 2. 1. lib. priorum. Rursus enunciationum de inesse, duplicem esse diuisionem ultra alias, quę afferri possunt quarum prior est, in enunciationes finitas, cuiusmodi sunt, homo est iustus, homo sedet; & enunciationes infinitas, cuiusmodi sunt, non homo est iustus, homo est non iustus. Posterior autem fit in enunciationes de extremo coniuncto, qualis est; Socrates est homo iustus, & enunciationes de extremo diuiso, cuiusmodi sunt hæ: [Socrates est iustus: Socrates est homo.] Arist. ergo in prioribus duobus capitibus agit de enunciatione de inesse iuxta duplicem earum diuisionem; in tertio de modalibus; in quarto autem obiter soluit quandam dubitationem, quæ potest ex dictis excitari.

CAPVT PRIMVM

De enunciationibus infinitis atque ipsarum oppositionibus.



QVoniam autem affirmatio enuntiatio est, quippiam da quopiam significans: hoc autem aut nomen est, aut id quod nomine caret: vnū uero id esse, atque de vno dici, quod est in affirmatione oportet: dictumque est antea, quidnā sit ipsum nomen, & quid etiam id, quod nomine caret: (ipsum enim non homo, non nomen, sed infinitum nomen appello: infinitum enim nomen vnum quodammodo significare videtur: quemadmodum & Non valet, non verbum, sed infinitum nuncupo verbum:) omnis certe affirmatio & negatio, aut ex nomine & verbo, aut ex infinito nomine verboque constabit. Absque verbo namque nulla est affirmatio sane, neque vlla negatio. Est enim, vel Erat, vel Fit, vel Erit, & quæcunque alia sunt huiusmodi verba, ex numero sunt eorum, quæ posita sunt: significat enim insuper tempus. Quare prima est affirmatio atque negatio, Homo est, Homo non est: Omnis non homo est, Non homo non est: rursus Omnis homo est, Non omnis homo est: Omnis non homo est, Non omnis non homo est. Eadem est ratio & de tempore exacto atque futuro. Cum autem ipsum Est tertium insuper prædicatur hoc pacto, Homo iustus est (vbi ipsum Est tertium dico, quoties nomen aut verbum compositum in affirmatione est) dupliciter iam ipsæ oppositiones dicuntur, quare quatuor ob ipsum erunt hæ, quarum duæ quidem sic se ad affirmationem negationemve, vt ipsæ priuationes

iuxta analogiam habebunt: duæ vero non. Nam ipsum est, aut iusto addetur, aut non iusto, quare & negatio similiter eisdem addetur, quatuor igitur erunt. Intelligamus autem id, quod dicimus, ex hisce quæ hic scribūtur. Homo iustus est, huius negatio est: Homo non iustus est: Homo iustus non est, huius negatio est. Homo non iustus non est, hic.n. ipsum est, & item non est, iusto & non iusto adiungitur. Hæc igitur sic ordine posita sunt, vt in resolutiuis est dictum. Simili modo habebit oppositio & si nominis vniuersaliter sit affirmatio; veluti, omnis homo iustus est, huius negatio est, non omnis homo iustus est: omnis homo non iustus est, huius etiam negatio, nō omnis homo non iustus est. Attamen nō fit, vt similiter ea, quæ per diametrum collocantur, simul sint veræ, sed fit nonnūquam. Hæ igitur duæ sunt oppositæ sibi: aliæ vero duæ ad non homo, tanquam subiectum quoddam additum, oppositæ sunt inuicē, vt non homo iustus est, non homo non iustus non est: non homo non iustus est, non homo non iustus non est, atque plures his oppositiones non erunt. Hæ vero seorsum ab illis, ipsæ per seipsas erunt: cum hoc infinito, non homo tanquam nomine vtantur, vt patet. In quibus autem verbum est non accommodatur, vt cum dicimus valet, ambulat & istiusmodi cæteræ: in ijs perinde valet, ac si adiunctum esset, vt valet omnis homo, non ualet omnis homo: valet omnis non homo, non valet omnis nō homo, non .n. non omnis homo dicendum est, sed negationis nota non, huic termino homo addenda est. Omnis enim non significat ipsum vniuersale, sed vniuersalis prædicationis est nota, quod quidem ex hisce patet: homo valet, homo non valet, non homo valet, nō homo non valet, hæc enim ab illis ex eo differunt, quia non dicunt vniuersaliter. Quare omnis, vel nullus nil aliud significare videtur, quam affirmationem aut negationem vniuersaliter dici. Cæteræ igitur eodem pacto sunt addenda. Cum autem huic affirmationi, omne animal iustum est, ea negatio sit contraria, quę significatur nullum animal esse iustum, has quidem nunquam simul esse veras oppositas autem his veras simul nonnunquam esse patet: vt, non omne animal est iustum, & est aliquod animal iustum; at hæc, nullus est homo iustus sequitur hanc: Omnis homo non iustus est; hanc autem: non omnis homo non iustus est, ea quæ illi opposita est sequitur: aliquis homo iustus est: necesse est enim aliquem esse. Patet etiam in singularibus, si qui interrogatus est, vere negat affirmare etiam vere posse; veluti, estne Socrates sapiens? non. Socrates ergo nō sapiens est. In vniuersalibus aut non est ea vera, quæ similiter dicitur, sed est negatio vera; veluti: estne omnis homo sapiens? non, ergo omnis homo non sapiens est; hoc enim est falsum: sed illud est verum: ergo non omnis homo sapiens est, atque hæc quidem est ea, quæ opponitur, illa vero est ea, quæ est contraria. Voces autem eæ, quæ infinita sunt nomina verbaque sunt oppositæ vocibus hisce quę sunt nomina atque verba, vt non homo, non iustus, non valet; sine nomine verboque positæ negationes videbuntur esse: at non sunt; semper enim negationem esse veram vel falsam necesse est. At vero qui non homo dixit non magis quam is qui homo, sed minus potius verum falsumve, nisi quippiam ipsi addiderit dixit. Hæc autem, est omnis non homo iustus, nihil idem vlli illarum significat: nec item ea, quæ est ipsi opposita: non est inquam, omnis non homo iustus, hæc vero: omnis non homo non iustus est idem huic significat, nullus non homo iustus est. At enim nomina & verba transposita idem significant: veluti albus homo est, homo albus est, nam si ita non sit, eius-

dem

dem affirmationis negationes plures erunt. At vnam oppositam esse vni demostratum est huius enim, albus homo est, negatio est: albus homo non est; huius autem, homo albus est, siquidem non est eadem cum ista, albus homo est, aut hęc erit negatio, non homo albus non est; aut ista, homo albus non est, at altera quidem negatio huius est, non homo albus est, altera vero negatio huius albus homo est. Quare affirmationis vnus duæ negationes erunt. Patet igitur eandem affirmationem fieri, negationem ve, si nominis positus tantum verbique mutetur.

INitio huius cap. hanc propositionem permittit Arist. [Omnis affirmatio & negatio constat ex nomine & verbo, aut ex infinito nomine, & verbo] (intellige infinito :) Qua conclusione continetur diuisio propositionum, in propositiones finitas & infinitas, Enunciatio enim, quæ constiterit ex nomine & verbo finito erit finita, quæ vero ex nomine infinito aut uerbo infinito erit infinita, conclusionem uero probat Aristo. hac ratione. Omnis affirmatio, (idem intellige de negatione) est oratio aliquid de aliquo enuncians, seu ut ille dicit, quippiam de quopiam significans; illud autem, de quo aliquid enunciatur est nomē, finitum scilicet, aut id quod nomine caret, idest, nomen infinitum, & præterea omnis enunciatio constare debet ex verbo finito aut infinito, vt aut ipsum enuncietur, aut aliud ipsius ope enunciari possit, ergo omnis enunciatio constat nomine finito aut infinito, verbo item finito aut infinito. Docet obiter & ueluti per parenthesin, quomodo intelligenda sint uerba illa, [quippiam piam de quopiam.] ait ea sic esse accipienda quasi dictum sit [unum de uno.] Deinde uero declarat nomen finitum & infinitum eodem modo, quo superius explicata sunt. Sed quia aliquis obijceret, nomen infinitum non signare unum, cum dicitur de his quæ sunt, & de his quæ non sunt, respondet Aristo. nomen infinitum unum quodam modo signare, scilicet negatione alicuius naturę concrete sumptæ, connotando tamen tam ea, quæ sunt, quam ea, quæ non sunt, quæ in illa negatione accidentaliter conueniunt, ac propterea uniuoca censeri debeant. Vniuocatio enim penes pręcipuum signatum attendi debet, nō autem penes connotata.

Hoc loco admonendum est propositionem illam Aristo. [Omnis enunciatio constat nomine finito aut infinito,] intelligendum esse, aut aliquid quod subeat uicem nominis finiti aut infiniti, quale est participium aut uerbum infinitiui modi, quæ aliquando ponuntur pro integris subiectis in enunciatione, vt cum dicimus, currens mouetur, currere est moueri. Quod si obijcias, hæc enunciatio, [pœnitet me,] non constat nomine, nec aliquo quo subeat locum nominis; Ergo falsa est propositio Aristo. Dicendum est solum locutum fuisse de enunciationibus, quibus frequentius vti solemus in disciplinis, quales non sunt enunciationes, quæ constant verbis impersonalibus; aut dicendum est, propositionem Aristo. sic intelligendam esse; omnis enunciatio constat nomine, formaliter scilicet aut uirtualiter; illa autem propositio licet formaliter non constat nomine, virtute tamen constat, quatenus scilicet resoluitur in hanc: [Pœnitentia est in me.]

Est enim uel erat] Declarat hoc loco Aristo. se in proposita conclusione alius aliquanto nomen uerbi accepisse, quam superius in cap. de uerbo. Vult enim eo nomine & casus verbi comprehendi, eos scilicet, qui de alio prædicari possunt, suntque notæ eorum, quæ de alio dicuntur, cuiusmodi sunt casus indicatiui modi, ex quo etiam colliges, mirum non esse, si uerbum infinitum dicamus hoc loco comprehendi; cum illud etiam sit nota eorum, quæ de alio dicuntur, vt cap. de uerbo dictum est.

Quare prima est] Vbi diuisionem enunciationum absolutarum in enunciationes finitas & infinitas insinuauit, incipit tradere oppositionem earum inter se. Progreditur autem a simplicioribus ad magis composita; hoc enim loco agit de enunciationibus, de uerbo EST secundo adiacente: deinde de ijs, quæ constant uerbo EST tertio adiacente; Postremo de

enunciationibus uerbo adiecto. Propositio de verbo est, Deus est, homo est; dicitur autem uerbum E S T secundo adiacere, quia secundo loco sumitur ad faciendam prædicationem. Propositio de uerbo E S T tertio adiacente est ea, in qua ponitur subiectum & post verbum est ponitur aliquod aliud prædicatum: ut homo est iustus, Dicitur autem verbum E S T tertio adiacente: quia post subiectum & prædicatum tertio loco sumitur ad faciendam prædicationem.

Primo enim sumitur subiectum, deinde uero prædicatum, quod coniungendum est cum subiecto; tertio autem loco sumitur uerbum E S T, vt coniungat prædicatum cum subiecto: obtinet tamen uerbum E S T, quo ad officium uniendi medium locum: quamuis quo ad situm in primo aut postremo aliquando ponatur, ut cum dicimus, est homo albus: homo est albus.

Docet igitur Aristo. in enunciationibus de uerbo E S T secundo adiacente duplicem reperiri oppositionem, alteram, cum uterque terminus est finitus in utraque enunciatione, ut homo est: homo non est; alteram cum subiectum utriusque enunciationis est infinitum, ut non homo est, non homo non est. Subiungit deinde, huiusmodi oppositionem posse fieri non solum inter propositiones indefinitas sed etiam inter enunciationes, quarum altera vniuersalis, altera particularis, itemque non solum inter enunciationes præsentis temporis, verum etiam præteriti & futuri.

Cum, autem ipsum est] Docet secundo loco, quot oppositiones reperiantur in enunciationibus de uerbo E S T tertio adiacente, asseritque in primis duas esse oppositiones, sumpto semper finito subiecto: variato autem prædicato penes finitum aut infinitum; Altera igitur erit finitarum enunciationum; vt homo est iustus, homo non est iustus: altera infinitarum de prædicato infinito, vt homo non est iustus, homo non est non iustus. Vnde patet in his duabus oppositionibus quatuor esse enunciationes sumpto semper subiecto finito vt infra docebit, quippe cum una quæque oppositio duabus constet enunciationibus.

Homo est iustus. — Fi ni tæ — *Homo non est iustus.*

non possunt. — *esse simul naturæ.*

Homo est iniustus. — Pri ua ti uæ — *Homo non est iniustus.*

non possunt. — *esse simul naturæ*

Homo non est non iustus. — In fi ni tæ — *Homo est non iustus.*

Quo-

Quorum duo quidem] Docet nunc Aristotel, quo pacto duæ illæ finitæ enunciationes ad duas ita sint affectæ, quo ad rationem conuenientiæ. Aduerte tamen prius quasdam esse enunciationes quæ vocantur priuatiuæ, vt homo est iniustus, homo non est iniustus, sumendo iniustum, vt significet priuationem iustitiæ, quæ propterea dicuntur priuatiuæ, quod constent prædicato priuatio. Ait ergo duas illarum quatuor enunciationum infinitas scilicet eodem modo se habere, quoad conuenientiam ad alias duas, nempe ad finitas (quas intelligit per affirmationem & negationem) quemadmodum priuatiuæ se habent ad ipsas finitas; Nam quemadmodum affirmatiua priuatiua infert negatiuã finitam; non autem affirmatiuam (vt recte sequitur homo est iniustus; ergo homo non est iustus; non autem sequitur homo est iniustus; igitur homo est iustus) sic etiam affirmatiua infinita infert negatiuam finitam & non affirmatiuam (vt bene sequitur, homo est non iustus; ergo homo non est iustus; non autem homo est non iustus; ergo homo est iustus) & vt negatiua priuatiua infertur ab affirmatiua finita, & non a negatiua (vt homo est iustus: ergo non est iniustus, non autem homo non est iustus; ergo homo non est iniustus) sic etiam negatiua infinita, infertur ab affirmatiua finita & non a negatiua (vt recte sequitur, homo est iustus; ergo homo non est non iustus; non autem homo non est iustus; ergo homo non est non iustus) quæ omnia facile intelliges ex figura supra posita.

Quo uero non] Nunc uice uersa, conferens finitas cum infinitis, docet eas non eodem modo affectas esse ad infinitas, quo priuatiuæ ad infinitas affectæ esse solent. Nam ex priuatiua affirmatiua concluditur affirmatiua infinita, non autem negatiua vt homo est iniustus; Ergo homo est non iustus; non autem sequitur, ergo homo non est non iustus. At ex affirmatiua finita non efficitur affirmatiua infinita sed negatiua, quia non sequitur, homo est iustus; ergo homo est iniustus, sequitur autem bene homo est iustus, ergo homo non est iniustus. Rursus priuatiua negatiua concluditur ex infinita negatiua, non autem ex affirmatiua, quia recte sequitur, homo non est non iustus; ergo homo non est iniustus. At negatiua finita non efficitur ex infinita negatiua; sed ex affirmatiua, quia non sequitur homo non est non iustus; ergo homo non est iustus; sequitur autem bene, homo est non iustus, ergo homo non est iustus, ut patet ex subscripta figura.

Homo est iustus	Finitæ	Homo non est iustus.
ex hac infer		tur hæc
Homo est non iustus	Infinitæ	Homo non est non iustus.
ex hac infer		tur hæc
Homo est iniustus	Priuatiuæ	Homo non est iniustus.

Nam ipsum est] Iam probat etiam fieri quatuor enunciationes de verbo Est tertio adiacente variato duntaxat prædicato, penes finitum & infinitum, quia verbum Est affirmatum potest addi prædicato finito & prædicato infinito, vt iusto & non iusto, & fiunt duæ propositiones affirmatiuæ, altera finita, altera infinita, vt homo est iustus, homo est non iustus; item verbum Est negatum, potest etiam addi prædicato finito & infinito, & ita fiun t duæ propositiones negatiuæ, altera finita, & altera infinita, vt homo non est iustus, homo non est non iustus. Docet præterea eas esse ita describendas, vt in fine libro 1. prior. dictum est, ita scilicet vt sub affirmatiua finita ponatur negatiua infinita, & sub negatiua finita, affirmatiua infinita. Ponuntur autem priori loco finitæ, quoniam simpliciores sunt: & propterea dignatione quadam appellantur simplicis. Non ponitur autem affirmatiua infinita, sub affirmatiua finita, sed contra: propter faciliorem consecutionis intelligentiam, & propterea infinitæ solent appellari transpositæ. Hunc Aristotelis ordinem vides propositum in priori tabella suprapositã, in posteriori autem diuersum, quia ita explicatius patebat, quæ propositiones non inferrent alias, id enim erat in ea tabella ostendendum, quemadmodum ex priori docendum quæ sequerentur ex alijs. Ex hac comparatione finitarum infinitarumque propositionum colliges in huiusmodi propositionibus, quando earum subiecta indefinite accipiuntur semper illum modum esse firmum, quo ab affirmatiua finitia, ad negatiuam infinitam concludendam progredimur, & ab affirmatiua infinita ad negatiuam finitam. Vtrum autem is etiam sit firmus, quo vel ex negatiua infinita, finita affirmatiua, vel ex negatiua finita affirmatiua infinita concludatur, non docuit hoc loco Arist. sed ad finem cap. explicabitur.

Simili modo sese] Docet simili modo posse fieri enunciationes oppositas, quarum altera sit de subiecto vniuersali, vniuersaliter accepto, & altera de subiecto particulariter sumpto, inter quas eadem consecutionis lex seruatur, quæ in superioribus indefinitis, modo affirmatiuæ sint vniuersales & negatiuæ particulares; vt recte; omnis homo est iustus; ergo aliquis homo non est iustus. Rursus bene sequitur; omnis homo est non iustus, ergo aliquis homo non est iustus, quæ quidem patent in figura subscripta.

Menito autem] Dixit Aristot. modo affirmatiuæ sunt vniuersales & particulares negatiuæ; nam si sumantur negatiuæ vniuersales, & affirmatiuæ particulares, non valebit consecutio, vt non valet; quidam homo est iustus; Ergo nullus homo est non iustus: nec item, quidam homo est iustus; Ergo nullus homo est iustus.

Attamen non fit] Fecerat Aristo. duas descriptiones, alteram indefinitarum enunciationum, alteram earum, quæ constant subiecto vniuersaliter accepto: comparat modo vtramque descriptionem, docens eas, quæ per diametrum collocantur in descriptione, posse esse simul veras, non tamen similiter: nam in priori tabella, omnes possunt esse simul veræ vt patet: At in posteriori solæ particulares, vt non omnis homo est iustus: non omnis homo est non iustus: vniuersales vero non possunt esse simul veræ, vt: omnis homo est iustus, omnis homo est iustus, quod Aristo. paulo inferius probabit.

Hæ igitur duæ sunt] Docet se hactenus fecisse duas oppositiones in enunciationibus, de verbo Est tertio adiacente, manente semper subiecto finito, variato autem prædicato, penes finitum & infinitum docet modo posse fieri duas alias oppositiones enunciationum de verbo EST tertio adiacente, sumpto semper subiecto infinito, variatio prædicato penes finitum & infinitum, aut subiectum finitum & predicatum infinitum, hoc pacto: non homo est iustus, non homo non est iustus: non homo est non iustus, in quibus eadem consecutio seruatur, quæ in superioribus.

Concludit a. Aristo. quatuor tantum esse oppositiones enunciationum de verbo Est tertio adiacente, habita ratione finiti & infiniti, quod ita ostendi potest; aut enunciationes oppositæ habent vtrumque extremum finitum; aut vtrumque infinitum; aut subiectum finitum, & prædicatum infinitum, aut subiectum infinitum & prædicatum finitum; cum igitur alio modo variari non possit penes finitum & infinitum, fit, vt quatuor tantum sint huiusmodi oppositiones.

Hæ vero seorsim] Confert duas oppositiones posteriores cum duabus prioribus, docetque inter has & illas nullum esse consecutionis legem; Hoc enim signant uerba illa, [hæ vero seorsim ab illis; ipsæ per se ipsas erunt:] Huius rei causam esse ait, quoniam in ijs posterioribus semper ponitur pro subiecto nomen infinitum. in illis a prioribus nomen finitum.

Quibus autem non] Iam tertio loco accedit ad tradendas oppositiones enunciationum de verbis adiectiuis, habita ratione finiti & infiniti, addit ergo duas, vt etiam tradiderat in enunciationibus de verbo Est secundo adiacente; altera est vtroque extremo existente finito, vt: omnis homo valet; non omnis homo valet. Altera est, subiecto existente infinito prædicato a. finito, vt: omnis non homo valet; non omnis non homo valet. Non fecit a Aristo. plures oppositiones in huiusmodi enunciationibus, nimirum uariato prædicato penes finitum & infinitum: quemadmodum nec in enunciationibus de verbo EST secundo adiacente: quoniam in ijs omnibus fere nunquam cognoscitur esse verbum infinitum aut negatum: aut quoniam enunciationes de verbo infinito non sunt ualde vsurpatæ.

Non enim dicendum] Docet obiter ad faciendam enunciationem vniuersalem de subiecto infinito non esse particulam addendam NON, signo vniuersali sed subiecto quod ponitur signum; Vt non est dicendum; non omnis homo ualet, sed omnis non homo valet quod probatur in litera.

Cum aut huic] Absoluit Aristot. quod præcipuum erat in hoc c. nunc autem ad perfectionem eorum quæ dicta sunt nonnulla addit. Probat igitur in primis id, quod superius sub obscure dixit, quasdam enunciationes per diametrum descriptas in tabella uniuersalium, posse esse simul ueras, quasdam minime. Huius rei causa repetit leges contrariarum & sub contrariarum enunciationum positas initio ca. 6. superioris lib. cum sic argumentatur: Si hæ enunciationes: omnis homo est iustus: omnis homo est non iustus, quæ per diametrum sunt collocatæ, possent esse simul ueræ: cum posterior inferat hanc, nullus homo est iustus: quæ est contraria prioris: darentur duæ contrariæ simul veræ. Quod cum incommodum sit, dicendum est, illas duas non posse esse simul veras, quę per diametrum erant collocatæ. Deinde, sic argumentatur: hæ sunt simul verę: aliquis homo est iustus: non omnis homo est iustus: sunt enim subcontrariç atque in materia contingenti, sed ex illa priori infertur hæc; non omnis homo est non iustus; ergo hęc, non omnis homo est iustus, quæ per diametrum collocantur possunt esse simul uerę. Vnde patet in descriptione enunciationum uniuersalium de verbo Est tertio adiacente, quasdam posse esse simul veras, quasdam vero non.

Patet etiam hinc] Docet quomodo ex negatiua de prędicato finito, liceat colligere affirmatiuā de prędicato infinito, dicēs: In enunciationibus singularibus ex negatiua finita inferri posse affirmatiuam infinitam. Nam si quis rogauerit, estne Socrates sapiens? aliquisque responderit; non, hoc est, Socrates non est sapiens; inde licet colligere affirmatiuam de prędicato infinito, nempe; ergo Socrates est non sapiens. At uero si quis rogauerit enunciationem uniuersalem, ut estne omnis homo sapiens, aliusque responderit; non, haud licebit inferri ex data negatione uniuersalem affirmatiuam de prędicato infinito, utpote; Ergo omnis homo est non sapiens. Nam cum hęc inferat contrariam illius, quę interrogabatur, nempe hanc, nullus homo est sapiens: non efficitur vt statim sit uera, si illa, quę interrogabatur est falsa; quandoquidem contrariæ, possent esse simul falsæ; Licebit igitur inferri negatiuam contradicentem de prædicato finito, nempe, igitur non omnis homo est sapiens. Hæc enim necessario uera erit; si illa quæ interrogabatur est falsa. Hic locus fauet ijs qui dicunt ualere consequentiam a negatiua de prædicato finito, ad affirmatiuam de prædicato infinito, de quo ad finem c. dicemus.

Horum autem quæ infinita] Viderentur alicui nomina infinita & uerba infinita esse negationes, id est, negatiuę enunciationes, cum constent particula negante. Idcirco probat Arist. non esse enunciationes negatiuas: quoniam non significant uerum aut falsum.

Hęc autem est omnis] Docuerat superius,

rius, enunciationes de verbo Est tertio adiacente, de subiecto infinito, nullum habere habitudinem consecutionis cum enunciationibus de subiecto finito; insinuaueratque enunciationes de subiecto infinito eadem consecutionis legem seruare inter se, quam seruant enunciationes de subiecto finito nunc autem planius vtrumque docet, dicens: hæc enunciationes; omnis non homo est iustus, non omnis non homo est iustus & cæteras de subiecto infinito, nullam habere consecutionis legem cum alijs de subiecto finito, idque propter subiectorum diuersitatem. At uero has; omnis non homo est non iustus, nullus non homo est non iustus: quoniam idem subiectum habent: eandem consecutionis legem inter se habere, quam seruant enunciationes de subiecto finito. nam ab illa affirmatiua de prædicato infinito infertur negatiua de prædicato finito; quod quidem patet in figura subscripta.

Omnis homo est iustus.	fi ni tæ	*Aliquis homo non est iustus. Nullus homo est iustus.*
aliquis homo non est iustus Nullus homo est iniustus.	priuatiuæ	*Omnis homo est iustus.*
Aliquis homo non est non iustus. Nullus homo est non iustus.	in fi ni tæ	*Omnis homo iustus.*
Omnis non homo est iustus.	fi ni tæ	*aliquis non homo, non est iustus.*
Aliquis non homo, non est iustus.	priuatiuæ	*Omnis non homo est iniustus.*
Aliquis non homo non est non iustus.	infi ni tæ	*Omnis non homo non est iustus.*

At

At enim nomina) Quoniam in hoc capit. sæpe posuit Aristotel. subiectum ante prædicatum, sæpe prædicatum ante subiectum: quod quidem dubitationem alicui afferre posset; idcirco docet hoc loco, nomina & uerba, id est. subiecta & prædicata, ut Ammon. exponit, ratione solius transpositionis seruata scilicet eadem intelligentia subiecti, prædicati & copulæ idem significare, id est, eundem sensum efficere, quod quidem hac ratione ostenditur. Si hæ enunciationes, Petrus albus est; albus Petrus est, non essent eadem enunciatio: nec efficerent eundem sensum: sequerètur uni affirmationi plures esse negationes oppositas, consequens autem est falsum, ut probatum est capit. 6. superioris libri. Ergo & illud ex quo sequitur. Probat sequelam: quia huius affirmationis, aabus Petrus est: negatio est hæc, albus Petrus non est. Negatio uero huius, Petrus albus est, si non sit eadem cum priori, aut erit hæc, non Petrus albus non est: aut hęc Petrus albus non est. Sed non est prima, ut patet, quia habet subiectum infinitum; ergo in secunda: sed secunda est contradictoria illius, albus Petrus est, repugnat enim in ueritate & falsitate; Ergo si nomina, & uerba transposita non significant idem, huius affirmationis, albus Petrus est; darentur duæ negationes scilicet hæ: albus Petrus non est, & Petrus albus non est, quod est incommodum. Aduerte tamen in hac probatione perspicuitatis causa acceptum fuisse subiectum singulare: cum tamen Aristotel. utatur subiecto uniuersali.



Vtrum ex negatiua colligatur affirmatiua variatio prædicata penes finitum & infinitum.

QVAESTIO PRIMA.

EST in primis pro parte negatiua Aristot. autoritas libro primo, prior. cap. ultim. ubi aperte asserit, ualere consequentiam ab affirmatiua ad negatiuam, uariato prædicato penes finitum & indefinitum: è conuerso tamen ualere a negatiua ad affirmatiuam. Nam inquit, hæc est uera, Socrates non est lignum album: hæc tamen est falsa, Socrates est lignum non album. Secundo hæc est uera: homo quatenus homo non est albus; & tamen hęc est falsa, ergo homo quatenus homo est non albus; Non igitur ualet consequentia a negatiua, ad affirmatiuam.

Tertio hęc est uera, Adamus non est albus; & tamen hęc est falsa: Adamus est non albus. Non igitur ualet consequentia a negatiua ad affirmatiuam. Maior patet: & minor suadetur: quoniam, ut est communis Dialecticorum sententia, ad ueritatem affirmatiuę enunciationis de prędicato contingenti requiritur existentia subiecti. Ratio uero est, quoniam uerbum est, enunciationibus contingentibus non absoluitur ab existentia, in aliqua differentia temporis, ut diximus cap. de uerbo. Qua de causa dicebamus eo loco uerbum EST, in enunciationibus contingentibus de tertio adiacente esse partem prędicati, quia accipitur pro existentia, quam significat, si ergo hæc est vera, Adamus est non albus; vt sit contingens, licebit inferre Adamum esse, consequens aut falsum, ergo &c.

His tamen non obstantibus, (dicendum est: semper valere consequentiam a negatiua ad affirmatiuam,) Quæ sententia nō solum verior esse videtur; sed etiam cum Aristotel. doctrina magis consentiens, potestque his rationibus confirmari. Primo, quia Aristot. cap. de nomine docuit, nomina infinita dici de ijs, quæ sunt, & de

ijs, quæ non sunt; Ergo ut enunciatio de prædicato infinito sit vera, non opus est subiecta existere.

Secundo Aristote. cap. de oppositis hoc constituit discrimen inter contradicentes terminos, & alios terminos oppositos, quod semper alter contradicentium affirmatur vere de quauis re singulari, siue talis res sit, siue non sit: at uero in reliquis oppositis hoc non reperitur; Ergo ad veritatem enunciationis affirmatiuæ de prædicato infinito vno requiritur ex materia subiecti.

Tertio, quia Aristo. hoc cap asseruit valere consequentiam a singulari negatiua ad singularem affirmatiuam de prædicato infinito, vt: Socrates non est sapiens; ergo Socrates est non sapiens.

Quarto Aristotel. 1. lib. priorum cap. ultim. docet: de quacunque re uerum esse dicere, quod sit æqualis, aut non æqualis, nō autem quod sit æqualis aut non æqualis, non autem quod sit æqualis aut inæqualis, sed de re non existente, falsum est, quod sit æqualis; Ergo verum erit dicere, quod sit non æqualis: ac proinde ad ueritatem affirmatiuæ de prædicato infinito non requiritur existentia subiecti. Postremo verbum E S T, potest reddi infinitum atque prædicari vere Adamo; hæc enim uidetur vera: Adamus non est, accepto N O N E S T, infinitanter. Sed hæc enunciatio resoluitur in hanc: Adamus est non existens; ergo hæc etiam uera erit, atque propterea enunciatio affirmatiua contingens de prædicato infinito non requirit ad sui veritatem, subiecti existentiam,

Illud quidem in genere fatemur posse hæc & alia argumenta, quæ pro parte affirmatiua afferri possunt, haut difficile dissolui. Ad primum enim dici potest, Arist. cap. de nomine non asseruisse nomina infinita dici de omnibus in uniuersum quæ sunt, & quæ non sunt, quandoquidem nullum est nomen infinitum, quod ita affectum sit: etenim non homo cum sit nomen infinitum non dicitur uere de hominibus, & sic res habet in cæteris. Quare licet nomina infinita non dicantur uere de ijs, quæ non sunt, cum illis contingenter attribuuntur, dicuntur tamen uere de ijs, quæ necessario conueniunt, ut non album de chimera, & hypocentauro.

Ad secundum responderi potest Aristotel. cap. de oppositis eo discrimine locutum fuisse de propositionibus contradicentibus, quarum altera necessario debet esse uera, altera falsa. Quanquam enim institutum ipsius esset de terminis contradicentibus disserere: uoluit tamen, ut ex conditione enunciationum contradicentium conditionem colligeremus terminorum contradicentium: non ita tamen, ut crederemus in terminis contradicentibus, qui prædicantur contingenter de aliquo subiecto, non requiri existentiam subiecti: sed ut colligeremus multos esse terminos contradicentes, quorum alter necessario uere affirmatur de subiecto, in quibus non requiritur subiecti existentia, quod in cæteris oppositis non cernitur.

Ad tertium & quartum dici potest: Aristotelem esse intelligendum illis locis supposita existentia subiecti. Ad postremum, negari potest, hanc enunciationem esse ueram Adamus non est infinitanter.

Cæterum etsi hoc modo possint hæc argumenta solui: uerior tamen uidetur opposita sententia & Aristot. doctrinæ magis consentanea. (Itaque dicendum est, perpetuo ualere consecutionem a negatiua ad affirmatiuam, uariato prædicato penes finitum & infinitum; modo duo hæc obserues. Vnum est, ut si affirmatiua fuerit uniuersalis, negatiua non sit particularis,) Nam alioqui nihil efficitur. Vt si dicas: aliquid animal non est homo: Ergo omne animal est non homo, aliquis homo non est nō iustus; ergo omnis homo est iustus. Alterum est, ut prædicatum negatiue non sit coniunctum, sed simplex:) Nam si fuerit coniunctum non semper sequetur quod uolumus; nec enim sequitur. Æthyops non est lapis albus; Ergo est non lapis albus. Si enim hoc consequens esset uerum, concedendum esset, Æthyopem esse non lapidem, & esse album, quod est falsum. Addi etiam solet, quæstionem hanc esse intelligendam in enunciationibus, in quibus non est particula reduplicatiua. Nam in ijs non ualet; non enim sequitur homo quatenus homo non est albus; Ergo homo quatenus homo est non albus.

Quare ad primum argumentum respondendum est, Aristotel. eo in loco fuisse locutum

locutum de enunciationibus tum prædicati coniuncti, tum simplicis; at vero ex negatiua prædicati coniuncti non concludi affirmatiuam: licet in infinita totum prædicatum infinitum reddatur. Nec enim sequitur: Socrates non est lapis rationis capax; Ergo Socrates est nō lapis non rationis capax. Hac igitur de causa Aristotel. asserit valere consecutionem ab affirmatiuam ad negatiuam: non autem è contrario a negatiua ad affirmatiuam. Quod si de enunciationibus prædicati simplicibus solum loqueretur: diceret, ex negatiua affirmatiuam quoque concludi. At objicies, Aristotel. eodem loco in exemplum attulisse, enunciationum quandam, prædicati coniuncti, cuius altera pars infinita est, scilicet, est lignum non album; ergo non est lignum album. In quibus propositionibus vt non valet argumentatio a negatiua ad affirmatiuam, ita nec vice versa. Occurrendum est, gratia exempli adductum esse illam enunciationem: in exemplis vero non semper requiri veritatem.

Ad secundum dicendum est, non valere consequentiam a negatiua, in qua ponitur particula reduplicatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito, vt bene probat argumentum: Itaque intelligendum est, valere consequentiam a negatiua ad affirmatiuam, modo negatiua non sit enunciatio reduplicatiua.

Ad tertium negandum est, Adamo nō existente, hanc esse falsam; Adamus non est albus, & ad probationem dicendum est, sententiam illam Dialecticorum veram esse, quando prædicatum est ens reale, nam cum est relatio rationis, aut negatio pura, non est opus, quod subiectum existat, vt ei prædicatum contingens conueniat. (Dixit negatio pura,) propter priuationem, quæ non signat puram negationem, sed præter negationem addit; quod sit in subiecto apto ad recipiendam formam; & in tempore a natura constituto, vt forma insit, & quoniam forma non potest in esse subiecto eo tempore, quo subiectum ipsum non existit, propterea efficitur, vt nec priuatio conueniat subiecto non existenti; negatio autem pura conueniat.

Vtrum ex affirmatiua enunciatione concludatur negatiua finita variato prædicato penes finitum & indefinitum?

QVAESTIO SECVNDA.

PRO parte negatiua ita quispiam argumentabitur: In primis quoniam non sequitur Petrus est videns non hominem; Ergo Petrus, non est videns hominem. Nam posito, quod simul videat hominem, & equum, antecedens est verum, & consequens falsum.

Secundo, non sequitur, Petrus est non sensibilis: nam dato, quod sit quantus & albus, antecedens est verum, quia quatenus, quantus est non sensibilis, & consequēs est falsum. Tertio, non sequitur, Petrus fuit nō sedēs Ergo nō fuit sedēs: est enim antecedēs verum, & consequens falsum, posito, quod Petrus heri steterit hora septima, & sederit hora octaua. Quarto non sequitur Petrus potest esse non iustus; Ergo Petrus non potest esse iustus. postremo non sequitur, in fluuio sunt non pisces, quandoquidem sunt etiam lapides; Ergo in fluuio nō sunt pisces.

Pro solutione harum obiectionum aduertendum est; duo esse necessaria, vt valeat consequentia ab affirmatiua, ad negatiuam variato prædicato penes finitum & infinitum, alterum, vt si affirmatiua fuerit particularis, negatiua non sit vniuersalis. Nam a particulari ad vniuersale non valet consequentia, vt Aristotel. in contextu docuit, vt non sequitur: Quidam homo est non iustus; Ergo nullus homo est iustus: nec item, quidam homo est iustus: Ergo omnis homo non est non iustus. Alterum, vt in enunciationibus de prædicato infinito totum præter verbum est, sit infinitum, alioqui non valebit consecutio, vt docet Aristotel. tum hoc loco, tum primo libro prior. capitulo vltimo, & confirmari potest hac ratione: si hæc non esset bona consequentia: Petrus est non albus; Ergo petrus non est albus, oppositum consequentis posset

set stare cum antecedēte, vnde hæ duæ propositiones, Petrus est non albus, Petrus est albus essent simul veræ, quod fieri nequit, quoniam fieri nequit, vt duo termini contradicentes simul affirmentur vere de eodem subiecto singulari, eodem modo potest probari, hanc esse bonam consequentiam: Petrus est albus: Ergo Petrus nō est non albus. Nam si non est bona, oppositum consequentis, quod est Petrus est non albus, stabit cum illo antecedente, scilicet, Petrus est albus, quod fieri non potest, eo quod duo termini contradicentes, non possunt simul affirmari vere de eadem re singulari; Valet igitur consecutio ab affirmatiua, variato prædicato penes finitum & infinitum.

Ad primum igitur argumentum, in oppositum dicendum, eam consequentiam non esse bonam, quia non totum prædicatum affirmatiue est infinitum, sed tantum vna eius pars.

Ad secundum dicendum est, antecedēs non esse verum, nisi intelligas, secundum quantitatem, in quo sensu etiam consequens est verum.

Ad tertium dicendum est consequens est verum, si verbum,(fuit,) accipiatur secundum eandem partem temporis, secundum quam sumebatur in antecedente. Quod si aliter sumatur in antecedente, quam in consequente, non erit bona consecutio. Ad quartum dicendum est, non esse bonam consequentiam, quoniam in enunciatione infinita, non est totum prædicatum infinitum.

Ad postremum dicendum est: antecedēs illud non esse enunciationem de prædicato infinito, sed de subiecto infinito. Sensus enim illius enunciationis est; non pisces sunt in fluuio, vbi particulas(non pisces) est subiectum, ab affirmatiua vero de subiecto infinito non valet consequentia ad negatiuam de subiecto finito, vt Aristot. in contextu docet.

CAPVT SECVNDVM DE ENVNCIATIONIBVS coniunctis, & diuinis.



Num autem de multis, aut multa de vno vel affirmare vel negare, nisi vnum quippiam id quod ex multis illis significatur, sit nec affirmatio neque negatio vna erit. Vnum vero dico, non si nomen vnum quidem sit positum, non fiet autem vnum aliquid ex illis. Velut homo, est forsitan & animal. & bipes, & mansuetum, at ex his etiam vnum quiddam fit: ex albo vero, & homine, & ambulante, vnum (vt patet) non fiet. Quare neque si vnum quippiam de hisce multis quispiam affirmauerit, vna erit affirmatio; sed vox quidem vna, affirmationes autem plures neque rursus de vno si dixerit hæc sed similiter multæ. Quod si differentis interrogatio, quædam responsionis postulatio est, qua vel propositio, vel contradictionis pars altera exigitur, propositio

positio vero contradictionis vnius est pars, ad hoc genus vna profecto responsio non erit. Neque enim ipsa interrogatio vna est non si vera sit etiam. Sed de his dictum in Topicis est: Patet etiam insuper, neque ipsum. Quid est interrogationem dialecticam esse. Nam vt interrogatio detur oportet, vtram velit aliquis contradictionis partem eligere; vtque interrogans definiat vtrum hoc Homo sit, an non hoc. Cum autem eorum, quæ seorsum prædicantur, alia iunctim sit etiam prædicentur, vt vnum omnia prædicatum fiant, alia vero minimè, quænam differentia est? de homine namque vere & animal seorsim, & bipes seorsim dicitur, & hæc eadem vt vnum: & homo rursus, & album seorsim, & hæc eadem vt vnum: sed non si quispiam est & sutor, & bonus sutor dicendus est bonus. Nam si quia verum est seorsim vtrumque, ideo & vtrumque simul verum esse oporteat, multa absurda sequentur. De homine namque quopiam verum est dicere, & quia est homo, & quod est albus etiam: quare & totum. Rursus si album verum est dicere, & totum vere dicetur. Quare erit homo albus, albus, atque hoc in infinitum abibit. Et rursus Musicus albus ambulans, & hæc sæpius coniuncta dicentur. Quorum in infinitum erit abitio. Præterea si Socrates, Socrates dicitur atque homo, Socrates, Socrates homo dicetur: & si ipse, homo seorsim, & bipes dicitur, & simul homo bipes dicetur. Patet igitur si quispiam simpliciter complexiones ipsas fieri dixerit, multa absurda inde emergere. Verum dicendum est nunc, quo nam sint pacto ponendæ. Quæcunque igitur, cum vel prædicari de alijs, vel alijs subijci apta sint, per accidens aut de eodem, aut alterum de altero prædicantur ea vnum non erunt. Velut homo & albus quidem & Musicus est, sed vnum album ipsum & Musicum non est. Accidunt enim ambo eidem. Neque si vere dicetur album Musicum esse, album Musicum vnum quid vnquam erit. Album enim per accidens Musicum est. Quare album Musicum aliquid vnum non erit. Quo circa neque sutor bonus dicetur simpliciter, animal autem bipes dicetur simpliciter. Quippe cum non per accidens hæc de illo dicantur. Præterea nec vnum ea dicentur. Quorum alterum alteri inest. Quapropter nec album sepius dicetur, neque homo, homo animal aut bipes est. Insunt enim hæc homini, animal atque bipes. At fit, vt eadem vere coniunctim atque seiunctim dicantur. Nam aliquem hominem, hominem: aut aliquem album hominem, hominem album dicere licet. Non semper tamen sic ista habent. Sed cum in eo quod adiunctum est, repugnant quippiam sic inest, vt ad id contradictio sequatur, ibi non verum, sed falsum dicetur, vt si mortuum hominem, hominem dixeris esse. Cum vero repugnans non inest, verum dicetur. At cum inest quidem, semper non verum? cum vero non inest, non semper verum dicetur? vt Homerus est aliquid, nempe Poëtas: an ne igitur Homerus est, an non esse dicendum est potius? per accidens enim ipsum. Est de Homero prædicatur. Nempe quia est Poëta: sed non per se de Homero. Est ipsum prædicatur. Itaque quibus in prædicationibus neque contrarietas inest, (quod quidem facile discernetur si pro nominibus rationes dicantur) & per se, non per accidens prædicantur, in hisce coniunctim & seorsim vera prædicatio fit. Id autem quod non est, non eo vere dicetur esse quippiam, quia est opinabile. Nam quæ de ipso est opinio, non habet quod sit, sed quod non sit.

Ex-

EXplicat Aristo. hoc capite alteram diuisionem enunciationum simplicium, agens de enunciationibus constantibus extremo coniuncto, & de ijs, quæ constant extremis simplicibus, poniturque ferme totum caput in declarandis consequentijs quibusdam, quæ inter hasce enunciationes fieri solet. Illud vero extremum dr hoc loco coniunctum, quod constat pluribus terminis. qui possunt esse plura prædicata in diuersis enunciationibus, cuiusmodi sunt prædicata harum enunciationum, nimirum: Petrus est homo albus; Plato est animal rationale, &cæt. Illud vero extremum dicitur simpliciter diuisum, quod non potest esse plura prædicata in diuersis enunciationibus, huiusmodi sunt, album, homo &cætera.

Tres igitur partes continet hoc caput, in quarum prima distinguit & separat Aristot. enunciationem multiplicem, ad enunciatione vna: in secunda vero docet, quando valeat consecutio a diuisis ad coniuncta in tertia tandem, quando valeat consecutio a coniunctis ad diuisa.

Vnum autem) Quoniam enunciationes, quæ constant extremo coniuncto, de quibus hoc capite agendum est, magnam habent voce tenus affinitatem cum enunciationibus pluribus habentibus multas voces, a parte subiecti, aut a parte prædicati: idcirco, nequis fallatur, sumatque huiusmodi enunciationes plures, pronunciatione de extremo coniuncto, docet in prima parte cap. quæ sit enunciatio plures. Docet ergo eam esse plures, in qua aut vnum de multis, aut multa de vno, aut certe (quod maiori cum ratione voluit esse intelligendum) in qua multa de multis affirmantur, aut negantur. Aduertit autem illa multa eiusmodi esse debere, vt ex ijs non efficiatur vnum. Nam alioqui enunciatio potius erit vna, quam plures. Fit autem vnum ex multis, vt hoc loco Aristotel. intelligit: quando vnum ex illis est actus, seu forma determinans alterum: vt patet in composito per se quod fit ex genere, & differentia, & incomposito per accidens, quod fit ex subiecto & accidente: Est enim differentia forma determinans genus: & accidens est forma determinans subiectum. Quod si multa eiusmodi sunt, vt neutrum sit forma alterius: quamuis vtrumque vnius tertij sit forma: non efficient vnum: nisi forte coniunctione aliqua connectatur. Vnde patet has enunciationes non esse plures; homo est animal rationale. Socrates est homo albus: has vero esse plures. Socrates est albus Musicus; lac est album dulce, quia quamuis (album & Musicum,) sit forma Socrates; (album vero & dulce,) sint formæ lactis, tamen vnum non est forma alterius. Diximus, (nisi forte coniunctione aliqua connectatur,) quia si ita copuletur, efficiet vnum, vt hoc loco Aristotel. intelligit, vt si quis dicat: Socrates est albus, & Musicus, lac est album & dulce, quod quidem verum est, si modo coniunctio accipiatur copulatim, idest, vt connectit partes eiusdem extremi; nam si copulatiue accipiatur, vt connectit plures enunciationes simplices, tunc tota enunciatio non erit simplex, sed coniuncta.

Atque vnum dico) Docet vt aliqua enunciatio sit vna non satis esse, quod vna vox prædicetur de vna voce, sed esse opus, vt res significata sit vnum quippiam, vnde si quis dicat, homo est animal bipes & mite efficiet enunciationem vnam, quia ex animali bipede & miti fit vnum. Apposuit Aristot. (forsitan,) quoniam bipes, & mite non sunt differentiæ essentiales, sed ponuntur loco differentiæ essentialis hominis; at uero quia ex albo homine ambulante non fit unum, non constituetur ex ijs enunciationibus vna licet una uoce significaretur.

Quod si differendi) Colligit ex dictis ad interrogationem plures, idest, ad enunciationem plures cum interrogatur, non esse reddendam responsionem unam, sed distinguendam esse, & iuxta plures sensus, quos habuerit, plures reddendas responsiones. Vt Aristotel. hoc loco intelligas, aduerte hoc esse discrimen inter Dialecticum, idest, eum qui probabiliter disserit de quacunque proposita quæstione, & demōstratorem, quod Dialecticus propterea, quod est paratus ad utramque contradictionis partem confirmandam aut refellendam (possunt enim inueniri argumenta probabilia pro utraque parte contradictionis) solet quærere utramque contradictionis partem. Vt utrum omnis uoluptas bonum sit nec ne: Ad uero demonstrator eam partem

tem contradictionis duntaxat interrogat, quam demonstrare instituit: neque enim interrogat vtramque: quoniam non sunt demonstrationes pro vtraque contradictionis parte. Cum igitur interrogatio dialectica postulet & quærat vel propositionem, quæ scilicet in interrogatione exprimitur, vel contradictoriam illius, vtraque autem debeat esse enunciatio vna quoniam est pars vnius contradictionis: efficitur necessario, vt responsio dialectica sit enunciatio vna. Quare cum ad interrogationem plures non sit reddenda vna responsio, sed plures: colligitur plane ad interrogationem plures, non esse reddendam dialecticam responsionem. Ex quibus colligit, rursus; non esse dialecticam interrogationem eam, in qua quæritur, quidnam aut hoc aut illud sit: vt eam, in qua quæritur, quid est homo: sed pertinere ad demonstrationem. Interrogatio enim dialectica vtramque quærit contradictionis partem, in qua quidem datur oppositio vt respondens det, quamuis partem contradictionis, hoc non fit, cum quæritur, quidnam est hoc aut illud.

Cum autem eorum) Docet iam in secunda parte huius capit. quomodo valeat consecutio a diuisis ad coniuncta, & quando non, hoc est, quando ex enunciationibus de extremo diuiso seu simplici liceat colligere vnam de extremo coniuncto, & quando non. Sed prius hanc proponit quæstionem, quid sit in causa, vt aliquando valeat consecutio a diuisis ad coniuncta, vt Socrates est animal, Socrates est bipes, Ergo Socrates est animal bipes, Item Socrates est homo, Socrates est albus; Ergo Socrates est homo albus, aliquando autem non valeat, vt Socrater est sutor, & Socrates est bonus. ergo Socrates est sutor bonus.

Nam si igitur) Docet non semper valere consecutionem a diuisis ad coniuncta. Nam præter quam quod in superiori exemplo datur antecedens verum & consequens falsum, sequerentur alia incommoda, si semper diceretur valere consecutio a diuisis ad coniuncta. In primis enim fieret sæpe expressa negatio, hoc est, inanis eiusdem vocabuli repetitio, vt si quis diceret, Socrates est homo, Socrates est albus: Ergo Socrates est homo albus, vbi manifesta est negatio deinde daretur progressus in infinitum in repetendis iisdem vocabulis: nam si Socrates est albus & est musicus & est ambulans; Socrates erit albus musicus ambulãs. Rursusque Socrates est ambulans & est musicus; igitur Socrates albus ambulans ambulans, musicus musicus, & ita in infinitum frustra eadem vocabula repeterentur. præterea fieret nonnunquam nugatio implicita, idest repetitio inutilis alicuius, quod actu in altero, quod exprimitur, continetur. Vt si quis dicat: Socrates est homo; Socrates est risibilis; igitur Socrates est homo risibilis, vbi communiter nugatio implicita, cum risibile actu contineatur in homine.

Quæ igitur per accidens) Tradit duas regulas, quibus intelligamus, quando non valeat consecutio a diuisis ad coniuncta: vnde facile patebit quando valeat. Prior est huiusmodi, (quando al qua prædicantur diuisim omninoque accidentaliter de subiecto,) accidentaliter inquam, ita vt nõ solum per accidens dicatur de subiecto nude sumpto, sed etiam quatenus est informatum alterutro ipsorum aut (quod idem est) quando ipsa attributa de se muto, per accidens prædicantur, (tum non valet argumentatio, a diuisis ad coniuncta.) Ratio vero cur non valeat est, quia ex his prædicatis diuisis non potest vnum quippiam effici: ac proinde non potest fieri vna quædam enunciatio.

Præterea neque ea dicentur) Posterior regula hæc est: (quando prædicata diuisa ita sunt affecta, vt alterum contineatur in altero; tunc non licet argumentari a diuisis ad coniuncta,) non licet inquam, non, quoniam in tali argumentandi formula, dato antecedente vero, cõsequens possit esse falsum: sed quia colligitur inepta & nugatoria quædam quæstio; Vt si quis argumentetur: Socrates est homo, Socrates est animal: Ergo Socrates est homo animal. Ex his duabus regulis, quibus Aristote. ostendit, quã do non licet argumentari a diuisis ad coniuncta. facile intelligi potest tertia regula, qua declaratur, quando id liceat. Regula hæc est, (quando prædicata diuisa ita se habent, vt nec alterum dicatur per accidens de altero, sed potius sit veluti forma alterius, nec alterum includatur in altero, si modo idem sensus terminorum seruetur, semper

per

per licebit a diuisis ad coniuncta argumentari.] Diximus, [si modo idem sensus terminorum seruetur:] quia alioquin non erit firma argumentatio. Vnde non sequitur, Socrates est sutor, Socrates est bonus; Ergo Socrates est sutor bonus, quia bonus nunc accipitur pro virtute prædito, nunc pro perfecto in aliqua arte.

At fit ut eadem] In hac tertia parte capitis docet, Aristote. quando valeat argumentatio a coniunctis ad diuisa, & quando non ualeat; sed antequam id præstet, declarat interdum ualere consequentiam, vt si dicas; Socrates homo albus, Ergo Socrates est homo & Socrates est albus: interdum autem n n valere, vt si dicas; hoc cadauer est homo mortuus; igitur hoc cadauer est homo; & hoc cadauer est mortuum.

Sed cum in ea] Tradit duas regulas, quibus intelligamus, quando non ualeat consecutio a coniunctis ad diuisa, quarum prima est huiusmodi, [quando in prædicato coniuncto continentur particulæ ita repugnantes inter se vt eas separatim acceptas sequatur aliqua conditio, non valet consecutio a coniunctis ad diuisa: ut in argumentatione de cadauere. Nam in hoc prædicato coniuncto, homo mortuus, continentur duæ particulæ, quas separatim sumptas sequitur contradictio. Nam si homo est, essentialiter est viuens; si autem mortuus non est viuens: vero & non uiuens sunt contradictoria. Sed obijcies duæ illæ particulæ ita repugnant inter se, ut eas separatim acceptas, sequatur contradictio; igitur si ambæ simul accipiantur, non poterunt vere affirmari de cadauere: dicendum est tamen illas particulas includere contradictionem, si sumantur coniunctæ; Cum enim particula, [homo,] separatim sumitur, accipitur pro suo proprio significato, nempe pro vero homine, at uero cum sumuntur duæ illæ particulæ simul: particula, [homo, alienatur, vt dicunt recentiores, per particulam, [mortuus, [ac proinde accipitur non pro uero homine, sed pro cadauere.

Cum uero non] Ait Aristotel. uideri bonam consequentiam a coniunctis ad diuisa, [cum in particulis prædicati coniuncti non inest contradictio: sed statim corrigit, se dicens, non semper ualere consecutionem cum non inest contradictio, quod patet hoc exemplo; Homerus est poeta; igitur Homerus est. In hoc enim prædicato coniuncto, est poeta, non continentur particulæ, quas sequatur contradictio, & tamen non recte infertur; Ergo Homerus est. Hac igitur de causa tradit Aristotel. posteriorem regulam, quæ est huiusmodi: Quandocunque particula prædicati coniuncti per accidens dicitur de subiecto, id est, ratione alterius duntaxat, & non per se, ac vi sua, [tum non licet argumenti a coniunctis ad diuisa;] Vt non ualet consequentia: est rubeus ex uerecundia; Ergo est rubeus. Nam particula, [rubus,] non dicitur per se ac ui sua de subiecto, sed ratione particulæ, (ex uerecundia,] quæ adiungitur. Eadem ratione non sequitur Homerus est Poeta; igitur Homerus est. Nam illa particula est posita in prædicato coniuncto, non dicitur ratione sui sed ratione illius particulæ, (Poeta,) quæ efficit ut uerbum EST, non accipiatur pro existentia reali, sed pro obiectiua, quæ est in mentibus hominum: Hæc enim sufficit, vt vere dicamus, Homerum esse Poetam, hoc est, esse eum, cui scripta poemata tribuuntur. Idem uitium reperitur in ijs omnibus argumentationibus, Socrates est magnus Philosophus, igitur Socrates est magnus: Socrates est bonus sutor; Ergo Socrates est bonus, & alijs similibus, in quibus altera pars dicitur solum ratione alterius; Vnde patet omnia illa, quæ superiori regula excipiebantur, hæc etiam esse accepta. Nam quando partes alicuius prædicari inuoluunt repugnantiam, semper altera illarum de subiecto dicitur ratione alterius.

Quare in quibus) Colligit ex dictis Aristo. hanc regulam, qua docet, quando ualeat consequentia a coniunctis ad diuisa, quæ huiusmodi est; (Quandocunque in partibus prædicati coniuncti nulla inest contrarietas repugnantiave: & altera non dicitur de subiecto solum ratione alterius, cui adiungitur: sed etiam ratione sui: tunc valet consequentia a coniunctis ad diuisa. Admonet autem facile discerni posse, laudeturne repugnantia aliqua in partibus prædicati, si pro partibus ipsis earum definitiones adhibeantur.


Id autem quod non est) Colligit rursus


fus non esse bonam consequentiam, hoc re est opinabile; Ergo hoc uere est. Nam dictio,(opinabile,) efficit ut uerbum EST, non accipiatur pro exiſtentia reali, ſed obiectiua, uerbi gratia: chymere uere est opinabilis, non tamen uere est quoniam opinio quæ de chymera haberi poteſt, est chymeram non esse: ex eo autē, q uere opinamur chymerā nō esse, nō ſequit̄ chymerā esse, ut patet, ſed potius chymerā nō esse.



CAPVT TERTIVM

DE ENVNCIATIONIBVS MODORVM poſſibilis, contingentis, impoſſibilis & neceſſarij.





IS autem determinatis, conſiderandum deinceps eſt, quomodo antitheses hæ, Poſſibile eſt eſſe non poſſibile eſt eſſe: Contingens eſt eſſe: Non contingens eſt eſſe, de impoſſibili neceſſarioque ſeſe habeant, ſunt enim dubitationes quædam. Nam ſi complexiones hæ inter ſe contradicunt, quæcunque per eſſe ac eſſe diſponuntur, vt huius, Hominem eſſe, negatio hac non eſſe hominem, & non illa, eſſe non hominem: & item huius, Hominem album eſſe, hæc non eſſe hominem album: non autem illa, non album eſſe hominem, negatio eſt:(alioqui cum aut affirmare, aut negare de quolibet verum ſit vere quiſpiam & lignum, non album hominem dixerit:) quod ſi hoc ita quam, ita habet, etiam in his in quibus Eſſe non additur, idem faciet id, quod loco ipſius eſſe dicitur: & huius Homo ambulat, non hæc Ambulat non homo ſed dicta, Non ambulat homo, negatio erit:(non enim refert, ambulare hominem, an ambulantem hominem eſſe dicas.) Si hæc in quam ita ſunt atque vbique ratio hæc ſeruatur, huius etiam, nimirum affirmationis, poſſibile eſt eſſe, hæc erit negatio, Poſſibile non eſſe: & non illa Non poſſibile eſt eſſe. At idem videtur & eſſe, & non eſſe poſſe, omne namque quod poſſibile, vel ſecari, vel ambulare eſt, poſſibile eſt & non ambulare & non ſecari. Atque hæc cauſa huius eſt, quoniam omne, quod hoc pacto poſſibile eſt, non ſemper eſt actu quapropter ei competet & ipſa negatio. Poteſt enim & non ambulare, quod ambulare poteſt. & non videri quod videri poteſt. Atq; fieri nequit, vt enunciationes oppoſitæ de eodem ſint veræ: non igitur affirmaaionis huius, Poſſibile eſt eſſe, hæc eſt negatio, Poſſibile, eſt non eſſe. Fit enim hoc pacto, vt aut idem de eodem affirmetur negeturq; ſimul: aut non per eſſe atque non eſſe affirmationes negationeſque complexionum fiant. Quod ſi illud fieri nequit, hoc erit vtique amplectendum. Igitur huius, Poſſibile eſt eſſe, negatio hæc eſt, Non poſſibile eſt eſſe: & non illa, Paſſibile eſt non eſſe: & huius Contingens eſt eſſe, hæc, Non contingens eſt eſſe, non autem. Contingens eſt non eſſe Eadem & de cæteris ra

tio, de impossibili inquam & necessario, namque vt in illis esse atque nō esse sunt additiones, cætera vero res sunt subiectæ vt album, vt homo sic in istis esse quidem, atque non esse fiunt vt subiecta, posse vero & contingere, additiones sunt quæ iā que quidem sic in ijs verum & falsum distinguere, quemadmodum in illis esse, & nō esse solent. Huius autem possibile est non esse, negatio est non ista, Non possibile est esse, sed hæc, Non possibile est non esse, & huius, possibibile est esse, nō ista, possibile est non esse, sed hæc, Non possibile est esse. Quapropter hæ possibile est esse, & possibile est non esse, mutuo sese sequi videntur. Idem enim possibile est esse, atq; non esse; nō enim hæ sibi; possibile est esse & possibile est nō esse contradicunt: sed istæ, possibile est esse, & Non possibile est esse, de eodem nunquā simul sunt veræ oppositæ namque sunt. Hæ namq; possibile est non esse, & Non possibile est non esse, nunquam de eodem sunt vera. Similiter & affirmationis huius. Necesse est esse, nō hæc, Necesse est non esse, sed hæc, Non necesse est esse, negatio est; huius autem necesse est non esse, negatio est, Non necesse est non esse, huius etiam, Impossibile est esse, nō hæc Impossibile est non esse, sed illa, Non impossibile est esse, at illius, Impossibile est non esse, hæc sane, Non impossibile est non esse, negatio est. Omnino autem, quemadmodum dictū est esse quidem ac non esse, ponere vti subiecta oportet, modos autem ad ipsum esse atq; non esse adiungere, affirmationem negationemq; facere qui velit, hasque oppositas esse existimare decet, possibile, non possibile, contingens, non contingens, impossibile, non impossibile, necessarium, non necessarium, verum, non verum. Consequētia quoq; hac ratione fiunt, si ita ponantur. Nam hanc quidem, possibile est esse, primum ea, Contingens est esse, quæ cum ea conuertitur: deinde, Non impossibile est esse, & Non necesse est esse, sequitur. Has a. possibile est non esse, & Contingens est non esse sequitur; Non impossibile est non esse, & Non necesse est non esse. Illas etiā, Non possibile est esse, & non contingens est esse, sequitur, Impossibile est esse, & necesse est non esse: & illas denique, Non possibile est non esse, & non contingens est non esse, sequitur, Impossibile est non esse, & Necesse est esse. Atque id quod dicitur percipi è subiecta descriptione potest.

	I.	III.	
A	*Possibile esse.*	*Non impossibile esse*	I
ma	*Contingens esse*	*Non contingens esse*	li
bi	*Non possibile esse*	*Impossibile esse*	a
mis	*Non necessarium esse*	*Necessarium non esse*	ce
E	*Possibile non esse*	*Non possibile non esse*	Pur
den	*Contingens non esse*	*Non contingens non esse*	pu
tu	*Non impossibile non esse*	*Impossibile non esse*	re
lu	*Non necessarium non esse*	*Necessarium esse.*	a
	II.	IIII.	

Impossibile igitur est esse, & Non impossibile est esse, has Continges est esse, & Possibile est esse, & non Contingens est esse, & Non possibile est esse, contradictoriè quidem

quidem, sed verso modo sequuntur. Affirmationem enim possibilis, possibile inquã est esse. negatio sequitur impossibilis, quæ est, Non impossibile est esse: negationẽ autẽ hanc nempe Non possibile est esse, sequitur hæc affirmatio, Impossibile est esse: nã Impossibile est esse, affirmatio: Non impossibile est esse, negatio est. At necessariæ enunciationes quomodo sese habeant, videndum est; patetque; non eodem modo sese habere sed contrarias quidem sequi, contradictiones autem seorsum esse collocatas. Huius enim necesse non esse, non hęc negatio est, Non necesse est esse: quippe quas de eodem ambas contingat esse veras. Quod enim necesse est non esse, id non necesse est esse. Causa vero quod non ita necessarium, vt modi cæteri sequantur est, quod impossibile, cum idem polleat quod necessarium, contrario assignatum est modo. Quod enim impossibile est esse, id sane non necesse esse, sed necesse est non esse: & quod impossibile est non esse, id necesse est esse. Quamobrem si illæ perinde sese habent atq; possibilis & non impossibilis enunciationes; eæ nõ eodem, sed contrario sese modo habebunt: quippe cum necessarium ac impossibile nõ idem significent, nisi verso modo fuerunt assignata, quemadmodum diximus. At fieri non potest, vt hoc pacto collocentur necessariæ contradictiones. Quod enim necesse est esse, id possibile est esse, nam si ita non sit, sequetur sane negatio: (quippe cum necesse sit affirmare, aut negare.) Quare si non possibile est esse, impossibile est esse. Id igitur impossibile est esse, quod necesse est esse, quod quidem absurdissimum esse constat. Atqui istam possibile est esse sequitur hęc, Non impossibile est esse: hanc vero sequitur illa, Non necesse est esse, itaque fit, vt quod necesse est esse, id non necesse sit esse, quod absurdum est. Iam vero neque hæc Necesse est esse, neque ista Necesse est non esse, illam possibile est esse, sequitur. Ei namq; quod possibile est, ambo accidere possunt. Vtra autem istarum sit vera illa non erunt profecto vera; Simul enim possibile est & esse, & non esse. Si vero necesse est esse, aut non esse, non erit possibile esse atque non esse. Restat igitur vt hęc Non necesse est non esse, istam Possibile est esse sequatur; est enim vera, hęc etiam si de necesse est esse dicatur, quippe quæ contradictoriè ei opponatur, quæ istã Non possibile est esse sequitur. Sequuntur enim istam hę, Impossibile est esse, & Necesse est non esse; cuius negatio est hæc, Non necesse est non esse. Igitur & hę contradictiones, perinde atque cæterę sese consequuntur. Atque nihil prorsus absurdi emergere videtur, si hoc pacto ponatur.


	I.	III.	
A	*Possibile est esse.*	*Non possibile est esse*	I
ma	*Contingens est esse*	*Non contingens est esse*	li
bi	*Non impossibile est esse*	*Impossibile est esse*	a
mus	*Non necesse est non esse*	*Necesse est non esse*	ce
E	*Possibile est non esse*	*Non possibile est non esse*	Pur
den	*Contingens est non esse*	*Non cõtingens est nõ esse*	pu
tu	*Non impossibile est non esse*	*Impossibile est non esse*	re
lu	*Non necesse est esse*	*Necesse est esse.*	a
	II.	IIII.	

Ambiget autem quispiam, si hanc Necesse est esse, illa possibile est esse sequatur: nam si non sequitur, ea quæ contradictorie illi opposita est, nempe Non possibile est esse sequetur; quam si quis illi contradictorie oppositam esse negarit, eum necesse est hanc Possibile est non esse, oppositam dicere, quorum vtrumque falsum, si de hac Necesse est esse dicatur erit. Quare illa possibile est esse, hanc Necesse est esse sequitur. At vero idem rursus videtur esse possibile secari ac non secari, esse atque non esse. Ex quo fit, vt id quicquid necesse est esse, sit contingens non esse, quod quidem est falsum. Patet igitur non omne quod possibile vel esse vel ambulare est idem non esse, non ambulare possibile esse, sed esse nonnulla, in quibus illud verũ non esse videtur; qualia primo sunt, quę aliquid sine ratione possunt; quo pacto ignis calefacere potest, potentiam rationis expertem habens. Potentiæ igitur eę quæ participes rationis sunt, eędem plurium sunt & contrariorum, at quę sunt rationis expertes, non omnes, sed ignis, vt dictum est, non potest calefacere, & non calefacere, neque cętera quęcunque semper actu existunt. Aliqua tamen eorum, quę potentias rationis expertes habent, opposita simul suscipere possunt. Verum hoc quidem huiusce gratia dictum est, vt ostenderemus potentiam non omnem oppositorum esse, ne eas quidem omnes, quę eadem sub specie collocantur. Nonnullę autem potentię equiuocæ sunt, possibile enim non simpliciter dicitur sed aliud quidem ob hoc dicitur, quia verum est ideo quia reipsa est. veluti possibile est quempiam ambulare, quia ambulat, & omnino possibile est esse, quia iam id est, quod dicitur esse posse, aliud autẽ ex eo, quia quanquam nunc quidem non est tamen possit fieri vt possibile est quempiam ambulare, propterea quod quanquam nunc quidem non ambulat, tamen potest ambulare. Et hęc quidem potentia in his est solum, quę mobilia sunt; illa vero & in ijs est, quæ sunt immobilia. Atque horum vtrumque & id in quantum quod iam ambulat, ac agit, vel est, & id quod ambulandi, vel essendi quidem potentiam habet, sed nondũ ambulat, aut est, vere dicere licet, possibile esse ambulare, aut etiam esse. Quę cum ita sint, quod hoc modo possibile est, non vere dici de necessario simpliciter potest alterum autem vere dici potest. Quare cum ad particulare sequatur vniuersale, ad id quod necessario est sequitur hoc profecto. Possibile est esse; non omne tamen, vt patet. Et est fortassis id quod vel esse vel non esse necesse est, alijs omnibus vt vel sint vel non sint, ceu principium ac fundamentum itaque vt cętera ad hoc sequantur, videre decet.

	I.	III.	
a	*Necesse esse*	*Non necesse esse*	li
pur	*Non possibile non esse*	*Possibile non esse*	e
pu	*Non contingens non esse*	*Contingens non esse*	den
re	*Impossibile non esse*	*Non impossibile non esse*	tu
Ce	*Necesse non esse*	*Non necesse non esse*	Mus
i	*Non possibile esse*	*Possibile esse*	a
li	*Non contingens esse*	*Contingens esse*	ma
a	*Impossibile esse*	*Non impossibile esse.*	bi
	II.	IIII.	

Patet

Patet autem ex his quæ diximus, id quod esse necesse est, actu iam existere quare si perpetua priora sunt, & actus etiam potestate prior est. Eorum porro quæ sunt, alia quidem actus, absque potestate sunt, quales ipsæ sunt primæ substantiæ, alia vero cum potestate actus, quæ natura quidem priora, tempore vero posteriora sunt. Sunt insuper & quæ nunquam sunt actus sed potentiæ tantum.



Isseruit Aristoteles hactenus de enunciationibus absolutis, nunc aggreditur disputationem modalium: Sed antequam exponamus, quæ Aristotel. in contextu docet: operæ pretium erit nonnulla explicare: quibus cognitis nullo negotio, quæ Aristot. dicit, intelligi poterunt. Primum est, de quibus enunciationibus modalibus hoc loco Aristot. disputat. Secundum quæ sit qualitas & quantitas, ac materia modalium. Tertium, quo pacto huiusmodi enunciationes æquipolleant. Quartum, quænam sit earum oppositio. Quibus explicatis contextum ipsum, quam breuissime fieri poterit exponemus.

De quibus enunciationibus modalibus disputat hoc loco Aristoteles.

Modalis enunciatio tam late sumi potest, vt eas comprehendat, in quibus verbum determinatione, modove notatur; quo modo hæ omnes enunciationes modales appellantur; Socrates sapienter disputat; honestum est virtutem diuitijs præferre; vtile est, viros sapientes Republic. præesse. Sed cum verbum est (vt docuimus capit. 3. superioris libri multa significet: nam præter formale significatum & certam temporis differentiam importat etiam copulam, connexionemvè prædicati cum subiecto) animaduertendum est, quosdam esse modos: qui determinant verbum, quoad connexionem prædicati cum subiecto, vt si dicas. homo necessario est animal; cuius enunciationis hic est sensus: animal inest necessario homini, vbi connexio animalis cum homine determinatur per particulam (necessario,) alios vero, qui non determinant copulationem prædicati cum subiecto, sed vel formale significatum verbi, vel significatum totius propositionis, vel aliquid aliud: vt patet in exemplis superius propositis. Nam in hac enunciatione, Socrates sapienter disputat, particula (sapienter,) determinat actum disputandi, quoniam verbum formaliter significat.

Modi; quid eterminant coniunctionem prædicati cum subiecto sunt numero sex: scilicet, possibile, contingens, impossibile, necesse, verum & falsum: alij vero sunt prope modum infiniti; Sed quoniam enunciationes, quæ constat hisce modis, qui non determinant connexionem prædicati cum subiecto nihil fere habent diuersum ab enunciationibus absolutis: non instituit Aristote. de ijs disputare: imo vero nec de illis, quæ co nstant illis duobus modis, (verum & falsum:) quia (verum & falsum,) non mutant sensum propositionis absolutæ; idem enim est dicere, Socratem disputare est verum, & Socrates disputat; item Socratem disputare est falsum, & Socrates non disputat. Supersunt igitur hoc loco explicandæ enunciationes modales, quæ constat quatuor reliquis modis, possibile, contingens, impossibile & necessarium; Vnde fit, vt in quatuor genera distribui solent, in enunciationes ex possibili, ex contingenti, ex impossibili, & ex necessario.

Sed rursus admonendum est, huiusmodi modos dupliciter sumi posse in enunciationibus, aut enim sumuntur vt aduerbia, vt cum dicimus: Socrates contingenter disputat, homo necessario est animal, aut vt nomina, vt cum dicimus; Socratem disputare est contingens, hominem esse animal est necessarium. Est autem hoc discrimen inter eas, quod in quibus modus est nomen, totum significatum enunciationis absolutæ manet, vt subiectum, de quo modus ipse prædicatur assumpta de nouo alia copula verbali; Vt, in illa propositione hominem esse animal est necessarium, significatum enunciationis, pro quo ponitur illa oratio infinitiua, (hominem esse animal,) est subiectum, de quo (necessarium) prædicatur

assumpta de nouo copula EST. In quibus vero modus est aduerbium, manet idem omnino subiectum enunciationis absolutæ: neque assumitur de nouo alia copula verbalis, sed illa eadem, eadem determinatur accessione modi, vt constat in illa enunciatione: homo est necessario animal: vbi manet idem subiectum, quod huius absolutæ (homo est animal,) manet etiam eadem copula, sed terminata per particulam (necessario.) His ita constitutis dicendum est, Aristotelem hoc loco solum agere de enunciationibus modalibus, in quibus modus est nomen, non tamen de ijs omnibus. Contingens enim duobus modis sumi potest, altero pro eo, quod potest esse, & potest non esse, quod proprie & presse dicitur contingens, quomodo hominem sedere dicimus esse contingens, altero modo sumitur contingens latius & minus proprie, vt significat id quod potest esse: siue ita possit esse, vt possit non esse, quale est contingens presse sumptum: siue ita possit esse, vt non possit non esse, quale est necessarium; Quo modo sumptum contingens idem est, quod possibile, quod superius quippiam est. ad contingens possibile & necessarium: vtrumque enim sub se comprehendit. Aristoel. igitur non differit hoc loco de enunciationibus ex contingenti presse sumpto, quia nullam seruant æquipollentiæ, aut oppositionis legē cum cæteris modalibus, vt patebit cap. 3. 1. lib. priorum. Solum igitur hoc cap. traditurus est æquipollentiam & oppositionem propositionum modalium, de possibili, impossibili, necessario, contingenti late sumpto, atque ita patet, de quibus enunciationibus modalibus agēdum sit, id quod priori loco fuerat explicandum. Illud tamen prætereundum nō est, hoc loco modalem Enunciationem duplicem sensum habere posse, diuisum scilicet compositum. Tum dicitur sensum habere diuisum, quando modus declarat, quo pacto prædicatum conueniat mētali prædicato subiecti secundum se spectato: Tum autem dicitur, habere sensum compositum, cum modus declarat quo pacto conueniat prædicato mentali subiecti, dum stat sub significato formali. Sed quoniam in solis nominibus cōnotatiuis cernitur materiale & formale prædicatum, idcirco hi duo sensus reperiuntur tantum in ijs enūciationibus modalibus, in quibus subiectum dicti, aut subiectum enūciationis, in qua modus sumitur aduerbialiter est nomen cōnotatiuum. Exempli causa hæc enūciatio, possibile est sedentem stare, in sensu composito significat, fieri posse, vt is qui sedet aut dum sedet, stet, quod est impossibile atque proinde enūciatio dicta est falsa in eo sensu: in sensu vero diuiso, significat fieri posse, vt is qui sedet, stet, aut dum sedet, aut quouis alio tempore, in quo sensu est enūciatio vera. Neque vero putandum est: sensum compositum reperiri solum in enūciationibus modalibus, in quibus modus est nomen, sensumque diuisum in ijs tantum, in quibus modus est aduerbium. Vterque enim sensus in eadem reperiri potest, quanquam priores commodius efficiāt sensum compositum, posteriores vero diuisum. Est & aliud genus sensus compositi & diuisi, de quo 3. cap. lib. 1. priorum commodius dicetur.

De Qualitate, Quantitate ac materia modalium enunciationem.

QVoniam in materialibus enunciationibus, de quibus Aristo. loquitur duo sunt subiecta, & duo prædicata, necessario efficitur, vt duplex sit copula, altera, quæ cōiungat modum cum dicto, altera, quæ copulet subiectum & prædicatum dicti. Vnde fit, vt duobus modis modalis enūciatio dicatur affirmatiua aut negatiua, altero, propter affirmationem aut negationem modi, altero propter affirmationem aut negationem prædicati, quod in dicto continetur. Prior tamen præcipuus est: Hinc orta est diuisio illa modalium, in affirmatiuas de modo & dicto, vt hominem esse animal est necessarium; in negatiua, de vtraque, vt hominem non esse animal nō est contingens, in affirmatiuas, de modo, & negatiuas de dicto, vt hominem nō esse grammaticum est possibile: & in negatiuas, & affirmatiuas de dicto, vt hominem esse grammaticum nō est impossibile. Quia tamen affirmatio & negatio modi in modalibus præcipue est: enunciationes, quæ modum affirmauerint affirmatiuæ, quæ eundem negauerint, negatiuæ simpliciter appellandæ sunt: siue dictum affirmatum sit, siue negatum.

Hactenus

Hactenus de qualitate essentiali enunciationum modalium. Quod vero attinet ad qualitatem accidentalem, hoc est, ad veritatem, & falsitatem: hoc dicendum est, Modales quidem esse veras aut falsas, quãdoquidem oẽs participãt naturã enũciatio nis. Cæterum eas, quæ veræ sunt, esse necessarias, quæ vero falsæ sunt, esse impossibiles. Quoniam quæ veræ sunt nõ possunt esse falsæ: & quæ falsæ, nunquam veræ esse possunt. Exempli causa, hæ omnes sunt necessariæ: (hominem esse animal est necessarium, hominem esse album est contingens, hominem esse grammaticum est possibile, hominem esse lapidem est impossibile,) quia ita sunt veræ vt non possint esse falsæ. Hæ vero; Hominem esse animal non est necessarium: hominem esse album non est cõtingens, hominem esse grammaticum nõ est possibile, hominem esse lapidem nõ est impossibile;) hę inquam sunt impossibiles: quia ita sunt falsæ, vt veræ nunquam esse valeant. Sunt igitur modales enunciationes aut necessariæ, aut impossibiles, quamquam earum dicta contingentia esse possint, idest, ita esse, aut non esse.

Quod vero attinet ad quantitatem, dicendum est, triplicem reperi in modalibus de quibus Aristot. loquitur. Prima sumitur ex parte totius dicti: Secunda ex parte subiecti, quod in dicto cõtinetur; tertia ex parte modi. Quantitas, quæ sumitur ex parte totius dicti, vt est subiectum, de quo prędicatur modus reducitur ad singularem, eo quod significatum totius dicti unum est tãtum Sensus enim huius enũciationis, hominem esse animal est necessarium, est, quod huius orationis, hominem esse animal (qđ est unum tãtum) est necessarium. Itaque hac ratione omnis modalis enũciatio, de qua nunc loquimur, est singularis. Quantitas autem; quæ cernitur ex parte subiecti, quod in dicto cõtinetur, eo modo reperitur, quo in enũciationibus absolutis. Potest.n. subiectũ dicti esse singulare aut vniuersale affectum signo uniuersali particulari, aut nullo signo. Itaque hac est parte modales dici solent aut vniuersales, vt hominem esse animal est necesse, aut particulares, vt aliquem hominem esse grammaticum est cõtingens, aut indefinite, ut hominem esse album est possibile, aut singulares, ut Socratem esse lapidẽ est impossibile.

Quantitas denique, quæ cernitur ex parte modi, dicitur quantitas temporis, quæ per modum designatur. Quemadmodum quantitas multitudinis in absolutis enũciationibus designatur per Syncategoremata, omnis, nullus, quidam, aliquis, & cætera. Duplex uero est quantitas temporis, uniuersalis nempe, aut particularis. Vniuersalis significatur modis, necessarium & impossibile: particularis, duobus reliquis. Nam necessarium denotat prædicatum dicti perpetuo cõuenire subiecto, impossibile nunquam conuenire; possibile enim & contingens ita rem ponunt, ut quantum in ipsis est permittant rem aliquando non esse; neque enim, ut uera sit enũciatio, de possibili aut cõtingenti, opus est ut prædicatum dicti, conueniat semper subiecto. Vt autem in enũciationibus absolutis, signa uniuersalia præposita negatione finet particularia: & particularia uniuersalia: nam non omnis, & non nullus sunt signa particularia, at uero nõ quidem & non aliquis, sunt uniuersalia, sic modi uniuersales, præposita negatione fiunt particulares, & particulares uniuersales, itaque non necessarium & non impossibile sunt modi particulares, non cõtingens autem & non possibile uniuersales. Quoniam uero hæc tertia quantitas præcipua est in modalibus, non immerito Aristot. consueuit collocare modos initio huiusmodi enunciationum, ut statim quãtitas earum ex ipso principio cognosci possit, quemadmodum in absolutis, & signis præpositis quantitas earum intelligitur. Itaque hoc modo fore profert Aristot. modales enũciationes, necesse est hominem esse animal; contingens est Socratem esse grammaticum, possibile est Socratem esse album, & ita iu cæteris, nõ quidem ut efficiat ex modis subiecta, & ex dictis prædicata, sed & qualitas earum propria, ut diximus, atque adeo præcipua quantitas statim appareat, proinde nos hoc loquendi genere deinceps vtemur.

Quod tandem attinet ad materiam, altera cernitur inter modum & dictum altera inter prædicatum & subiectum dicti. Et hęc quidem posterior triplex est, necessaria contingens, & impossibilis, quemadmodum in absolutis enunciationibus. Illa uero, quæ propria est modalium est duplex necessaria inquam, aut impossibilis, nulla


uero est contingens, contingens, cuius ratio est quoniam materia dicti non potest mutare suam naturam, ita quod ea, quæ est contingens, fiat aliquando necessaria aut impossibilis, aut quæ est necessaria aut impossibilis, fiat contingens: Ac propterea modus qui semel conuenit alicui dicto, nō potest ei non conuenire: & qui aliquando non conuenit, non potest unquam eidem accommodari. Vnde efficitur id, quod paullo superius diximus, omnem modalem enunciationem esse necessariam aut impossibilem. Vide pro hac re ea, quæ continentur in lib. 3. inst. dialect. cap. 4. 5. & 10.

De æquipollentia enunciationum modalium.

ENunciationes modales fieri possunt æquipollentes inter se, si seruentur hæc documenta, alterum est, ut modi omnium sint eiusdem quantitatis, id est, ut omnes sint uniuersales, aut omnes particulares: alterum est, ut dicta enunciationum de contingenti possibili, & impossibili sint eadem inter se, & opponantur contradictoriæ dicto enunciationis de necessario. Quibus documentis seruatis, cuiuscunque modali enunciationi, cuiuscunque modi sit, assignari possunt tres aliæ æquipollentes, quæ constant cæteris modis, uerbi causa huic propositioni, possibile est Socratem sedere, assignabuntur hæ tres æquipollentes.

Contingens est Socratem sedere.
Non impossibile est Socratem sedere.
Non necesse est Socratem non sedere.

In quibus uides illa duo documenta seruari. Quoniam uero enunciatio modalis, quatuor modis uariari potest, ut superius diximus, (aut enim constat modo, & dicto affirmato, aut modo affirmato & dicto negato; aut contra modo negato & dicto affirmato, aut denique utroque negato) describendæ sunt quatuor tabellæ, quibus omnes æquipollentes contineantur, eo ordine, ut in prima constituatur enunciatio ex necessario, quæ constat modo & dicto affirmato: in secunda enunciatio ex necessaria, quæ constat modo affirmato & dicto negato: in tertia, enunciatio, quæ constet modo negato, & dicto affirmato, in quarto enunciatio ex necessario, quæ constat utroque negato, unicuique uero harum subijciantur aliæ tres æquipollentes ex possibili, contingenti & impossibili, ut patet in subscripta figura.



Ne-

Necesse est, Socratem esse hominem.		*Necesse est Socratem non esse hominem*
Non possibile est Socratem non esse hominem.		*Non possibile est Socratem esse hominem.*
Non contingens est Socratem non esse hominem.	Contrariæ	*Non cõtingens est Socratem esse hominem.*
Impossibile est Socratem non esse hominem.		*Impossibile est Socratem esse hominem.*

Contradictoriæ — Subalternæ — Subalternæ — Contradictoriæ

Necesse est Socratem esse hominem.		*Non necesse est Socratem non esse hominem.*
Possibile est Socratem non esse hominem.		*Possibile est Socratem esse hominem.*
Contingens est Socratem non esse hominem.	Subcontrariæ	*Contingens est Socratem esse hominem.*
Non impossibile est Socratem non esse hominem.		*Non impossibile est Socratem esse hominem.*

Necesse est, omnem hominem esse animal.		*Necesse est nullum hominem esse animal.*
Impossibile est aliquem hominem non esse animal.		*Non possibile est, aliquem hominem esse animal.*
Non contingens est, aliquem hominem non esse animal.	Contrariæ	*Non contingens est, aliquem hominem esse animal.*
Impossibile est, aliquem hominem non esse animal.		*Impossibile est, aliquem hominẽ esse animal.*
Contradictoriæ	Subal ternæ / Subal ternæ	Contradictoriæ
Non necesse est, omnem hominem esse animal.		*Non necesse est, nullm hominem esse animal.*
Possibile est, aliquem hominem non esse animal.		*Possibile est, aliquem hominem esse animal.*
Contingens est, aliquem hominem non esse animal.	Subcontrariæ	*Contingens est, aliquem hominem esse animal.*
Non impossibile est, aliquem hominem non esse animal.		*Non impossibile est, aliquem hominem esse animal.*

Solent vero recentiores quædam alia documenta tradere, quibus doceant, cuiuscunque enunciationis æquipollentes inueniri. Primum est de quocunque dicto affirmatur possibile & contingens, de eodem negatur impossibile, & de eius contradictorio, negatur necesse. Secundum est, de quocunque dicto negatur possibile & contingens, de eodem affirmatur impossibile, & de eius contradictorio affirmatur necesse. Primum documentum inseruit tertiæ & quartæ tabellæ. Posterius vero primæ & secundæ, quæ ideo attulimus quia apud recentiores frequenter vsurpantur. Excogitatæ sunt præterea quatuor dictiones appendentes quatuor tabellis scilicet, (argutulæ, vestigia, sine metu, mutabatis,) qui facile reuocantur in memoriam omnes enunciationes cuiuscunque tabellæ. Quod vt percipiatur animaduertendum est, quatuor uocales in his dictionibus reperiri A, E, I, V: nam consonantes nihil faciunt ad rem; A indicat enunciationem de modo, & dicto affirmato: E, enunciationem de modo affirmato & dicto negato; I, enunciationem de modo negato & dicto affirmato: V, enunciationem de modo & dicto negato, quorum uocalium significatio hoc uersu continetur.

E dictum negat, Ique modum, nihil A, sed V, totum.

Prima

Prima igitur dictio [argutulæ) inseruit primæ tabellæ: indicatque primam enunciationem ex necessario constare modo & dicto affirmato, secundam ex possibili; & tertiam ex contingenti constare modo affirmato, dictoque negato: quartam denique ex impossibili, constare modo affirmato, dictoque negato.

Secunda dictio, vestigia, accommodatur secundæ tabulæ, indicat primam enunciationem ex necessario constare modo affirmato, & dicto negato, duas vero sequentes ex possibili & contingenti constare modo negato, & dicto affirmato; & quartam ex impossibili constare modo, & dicto affirmato.

Tertia dictio, (siue metu,) attribuitur tertiæ tabellæ, indicatque primam enunciationem ex necessario constare modo negato & dicto affirmato, duas vero sequentes ex possibili & contingenti constare modo affirmato, & dicto negato.

Quarta, dictio (mutabatis,) respondet, quartæ tabellæ, significatque primam enunciationem ex necessario constare modo & dicto negato, duas uero sequentes ex possibili, & contingenti constare modo & dicto affirmato: & quartam ex impossibili constare modo negato, & dicto affirmato.

De oppositione modalium enunciationum.

QVOD attinet ad modalium oppositionem illud in primis sciendum est tot oppositionum genera in eis reperiri, ac in absolutis, easdemque omnino seruare leges, quod ad veritatem & falsitatem (contradictoriæ enim nec simul ueræ, nec simul falsæ esse possunt,) contrariæ simul falsæ, non tamen simul uere, sub contrariæ simul ueræ, non tamen simul falsæ; subalternæ denique ita se habent; vt ex veritate subalternantis, colligatur veritas subalternatæ, & non è contra, ex falsitate vero subalternatæ colligatur falsitas subalternantis.

Secundo notandum est in modalibus (cum potissimum habent rationem qualitatis ex parte modi) illas oppositiones, quæ modo habuerint uniuersales, esse contrarias (siue dicta sint singularia, siue communia) quæ particulares esse subcontrarias illas uero, quarum altera modum habuerit uniuersalem, altera particularem, esse contradictorias.

Ex dictis colliges: contrarias modales, in solis duabus prioribus tabellis collocari prima scilicet, & secunda: quoniam modi vniuersales in his tantum reperiantur, subcontrarias uero in solis duabus posterioribus, tertia uidelicet & quarta: quoniam in his tantum reperiuntur modi particulares: contradictorias vero, ita dispositas esse, vt altera sit in prima aut secunda tabella: altera uero in tertia & quarta: Quod vt facilius memoria teneatur, describatur primo loco, prima tabella, è regione uero secunda, sub prima autem collocetur quarta, sub secunda vero tertia: Ita enim fiet, quemadmodum in descriptione oppositarum enunciationum de in esse, ut contrariæ superius disponantur, subcontrariæ inferius, contradictoriæ vero sint angulares per diametrum dispositæ: & contra superiores sint subalternantes inferioris: vt patet in hac figura.

Subal-

Subalternans.		*Subalternans*
Necesse est Socratem esse hominem.		*Necesse est Socratem non esse hominem.*
Non possibile est Socratem non esse hominem.		*Non possibile est Socratem esse hominem.*
Non contingens est Socratē non esse hominem.	Contrariæ	*Non contingens est Socratem esse hominem.*
Impossibile est Socratem non esse hominem.		*Impossibile est Socratem esse hominem.*
Subalternæ	Contra dicentes. Contra dicentes.	Subalternæ
Non necesse est Socratem non esse hominem.		*Non necesse est Socratem esse hominem.*
Possibile est Socratem esse hominem.		*Possibile est Socratem non esse hominem.*
Contingens est Socratem esse hominem.	Subcontrariæ	*Contingens est Socratem non esse hominem.*
Non impossibile est Socratem esse hominem.		*Non impossibile est Socratē non esse hominem.*

Verum vt tradamus regulas: quibus facile tum oppositæ enunciationes, tum etiam subalternæ cognosci possint: illud in primis animaduertendum est; (Cum duæ quælibet enunciationes sunt inter se oppositæ aut subalternę: enunciationem, quæ æquipollet uni earum, esse eodem modo affectam ad alteram, quo est illa, cui æquipollet,) hoc est, æquipollentes cuiuslibet enunciationis eodem prorsus modo opponi alteri, quo opponitur earum æquipollēs. Verbi gratia, quia hę duæ enunciationes, necesse est Socratem esse hominem non necesse est Socratem esse hominem, sunt contradictoriæ inter se, omnes æquipollentes prioris, contradicentes erunt posterioris; & omnes æquipollentes posterioris, eodem modo priori opponentur. Hinc fit, ut oppositę & subalternę aliæ sint quæ constent eisdem modis, eiusmodi sunt contradictorię assignatæ; aliæ vero, quę constent diuersis, eiusmodi sunt hæ contradictoriæ, possibile est Socratem non esse hominem, necesse est Socratem esse hominem, & ita in cæteris. Nos tamen ut ea, quę dicenda sunt, facilius intelligi possint, in tradendis earum regulis, solum habebimus rationem earum, quæ constant eisdem modis: cętere enim ex ęquipollētia omnium inter se facile intelligi poterunt. Quod

Quod ergo attinet ad contradictorias, prima regula sit (ut aliquæ enunciationes sint contradictoriæ, opus est, ut altera habeat modum uniuersalem, altera particularem; dictum uero in utraque sit idem. Facillimo autem negotio eas assignabis, si enunciationi, modo negato, negationem abstuleris, affirmato autem præposueris. Exempla sunt, possibile est Socratem sedere; non possibile est Socratem sedere, simili modo in alijs modalibus exempla assignantur.

Secunda regula: (ut aliquæ enunciationes ex possibili, contingenti & impossibili sint contrariæ, opus est, ut utraque habeat modum uniuersalem, dicta uero pugnent, uel contrarie, uel subcontrarie. Verbi gratia huic, non possibile est aliquod animal esse hominem, opponuntur contrarie hæ duæ, non possibile est nullum animal esse hominem, & non possibile est, aliquod animal non esse hominem, & ita in cæteris. Dixi, dicta debere esse contradictoria vel subcontraria, quia si huiusmodi modales habuerint dicta contraria: ipsæ non erunt contrariæ, possunt enim reperiri simul veræ, vt patet in ijs, impossibile est omne animal esse hominem, impossibile est nullum animal esse hominem: sunt enim ambæ veræ, quod tamen in contrarijs fieri non potest.

Tertia regula, (ut aliquę enunciationes ex necessario sint contrariæ: opus est, ut utraque habeat modum vniuersalem: dicta vero pugnent, vel contradictorie, uel contrarie.] Verbi causa huic, necesse est omne animal esse hominem, opponuntur contrarię, hę duę, necesse est nullum animal esse hominem, & necesse est aliquod animal non esse hominem. Dixi dicta debere esse contradictoria, vel contraria: quia si fuerint subcontraria, non efficientur enunciationes contrariæ: quia poterunt esse simul uerę, ut patet in ijs, necesse esse aliquod animal esse hominem, necesse est aliquod animal non esse hominem, quę ambæ veræ sunt.

Quarta regula sit: (vt enunciationes ex possibili, contingenti & impossibili sint subcontrariæ, opus est, vt vtraque habeat modum particularem, dicta uero pugnent intra se contrdictorie aut subcontrarie. Exempla sunt, possibile est aliquem hominem sedere; possibile est aliquem hominem non sedere. Oportet autem dicta esse contradictoria, aut subcontraria; quia si fuerint contraria, non efficient modales subcontrarias. Poterunt enim duæ eiusmodi esse, simul falsæ, vt possibile est, omne animal esse hominem; possibile est nullum animal esse hominem, quod tamen subcontrarijs repugnat.

Quinta regula sit: [ut enunciationes ex necessario sint subcontrariæ, opus est, ut utraque habeat modum particularem, dicta vero pugnent inter se contradictorie aut contrarie.] Verbi causa huic, non necesse est omnem hominem sedere, & non necesse est, aliquem hominem non sedere. Oportet autem dicta esse contraria, aut contradictoria, quia si fuerint subcontraria, non efficient enunciationes subcontrarias, poterunt enim esse simul falsæ, vt patet in his, non necesse est, aliquod animal esse hominem, non necesse est, aliquod animal non esse hominem; hæ ambę sunt falsę.

Quod attinet ad subalternas ex possibili, contingenti & impossibili, sit sexta regula, vt huiusmodi enunciationes sint subalternæ, oportet ut altera habeat modum uniuersalem, altera particularem, dicta uero contradictorie, aut subcontrarie opponantur: vt huic, non possibile est aliquem hominem sedere, subalternantur hæ duæ: possibile est nullum hominem sedere, & possibile est, aliquem hominem non sedere. Necessarium est autem dicta esse contradictoria aut subcontraria: quia si fuerint contraria, non constituunt enunciationes subalternas, poterit enim vniuersalis esse vera & particularis falsa, vt patet in his, non possibile est nullum animal esse hominem, & possibile est omne animal esse hominem: quarum prior vera, posterior falsa.

Septima & vltima regula sit huiusmodi, vt enunciationes ex necessario sint subalternæ, oportet, vt altera sit uniuersalis, altera particularis, dicta uero sint contradictorie opposita:] verbi causa huic enunciationi; necesse est omnem hominem loqui, & non necesse est, aliquem hominem non loqui, subalternantur hæ duæ, non necesse est nullum hominem loqui, & non necesse est aliquem hominem non loqui: Debent autem dicta esse contradictoria quia si fuerint subcontraria, non constituunt subalter

nas;

nas; poterit enim vniuersalis esse vera & particularis falsa, vt patet in his, necesse est aliquod animal esse hominem non necesse est aliquod animal non esse hominem, quarum prior uera est, posterior falsa.

Hæc in tam multas regulas diuisimus, vt facilius possent intelligi, quænam enunciationes modales sint contradictoriæ inter se, quæ contrariæ, aut subcontrariæ, quæ denique subalternæ. [Possunt autem omnes in has duas reuocari: Prior est, contrariæ debent constare modo eodem uniuersali, subcontrariæ modo eodem particulari, contradicentes & subalternæ modis contradicentibus. Posterior est, contrariæ, subcontrariæ, subalternæ si fuerint ex possibili contingenti, aut impossibili, opus est, ut constent dictis contradicentibus, aut subcontrarijs; si vero ex necessario, opus est, vt constent dictis conradicentibus aut contrarijs, at contradicentes debent idem omnino dictum habere.] Et hæc sunt, quæ de modalibus enunciationibus dicenda erant: nunc quæ Aristo. in contextu docet, ita explicabimus; vt omnia in breuem quādam summam redigamus.

His autem determinatis] Hoc caput in duas partes diuiditur, in priori agit de oppositione modalium, potissimum uero de contradictoria: in posteriori de æquipollentia earum. Quod igitur ad posteriorem partem attinet, proponit initio huiusmodi dubitationem; sitne contradictio modalium attendenda penes affirmationem & negationem modi: hoc est, sintne contradicentes enunciationes illæ, quarum dicta sic affecta sint, vt alterum constet verbo negato, & alterum affirmato: an potius illæ, in quarum altera affirmatur modus, in altera negatur. Priorem partem, quæ falsa est, probat similitudine propositionum absolutarum: in quibus negatione & affirmatione verbi fit contradictio, & non affirmatione & negatione, cuiuscunque alterius particulæ. Quod confirmatur, inductione facta in enunciationibus ex uerbo EST, & ex verbo adiectiuo. Posteriorem vero partem, quæ vera est, probat: quia si non modi, sed uerbi, quod in dicto continetur affirmatione & negatione contradictio fieret, darentur duæ contradictoriæ simul veræ: ut patet in his; possibile est Socratem sedere, possibile est, Socratem non sedere. Quibus argumentis pro vtraque parte positis, docet posteriorem partem quæstionis veram esse, contradictionemque attendi debere penes affirmationem & negationem modi. quod & exemplis verum esse ostendit, & hæc insuper ratione confirmat; quia vt verbum EST, & ea, quæ post uerbum sequuntur, sunt additiones, id est, tenentur se ex parte prædicati: cætera uero se tenent ex parte subiecti; ac propterea vt in enunciationibus absolutis contradictio spectatur penes affirmationem & negationem verbi; ita in modalibus penes affirmationem & negationem modi. Hæc de priori parte capitis.

Consequentię quoque] Sequitur pars secunda capitis, in qua Aristot. de modalium æquipollentia disputat. Ac primo quidem ostendit: quo pacto constituerint veteres Stoici tabellas scilicet quadratas æquipollentium: eas igitur ita disponebant, vt in subscripta figura continetur.

Possi-

1.	2.
Possibile est, Socratem esse hominem.	*Possibile est, Socratem non esse hominem.*
Contingens est, Socratem esse hominem.	*Contingens est, Socratem non esse hominem.*
Non impossibile est, Socratem esse hominem.	*Non impossibile est Socratem non esse hominem.*
Non necesse est, Socratem non esse hominem.	*Non necesse est, Socratem esse hominem.*

3.	4.
Non possibile est, Socratem esse hominem.	*Non possibile est, Socratem non esse hominem.*
Non contingens est, Socratem esse hominem.	*Non contingens est, Socratem non esse hominem.*
Impossibile est, Socratem esse hominem.	*Impossibile est, Socratem non esse hominem.*
Necesse est, Socratem non esse hominem.	*Necesse est, Socratem esse hominem.*

In qua quidem descriptione docet Aristote. omnes quidem enunciationes ex possibili contingenti & impossibili recte dispositas: at vero enunciationes ex necessario non omne esse recte collocatas. Nam, quæ sunt in tertia & quarta tabella, scilicet, [necesse est non esse, & necesse est esse,] recte quidem sunt disposita: quia sequuntur enunciationes ex possibili, contingenti & impossibili, quæ sunt in ijsdem tabellis: harum vero enunciationum contradictoriæ scilicet, [non necesse est esse, & non necesse est non esse,] quę sunt in prima & secunda tabella, sunt extra sua loca collocatæ. Etenim, quæ in prima tabella describenda fuit, posita est in secunda, & quæ in secunda, collocata est in prima. Probat autē hanc enunciationem, [non necesse est esse,] non posse in prima tabella recte collocari: quoniam sequeretur vnam enunciationem inferri a sua contradictoria, hanc videlicet, [non necesse est esse,] ex hac, [necesse est esse.] Etenim ex hac, [necesse est esse,] colligitur hæc, [possibile est esse;] vt ex hac, possibile est esse,) efficitur hæc; (non necesse est esse,) vt ais, quandoquidem ponis esse eius æquipollentem in prima tabella, igitur ex illa, (necesse est esse,) infertur hæc, (non necesse est esse,) quæ est eius contradictoria. Quare dicendum est, hanc enunciationem, (non necesse est esse,) non posse in prima tabella disponi. Cumque neutra earum, quæ sunt in tertia & quarta, possit cū ea loco commutari, vt etiam Aristo. confirmat; superest vt loco illius ponatur, quæ in secunda tabella descripta est, scilicet, [non necesse est non esse, ipsa vero pro illa in secundam reijciatur: Quod si ita fiat, omnia incommoda, quæ contra illam descriptionē inferebantur facile vitari ostendit. In ijs igitur duabus enunciationibus ex necessario mutatis ita relinquētur descriptæ tabellæ.

Possibile

1.	2.
Possibile est, Socratem esse hominem.	*Possibile est, Socratem non esse hominem.*
Contingens est, Socratem esse hominem.	*Contingens est, Socratem non esse hominem.*
Non impossibile est, Socratem esse hominem.	*Non impossibile est, Socratem non esse hominem.*
Necesse est, Socratem esse hominem.	*Non necesse est, Socratem esse hominem.*

3.	4.
Non possibile est, Socratem esse hominem.	*Non possibile est, Socratem non esse hominem.*
Non contingens est, Socratem esse hominem.	*Non contingens est, Socratem non esse hominem.*
Impossibil est, Socratem esse homi nem.	*Impossibile est, Socratem non esse hominem.*
Necesse est, Socratem non esse hominem.	*Necesse est, Socratem esse hominem.*

Quibus quidem quatuor tabellis signandis excogitauerunt recentiores quatuor dictiones eis respondentes, scilicet (amabimus, edentuli, eliacem, purpurea in quibus idem est obseruãdum, quod in quatuor a nobis superius adductis obseruandum esse diximus.

Ambiget autem quispiam) Postquam Stoicorum descriptionem correxit, reuocat in dubium modum illum, concludendi, quo paulo superius vsus est, scilicet, (necesse est esse; ergo possibile est esse,) quem primo confirmat eo pacto, quo paulo ante confirmauerat. nam si non sequitur contradictorium consequentis, poterit simul esse uerum cum antecedente, scilicet (non possibile est esse,) quod est falsum. Vel si neges hanc enunciationem esse illius contradictoriam, dices esse hanc(possibile est non esse:) quod etiam non potest simul esse verum cum illa (necesse est esse.) Quod tamen modus ille concludendi uiciosus videatur probat: quia,quod possibile est esse, potest etiam non esse: Ergo si ex hoc,(necesse est esse,)infertur illa, (possibile est esse:) aliquid necessarium poterit non esse. Hanc quæstionem ita soluit Aristo.ut concedat, modum illum concludendi firmum esse: ad argumentum uero respondet, non omne quod possibile est esse,posse eti m non esse, sed aliqua esse possibilia, quæ aliter se habere non possunt.

Atque forsitan hæ) Ad finem capitis docet Aristo.tabellas æquipollentium melius posse ita describi, vt enunciationes ex necessario primo loco ponantur:deinde cæteræ ita subsequantur, vt enunciationes ex possibili secundum locum habeant,tertium ex contingenti, postremum ex impossibili. Quem ordinem maxime conuenire docet cum eo, qui cernitur in rerum uniuersalitate,in qua perpetua,& necessaria, (cuiusmodi sunt,substantiæ primę, hoc est, substantiæ a materia separatę,) priora sunt dignitate cęteris rebus. Eum uero non seruauimus: cum de modalium æquipollentia superius disseruimus.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Quæ magis apte enunciationes contrariæ dicantur.



VM autem persæpe affirmationi & negatio & affirmatio aduersentur, vt huic, Omnis homo iustus est, hæ, Nullus homo iustus est, &, Omnis homo iniustus est: & item huic, Callias iustus est, hæ, Callias iustus non est, &, Callias iniustus, aduersantur,) consideremus oportet, vtra istarum sit illi contraria. Cum ea quæ sunt in voce, ea quæ sunt in mente sequantur, si illic opinio contrarij sit contraria, vt quæ dicit, Omnis homo est iustus, ei quæ dicit, Omnis homo iniustus est: necesse est similiter se se & in his affirmationibus, quę in voce consistunt, habeat. Sin vero illic contrarij opinio contraria non sit, nec ibi affirmationi affirmatio, sed dicta negatio contraria fuerit. Quare considerandum est, qualis nam opinio falsa opinioni veræ contraria sit, vtrum affirmationis opinio, an ea quæ contrarium opinatur. Dico autem hoc pacto; Est vna vera de bono opinio, bonum esse: alia autem de eodem falsa, bonum non esse, & insuper alia, malum esse. Harum igitur duarum opinionum vtra sit contraria veræ, & si vna sit, secundum quam sit contraria. Equidem si quis putet contrarias opiniones ex eo definiendas esse, quia de contrarijs sunt, falsum profecto putabit. Nam opinio, qua quispiam opinatur bonum esse bonum, & ea qua malum opinatur esse malum, eadem fortasse est ac vera, siue plures sint, siue vna, quæ contrariæ cum sint, non ex eo sunt, quia contrariorum, sed ex eo potius, quia contrario se modo habent. Quod si opinio de bono hæc quidem sit, bonum esse: alia vero sit, bonum non esse: & item alia, quæ bono tribuit id, quod ipsi nec competit, neque competere potest. Cæterarum quidem nulla est ponenda contraria, nec quæ competere quod non inest, nec quæ non inesse, quod competit, putat, nam infinitæ sunt ambæ & quibus competere quod non inest, & quibus non competere quod inest, existimatur. Sed illæ sunt ponendæ, in quibus inest ipsa deceptio, hæ autem sunt, è quibus generationes criuntur. At ex oppositis generationes sunt, quapropter & deceptiones ex ipsis erunt. Quod si bonum, & bonum & non malum est, & alterum quidem illi per se, alterum vero per accidens competit (accidit enim ipsi, non malum esse) atque ea vniuscuiusque opinio vera est magis, quæ est per se, & item falsa magis, quæ est per se: (quippe cum & ea vera sit magis, quæ conditionem hanc subit) & horum vtraque falsa est, & ea inquam quę bonum bonum non esse, & ea quæ bonum malum asserit esse: illa quidem respectu veræ per se, hæc vero respectu veræ per accidens: magis erit ea opinio falsa profecto, quæ est negatio boni, quam ea quæ est contrarij affirmatio. Atqui is circa vnumquodque maxime opinatur falsum,

qui

qui contrariam opinionem habet. Contraria namque circa genus idem plurimum differunt, si igitur harum opinionum altera contraria quidem est, magis autem est ea contraria, quæ est negationis, patet hanc porro sine controuersia contrariam esse. Ad hæc quæ bonum malum asserit esse, superiore comprehenditur, necesse est enim forsan, eundem bonum non esse bonum putare. Præterea si in cæteris etiam rebus similiter sese habere oportet, & tum hoc argumentum erit, de hisce fuisse dictum bene. Aut enim vbique, aut nusquam contradictionis lex seruetur oportet. Quibus autē non contraria sunt, in his falsa est, quæ est opposita veræ. Nā qui bonū bonū non esse putat, falsum is nimirum opinatur. Si igitur hæ contrariæ sunt, erunt & in cæteris modo simili contrariæ, quæcunque opinationis contrariæ existunt. Præterea opiniones hæ, quarū hæc quidem bonū bonū esse, illa vero non bonū asserit bonum non esse, similiter sese habent. Et insuper hæ, quarum hæc bonum bonum non esse, illa non bonum bonum asserit esse. Et igitur quæ dicit non bonum bonum non esse, quę quidem est, vt patet, uera opinio, quæ nam erit contraria? Non enim ea, quę non bonum malum asserit esse, quippe quæ nonnunquam simul cum illa est vera, nunquam autem fit, vt vera veræ contraria sit, etenim est quippiam non bonum malum, quare fit, vt istæ sint simul verę. Nec item ea, quę non bonum dicit non esse malum, est enim & ipsa vera, nam erunt nonnunquam & ista simul. Restat igitur, ei, quę dicit non bonum non esse bonum, contrariam eam esse, quæ non bonum bonum asserit esse, hæc enim est falsa, Quo fit, vt ea etiam quæ bonum bonum non esse dicit, sit ei, quæ bonum bonum asserit esse, contraria. Atqui perspicuum est, nihil interesse, etiam si affirmationem uniuersalem ponamus, nam vniuersalis negatio contraria erit sane, vt opinioni ei, quæ omne quod est bonum, bonum esse dicit, ea est contraria, quæ nihil bonorum bonum asserit. Ea namque opinio, qua bonum bonum existimatur, si bonum vniuersaliter intelligamus eadem cum ea est, quæ quodcunque est bonum bonum asserit esse; hęc autem nihil ab ea differt, qua omne quod est bonum, bonum esse existimatur, similis est & de non bono ratio. Quæ cum ita sint, si in opinione ita ese habet, quemadmodum diximus, affirmationes autem atque negationes symbola sunt eorum, quæ sunt in anima, patet & affirmationi contrariam quidem negationem eam esse, quę vniuersaliter de eodem est, vt huic. Omne bonum est bonum, aut, Omnis homo est bonus, hanc, nullum bonum esse bonum, aut, nullus homo est bonus: contradictorie vero oppositam hanc, non omne bonum est bonum, aut non omnis homo est bonus. Patet etiam fieri non posse, vt veræ contraria, vera aut opinio aut ratio sit vlla, nam contrariæ sunt, quæ sunt circa opposita, circa quę recte quidem sentire pronunciareque eundem contingit, eidem inesse simul opposita nunquam contingit.

FVerunt, qui hoc caput crederent non esse Arist. sed ipsum locutionis genus plane ostendit ab Aristot. fuisse compositum. Quoniam igitur contrariæ enunciationes dicuntur non solum eæ, quæ ita sunt affectæ, vt vna neget prædicatum de subiecto, altera idem prædicatum affirmet de eodem subiecto verum etiam eæ quæ de eodem subiecto contraria aut opposita prędicata affirmant: (vnde etiam Arist. superius has dixerat esse contrarias, omnis homo est iustus; omnis homo est non iustus) docet hoc capite eas, quę hoc posteriori modo contrarię dicuntur minus proprie contrarias esse: ne quis forte quęrat, quod cum de cæteris copiose dictum sit, de his nullum omnino verbū fecerit. Diuiditur hoc caput in tres partes, in prima, quæstionem ipsam proponit,

nit, eiusque difficultatem exemplis ostendit: ex quibus constat, Arist. hoc loco non solum de contrarijs enunciationibus, sed et de contradictorijs agere: subcōtrarias enim prætermisit, quia, vt superiori libro dictum est, non sunt proprie oppositę. Deinde quæstionem ab enunciationibus vocalibus, trāsfert ad opiniones, quę sunt in anima, idest, ad enunciationes mentales, vt, quod in ijs probatum fuerit, in vocalibus etiam, quæ sunt signa mentalium, confirmatum existimetur. In secunda parte, quæ eo loco incipit, [existimare itaque,] docet primo, non satis esse, vt enunciationes mentales sint contrariæ, si sint de rebus contrarijs, vt patet in ijs; bonum est bonum, malum est malum: quæ cum sint simul verę, contrarię esse non possunt, cum tamen sint de rebus cōtrarijs. Addit [nec satis esse vt sint cōtrariæ quod non possunt esse simul verę,) quia vni veræ opponerentur innumeræ, quæ, cum illa in veritate pugnant, vt huic; (iustitia est bona,) opponerentur hæ omnes [iustitia non est bona,) iustitia est mala; (iustitia nō est expetenda,] & aliæ, quæ cum illa verę esse non possunt. postremo docet enunciationibus affirmatiuis uerissime opponi negatiuas eiusdem prædicati, quod quatuor rationibus in contextu confirmat. In tertia vero parte, quæ incipit eo loco, (Quæ cum ita sint,) dissoluta quæstione in enunciationibus mentalibus accommodat determinationem vocalibus, docetque verissimam oppositionem positam esse in affirmatione, & negatione eiusdem prædicati de eodem subiecto, non autem in affirmatione contrariorum prædicatorum de eodem.

Finis secundi li bri de Interpretatione.

